In Nomine Jesu!

EXAMEN SOCINIANARUM CONTROVERSIARUM,

Juxta Methodum Articulorum Christianæ fidei symbolicam,

in Augustana Confessione adhibitam,


Quoad Status controversiæ constitutionem, & rationum adversæ partis dijudicationem, è divinis literis deductam,

In usum Studiosæ Juventutis XX. Disputationibus Academicis institutum,

per

JOHANNEM Deutschmann/D.
Prof. Publ. & Alumn. Elector. Ephorum.

WITTEBERGÆ,
Literis Michaelis Meyeri, Anno M. DC. LXXI.



SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ,
IN SUPREMO SENATU ECCLESIASTICO
DRESDENSI,
PRÆSIDI EMINENTISSIMO,
ET
CONSILIARIIS
MAGNIFICIS,
DOMINO GRATIOSO,
ET
PATRONIS OPTIMIS
MAXIMIS,
ECCLESIARUM ET ACADEMIARUM
EPHORIS VENERANDIS,
GRATIAM SANCTI SPIRITUS, EXOPTATOS
CONSILIORUM SACRORUM SUCCESSUS, ET FELICES
LABORUM EVENTUS A DOMINO,
P.

ILLU-

ILLUSTRISSIME DOMINE PRÆSES,
DOMINE GRATIOSE,
SUMME REVERENDI ET MAGNIFICI
DOMINI CONSILIARII,
PATRONI MAXIMI,



I *pestis* aliqva *Christianæ religionis* unqvam olim caput erexit, certe superiori, præsentiqve seculo, *Socinianorum Heresis* id fecit. Natales ea suos debet *Lælio, Faustoq́, Socinis*, sed infaustis hujus sectæ conditoribus. Professione qvidem *Theologi* non fuerunt, *Theologiæ* tamen Professionem invadere nulli dubitarunt. Ingeniis curiosis non raro contingit illud, ut, qvicqvid libet, sibi licere judicent, præsertim si propter verbi DEI contemtum, propriæqve vocationis neglectum, pœna divinæ permissionis, confidentia humanæ vel persvasionis, vel eruditionis, & audacia Diabolicæ tentationis accedant. Idem sub infelicibus his aspectibus, sed non parvis progressibus, *Socinis* istis contigisse, deplorandum est. Mala plerumqve majores, qvam bona, progressus faciunt. Mens humana non tantum *novitatis*, sed etiam *falsitatis & pravitatis* avida, facilius *mendacium*, qvam *veritatis* studium admittit. Inde factum, ut Satanas & Autores istos in horrendos & exitiosos errores seduceret, & hæc pessima merces sine difficultate suos emtores alliceret. Dum autem *hæreticorum alii* vel hanc, vel illam *Theologiæ partem* corrumpere sategerunt, hi *Duumviri* totum *Theologiæ corpus* invertere, & prima *Christiani fidei fundamenta* prorsus evertere voluerunt. Magis illud deplorandum, qvam vel manife-

stan-

standum, vel examinandum esset, si *pestis* illa *Heretica* statim sub initiis primis oppressa fuisset. Nunc verò, qvia tot sectatores ista lues invenit, qvi venenũ illud perniciosissimum longe lateq; propagarunt, aliis viva voce pertinaciter inculcarunt, & scriptis etiam ubivis locorum disseminarunt, orthodoxis minimè tacendum, cum ea sit impudentia *Socinianorum*, ut orthodoxorum silentium sibi ducant in gaudium atq; triumphum. Ea de causa perpetuo Christianæ fidei Doctores atq; Defensores eò nõ vulgari studio contenderunt, ut, prçter alias hçreses, etiam illa *Sociniana pestis* ex divinis sacrarum literarum pharmacopoliis remedium inveniret, neqve sic ad seducendos vel altiores Spiritus, vel simpliciores laicos, amplius triumphũ ambiret. Nec in Domino conatus illi vani, vel irriti fuerunt. Nam *Haresis* illa *Socinianorũ* parum virium retinuit, nec aliqvid incrementorum çtate nostra sumsit. Tanta siqvidem *christianismi totius* in eadẽ vel inversio, vel eversio reperitur, ut nomine *Christiani* prorsus indignus videatur, qvi *Socinianæ Religionis sectatorem*, vel *Confessorem* se profiteatur. *Mysterium Trinitatis* citra dubium est *omnis salutis restituta*, vel *omnis boni principium*: sed juxta *Socini brevissimas Christianæ religionis Institut.* (qvæ potius minimè Christianæ sunt) p. 11. *nihil vel absurdius, vel impossibilius, vel deniq; divinis ipsis testimoniis repugnantius, excogitari potest*; *vel ex opinione Smalzii de Error. Nov. Arian.* p. 49. fides Trinitatis est *crassum dogma*, *ex vanis Ethnicorum sophisticationibus, non ex Evangelio natum*. Idem p. 9. contra *B. Franz.* thrasonicè prorsus contra mysterium hoc insultare conatus est: *Qvos (Socinianos)* scribit, *hereticos proclamat Francius, illi non religionis Christianæ fundamentum solidum loco suo movere, & penitus subruere & destrue-*

struere magno zelo, magnoq; ausu laborant: sed CASSUM *illud &* OCIOSUM *ædificium, qvod hactenq pro fundamento fuit habitū, concutere non tantum laborant, sed jam bona ex parte* (scilicet, si Diis *Socinianis* placet!) *concusserunt, & eorum opera DEus, alto suo consilio, qvicqvid ad cognitionem Dei & Jesu Christi veram, aliunde assutum est, universo mundo patefaciet, & per ea, qvæ non sunt, abolebit ea, qvæ aliqvid sunt, ut nemo in carne glorietur, sed qvi gloriatur, in Domino glorietur. Propediem exsibilabitur* (ô vanam prophetiam, audacia hæretica munitam!) *ista absurdissima simul & falsissima de Dei Essentia opinio. Prope est, cum inter omnes obtinebit, unius Dei Patris, & Jesu Christi, Filii Dei, nati ex Virgine Maria gloria; & denuo solus DEus Pater, & Jesus Nazarenus, solennibus gratiarum actionibus in omnibus Ecclesiis celebrabuntur. Ea futura est existimatio de Trinitatis dogmate, qvalis est hodie inter omnes Evangelicos de Missa Pontificia, de Purgatorio, & aliis hujusmodi* (NB) *nugis. Unum enim hæc omnia Autorem habent, Anti-Christum scilicet.* Hæc *Socinianorum fides* de *Deo Trinuno. Christus incarnatus* dubio procul Christianæ *fidei fundamentum* est. Nam juxta *Paulum 1. Cor. III, 11. fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, qvod positum est, qvod est Jesus Christus*, cum ὁμολογουμένως μέγα τῆς εὐσεβείας *mysterium sit, DEus est manifestatus in carne. 1. Tim. III. 16.* Sed juxta *Smalz.* contra Franz. p. 65. *Verbum carnem factum esse, nusqvam scriptum est: & licet scriptum esset, nunqvam tamen probabitur, Verbum illud alium qvem significare, præter Jesum Nazarenum* (nudum videl. hominem) *ex Maria Virgine natum.* Et mysterium hoc iniqvitatis longè clarius exponit *homil. IIX. in cap. 1. Job* p. 89. *Credimus*, scribit, *etiamsi non* SEMEL *atq;* ITERUM, *sed* SATIS CREBRO *&*

 APER-

Apertissime scriptum extaret, Deum esse Hominem factum, multò satius esse, qvia hac res sit absurda, & sanæ rationi plane contraria, & in Deum blasphema, Modum aliqvem dicendi comminisci, qvo ista de Deo dici posint, qvam ista simpliciter, ut verba sonant, intelligere. Sic igitur facile patet, qvod adversarii semper incredulitatis suæ paratissimum habeant effugium, sive *scriptum* aliqvid sit in summis fidei mysteriis, sive *non*, sive *semel*, sive *sæpius*, sive *raro*, sive *crebro*, sive *aperte*, sive *obscure*, sit in sacris literis revelatum. Nihil enim hoc stratagemate sive *Sociniano*, sive *Satanico*, non potest vel impugnari, vel negari. Si qvis *salutis nostræ* λύτρον, vel *meritum*, aut *salutiferæ satisfactionis beneficium*, contra *Socinianos* asserere, vel urgere velit, ipse nihilo magis obtinebit. Sic enim *Socinus* ipse part. 3. de Servat. Christ. c. 6. suam & sociorum sententiam hac in causa proponit: *Ego qvidem, etiamsi non semel, sed sæpe id in monumentis sacris scriptum extaret,* Christum pro peccatis nostris divinæ justitiæ satisfecisse, *non idcirco tamen rem prorsus ita se habere crederem, ut vos opinamini. Ea, qvæ fieri non posse, aperte constat, divinis etiam oraculis, ea facta esse, in specie attestantibus, neqvaqvam admittenda esse: & idcirco sacra verba* in alium sensum, qvam ipsa sonant, *per insusitatos* etiam *Tropos qvandoq; explicanda esse. Smalzius* contr. Franz. p. 430. *Socino* melior non est. *Istud*, inqvit, *de satisfactione Christi pro Adamo & peccatis hominum anile & vere prophanum est commentum: p. 140. vocat ridiculam, absurdam, & sacris literis, & rationi contrariam & perniciosam opinionem.* Nec melius affert de *merito Christi*, vel *fide justificante* judicium p. 440. *De fide in meritum Christi non opus erat ullo modo hic asfuere. Qvis enim S. literarum locus vel unicus*

meriti

meriti alicujus Christi meminit, cum hac vox plane barbara sit in Theologia, & nullum in ea prorsus locum habere qveat, adeo ut nec vocem ullam in sacris literis excogitari posse, vel saltem extare dicant Viri docti, qva meritum exprimi possit. Qvid praterea est fides in meritum Christi? Fides certe, propriè loqvendo, nemini nisi persona, eiq; divina, debetur: in meritum autem Christi, etiamsi id tandem extaret, fidem reqviri, plane insolens & exoticum qvid est. Ex merito Christi seqvitur *Justificatio miseri peccatoris coram Deo*, qvæ non aliud, qvam principale dogma fidei Christianæ parit, sed tam de mysterio *justificationis*, qvam ipsius *fidei justificantis*, tot errores *Sociniani* fovent, qvot circa doctrinam hanc salutarem qvæstiones occurrunt. Verum hæc & alia modo perseqvi nec libet, nec licet. Ego, qvod mei muneris fuit, hactenus pro Gratiæ divinæ modulo, mihi clementissime concesso, non tantum *aliarum Heresium errores* meis Condiscipulis, exercitiis tam publicis, qvam privatis, proponere, sed etiam *Capitales Socinianorum Heterodoxias* evolvere volui. Cum igitur ex *singulari Dei clementia* Sub *Illustri & Magnifica Vestra Ephoria* nunc iterum *Collegium Controversiarum Anti-Socinianum* absolverim, illud una cum *laboribus meis sacris*, imò cum *Academia nostra tota*, Vestro *Illustri* & *Magnifico Patrocinio* sisto. Fuit Ea hactenus, & per Dei Gratiam adhuc est *officina laborum Theologicorum*, & in eadem *reliqvarum Facultatum studia* qvoq; non parum floruerunt. *Witteberga* nostra, tanqvam *ultima Reformationis prima, doctrinaq; purioris constans officina*, magni semper apud omnes γνησίους *Lutheranos* fuit æstimii, sed inde apud alios non parum invidiæ, vel odii contraxit. Stat vero per *DEI Gratiam*, PATRIS PATRIÆ *Clementiam*, ac *Electoralem Munificentiam*,

& *Summorum Patronorum Vigilantiam.* Præſtet illud *Providentia cæleſtis*, ut ſub his GRATIOSISSIMIS, GRATIOSIS, & MAGNIFICIS *aſpectibus* nihil decrementi, multumq; incrementi capiat hæc *Illuſtris Academia*, nihilq; de priſtino flore tùm *Privilegiorum*, tùm *Profeſſorum*, tùm *Studioſorum*, tùm *Academicorum laborum*, remittat. SERENISSIMI PATRIS PATRIÆ GRATIA *per Veſtrum Patrocinium* nobis ſit integra, ſit perpetua! Favete *Veſtræ Academiæ*, favete *mibi, laboribus meis ſacris*, favete *præſenti tùm inſtituto*, tùm *depoſito*. Videbit id *Dominus Cæli*, ſuaqve *Cæleſti benedictione* Veſtram ILLUSTRISSIMAM EXCELLENTIAM & PRÆILLUSTREM DOMUM, VESTRASQVE MAGNIFICAS AMPLIT. & NOBILISSIMAS FAMILIAS, perpetuo coronabit, qvod precibus devotis ſemper urgebit

VESTRÆ ILLUSTRISS.
EXCELL.
ET
NOBILISSIM. MAGNIFICENTIARUM

Dab. in Muſeo meo
VVitteb. d. 4. Sept.
Anno 1671.

aſſiduus apud DEum
Interceſſor

Johannes Deutſchmann / D.

IN NOMINE JESU

CONSIDERATIO THEOLOGICA

NOBILIORUM QVARUNDAM CONTROVERSIARUM SOCINIANARUM,

SECUNDUM AUGUSTANÆ CONFESSIONIS METHODUM,

EX SCRIPTURIS SACRIS POTISSIMUM INSTITUTA,

QVÆSTIONES GENERALES DE

MATÆOLOGIA SOCINIANORUM.

DISP. I. Respondens M. CHRISTIANUS Röhrensee/ Facult. Phil. Adj. & Alum. Electoralis.

QVÆSTIO PRIMA.

Num Sociniani sint veri Christiani?

I.

UT in his terris *varia* datur *Ecclesiæ militia*, cum omni respectu *militans* appelletur, sic præter alios *Ecclesiæ militantis hostes* non unius generis *Hæretici* reperiuntur, qvi *veritatem cœlestem*, genuinum Ecclesiæ veræ palladium, oppugnare, vel expugnare contendunt. Inter eos non postremam phalangem ducunt illi, qvi vulgo *Sociniani* dicuntur. Cum enim alias omnes *hæretici* non per januam veram, sed aliorsum in Ecclesiæ mysticum ovile penetrare, vel ovibus mysticis damnum dare moliantur, alii tamen aliis vel astutiores, vel rapaciores, vel perniciosiores, esse di-

cuntur: & *Sociniani* palmam aliis hæreticis in Ecclesiæ, vel cœlestis veritatis, oppugnatione, præripere deprehenduntur, siqvidem alii vel tectũ, vel parietes, in ovili mystico perfodiunt, sed illi *fundamentum* ipsum effodere conantur, qvemadmodum multis demonstrari posset, nisi publice satis notum id esset. Postqvam igitur hactenus, *cum DEO*, *Nobiliores* qvasdam *Controversias Papisticas* & *Calvinianas*, juxta DEI verbum expedivimus, ad *Socinianarum controversiarũ Theologiam considerationem* nos in Domino convertimus, cui soli debetur omnis gloria, qvi sua gratia laborem præsentem coronare, fructumq; multiplicem Theologicis his exercitiis propter Christũ donare clementissime dignetur.

2. Nec in *Socinianis Controversiis* obeundis & expediundis aliam, qvam hactenus consvetam, methodum adhibere placet, qva juxta seriem Articulorum, in *Augustana Confessione* comprehensorum, cursum Exercitiorum dirigere voluimus. Sed in antecessum unam, vel alteram *qvæstionem generalem* præmittimus. Non autem alia magis necessaria, vel instituto nostro magis consentanea videtur, qvam si qværatur, *Num Sociniani sint veri Christiani?*

3. Hic circa *controversiæ statum* prius aliqva delibare, qvam rem ipsam aggrediamur, non inconveniens erit. Non autem qværitur (1) *de Competentia Christiani nominis ex Socinianorum voluntate, Annon Sociniani velint esse veri Christiani?* Nam qvod Christiani nominis possessores esse velint, patet ex ipsorum *dictis*, *scriptis*, *factis*, *hypotheſibus*, & aliis documentis, unde titulos, de Christiano nomine gloriantes, libris suis præscribunt, qvemadmodum patet ex *Catechesibus*, *institutionionibus* (nam & *Socinus*, & *Ostorodus Institutiones Christianæ Religionis*, qvas vocant, publicarunt) & aliis *libris*. Sed nec *religio*, nec *denominatio Christianorum* res est humanæ voluntatis, cum potius sit beneficium divinæ veritatis,

4. Nec (2) de *Competentia nominis Christianorum ex Socinianorum facultate, Annon Sociniani Christianorum nomen sibi tribuere possint?* cum enim voces ex hominum arbitrio pendeant, & ex instituto rebus conveniant, ideo nihil impedit, qvo minus hoc

hoc etiam nomen *Sociniani* sibi tribuere possint. Sed non videndum est, qvid illi hac in causa facere *possint*, sed qvid facere *debeant*, cum notum sit, qvod *à posse*, vel *ad esse*, vel *ad debere*, *non valeat consequentia*, cumprimis qvia institutum hominum sæpius erroneum, & veritati minus consentaneum est.

5. Nec (3) de *Competentia nominis Christianorum ex generali vocis potestate, Annon in generalissima significatione, qvatenus Christianorum nomen in universum omnes Christi confessores à Judæis, Turcis & paganis distingvit, Socinianis convenire qveat?* notum enim est, qvod nomen *Christianorum* sumatur *tripliciter* (1) *generaliter*, vel ἐτυμολογικῶς, qvatenus *generaliter* à Christo deducitur, omnibus Christi confessoribus promiscue tribuitur, & omnibus Christum ignorantibus, vel negantibus, vel blasphemantibus opponitur, qva ratione nulla vel doctrinæ veritas, vel bonitas aut vitæ pietas, attenditur, & sic omnis hæreticorum numerus in unam cum veris Christianis massam conjicitur, & hæc ab *atheis, paganis, Turcis & Judæis* distingvitur. (2) *Specialiter* & δογματικῶς, qvatenus non tam *nominis communitatem*, qvam *doctrinæ veritatem* attendimus, & simul cum nomine veram Christi confessionem reqvirimus, qvo sensu *Christianus* & *hæreticus* opponuntur, & magis *doctrinæ veritas*, qvam *vitæ pietas* respicitur. (3) *singulariter* & ἁπλῶς, qvatenus Christianus, qva talis, adæqvate, tam ratione *doctrinæ*, qvam ratione *vitæ*, Christo subordinatur, & omni respectu *Christianus* dicitur, qva ratione *hypocritis*, vel *Christianis* φαινομένοις talibus, vel ut vulgo vocantur, den Maul Christen / den Schein Christen / *Christianorum* nomen opponitur. *Utut*, scribit Venerand. *Dn. D. Calov.* in Socinism. proflig. sect. 1. membr. 2. q. 1. *nomen Christianorum* παχυλῶς, *generali & impropria vocis significatione, non denegemus Socinianis, eo, qvod agnoscant, Jesum esse promissum illum Messiam, &, doctrinam Christi unicè sectandam esse, profitentur, qva parte discriminantur cum à Judæis, qvi Messiam venisse negant, tum à Turcis Mahometanis, qvi Mahometis sui profitentur ac sectantur instituta: unde illos infidelibus* κατ᾽ ἐξοχὴν, *Christum vel ignorantibus, vel negantibus,*

bus, haud accensemus, neqvicqvam tamen arrogant sibi titulum Christianorum κυρίως ac speciali scriptura sensu.

6. *(4)* Nec de *Competentia nominis Christianorum ex Socinianorum praxi, vel possessionis communitate, Annon ipso facto Sociniani Christianorum nomen sibi tribuant, illudq; sic actualiter possideant?* Nam hoc etiam facile largimur. Sic enim *Moscor.* in refut. append. Contr. *Smigl.* p. 13. *Si ii, qvi Christum non confitentur, Christiani non sunt, Ergo eos, qvi Christum confitentur, Christianos esse, prorsus est necesse. Nos ore, scriptis, studiis, coram universo orbe Christum profiteri, testes sunt tot libri, qvos in lucem de Jesu Christi persona, munere, atq; doctrina dedimus:* imò se potius à *Christo*, qvam ab alio denominari volunt, ut habet *Smalz.* contr. *Franz.* p. 11. *Si Photinus verum sensit, Christianus fuit, & ideo nos una cum eo ad Christum appellamus. Qvid est Photinus? qvid alii? nisi servi Christi. Christus est Dominus noster, ab eo nominari gaudemus omnes:* qvinimo se cum suis *solos* esse *veros Christianos* *Smalz.* in refut Nov. monstr. p. 10. non tantum asserere, sed etiam probare conatur inqviens. *Omnis Spiritus, qvi confitetur, Jesum esse Christum, qvi in carnem venit, ex DEO est. Nostra Ecclesia, EÆ QVÆ SOLÆ confitentur, Jesum esse Christum. Ergo.* Verum aliud est *facti*, aliud *juris:* de *facto* sibi vel cum aliis, vel *solis*, *Sociniani nomen* hoc arrogant, sed de *jure* neutiqvam idipsum, stantibus erroneis suis dogmatibus, sibi tribuere vel possunt, vel debent.

7. (5) Hinc recte qværitur: *An Sociniani sint veri Christiani? veritate* scil. & *nominis*, & *significationis*, & *professionis*, seu *confessionis*. Hoc est, qvod negamus. *Negativam* nostram confirmat *Dn. D. Calovius* d. l. multis argumentis (1) *à prima nominis impositione* (2) *à reqvisitis veri Christiani.* (3) *à cultu alieni DEI.* (4) *a negata propria Christi essentia.* (5) *à negatione Incarnationis & satisfactionis Christi.* (6) *ab adoratione meræ creaturæ.* (7) *ab affinitate cum Turcis.* (8) *à cognatione cum Judæis.* (9) *à reprobatione prædecessorum ab antiqva Ecclesia, qvales fuerunt Ebionitæ, Samosateniani, Ariani &c.* (10) *è consortio cum Semijudæis:* qvæ fundamenta prolixius ibidem exposita sunt. *Stegman. in Photin. p. 7.* Syllogismum hunc adversariis opponit: *Omnis Christianus*

ſtianus rectè credit, & ſincere confitetur Rom. X. 9. I. Pet. III. 15. At Photiniani hoc non faciunt. Non rectè credunt & confitentur. (1) de Deo, & tribus perſonis Deitatis, qvas cum Valentino Gentili commentum mere humanum atq; idolum contumelioſè appellant. (2) de Chriſto, dum cum Serveto perſonam æternam Filii Diabolicam ideã, & fabuloſam Chimæram, vocitare non erubeſcunt. (3) De Spiritu S. qvam nudam virtutem DEI faciunt. (4) De homine in qvatuor ſtatibus, qvod diſputant, in ſtatu innocentiæ nihilominus venturum fuiſſe Meſſiam ad homines, tandem excitandos, utpote mortales creatos, qvod ſtatum corruptionis plane negant; qvod reſtaurationis modum à ſcriptura alieniſſimum, ſine verbo & Sacramentis effingunt; qvod non idem numero corpus poſt mortem reſurrecturum docent &c:.

8. Verum, miſſis iſtis, nonnulla fundamenta, qvibus paſſim *Sociniani*, ſe Chriſtianos eſſe, contendunt, breviter examinabimus: *Nos Chriſtianos eſſe, ſic probo*, dicit *Smalz.* refut. nov. monſtr. contra *Smiglec. p. 10. Omnis Spiritus, qvi confitetur Ieſum (eſſe) Chriſtum, qvi in carne venit, ex* D E O *eſt. Noſtræ Ecclesiæ, eæq; ſolæ, confitentur, Ieſum (eſſe) Chriſtum, qvi in carne venit: Ergo ex* D E O *ſunt, & proinde veri Chriſtiani. Major eſt D. Iohannis I. Ioh. IV. 2. Minor probatur: Nam noſtræ Eccleſiæ neminem alium, præter & ante eum, qvi in carne venit, hoc eſt, qvi cum carne & infirmitate in mundo verſatus eſt, pro Chriſto habent; & ſuum regem agnoſcunt, & ob hoc ipſum pro idololatris ab ipſo Smiglecio non minus injuſtè, qvam audacter proclamantur. Spiritus verò Pontificiorum, qvi alium præter & ante Ieſum, qvi in carne venit, Chriſtum eſſe credit, Antichriſti Spiritus eſt, teſte eodem Iohanne I. Ioh. IV. 3.*

9. ℞. (1) in *textu Apoſtolico* non legitur *IEſum eſſe Chriſtum, qvi in carne venit*, ſed ita verba poſita ſunt: πᾶν πνεῦμα, ὃ ὁμολογεῖ, Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα &c: *Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe: Socinianorum* igitur additamentum ſuſpectum eſt, cum ὑπολόιπ foveat, qvaſi JEſus Chriſtus eſſe non potuerit, aut qvaſi Chriſtus alio modo factus ſit, &c: ſicut myſterium hoc iniqvitatis paſſim Sociniani produnt: *Socin. adv. Wolan. p. 48.* ſcribit; *ipſis Apoſtolis adhuc viventibus, multos Antichriſtos extitiſſe, & multos falſos Prophetas atq; impoſtores in mundum prodiiſſe, qvi negarent illum Ieſum Chriſtum* ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, *ſive* ἐρχόμενον, *id eſt, qvi in carne venit (non autem* IN CARNEM VENISSE, *qvod nec græca verba ullo modo patiuntur,*

nec res ipsa ferre potest, cum de homine illo Iesu sit sermo, qvi in carnem venire non potuit) & hunc esse eum spiritum, qvi venturus erat, illius magni Antichristi. Qvod etsi propter eos potissimum dictum esse putamus, qvi hodie qvoq; si non verbis, at reipsa IEsum pro Christo agnoscere recusant, eo qvod non cum mundana majestate & potentia, sed IN CARNE, hoc est, in humilitate & infirmitate venerit, non est tamen, qvin iis etiam omnibus aliqva ratione accommodari possit, qvi hominem illum IEsum Nazarenum, humilem licet antea atq; infirmum, & tunc filium illum DEI unigenitum fuisse a DEO mundo exhibitum, & nunc præpotentem Dominum ac regem ab ipso DEO factum, & super omnia constitutum esse, non confitentur. Qvæ certe nemo eorum revera ac prorsus confitetur, qvi præter hominem illum aliam naturam, sive substantiam excogitant, cui vere & propriè hæc omnia conveniant, qvæ homini illi nonnisi figuratè, ac minus propriè convenire posse, arbitrantur. Item *Schmalz.* refut. l. 1. de Err. Arran. p. 11. *Iohannes tantum eos persequitur, qvi negabant, Iesum esse Christum; At hoc nunqvam de Ebione & Cerintho legitur.* p. 12. *falsa interpretatione scripturæ nititur, qvod scil. negaverint, IEsum Christum in carne venisse. Non enim spiritus is, qvem Antichristi spiritum Iohannes esse asserit, negabat, IEsum Christum in carnem venisse, sed ideò, qvia in carne venisset IEsus, Christum eum esse negabat. Nec est in græco talis vox, qvæ per IN CARNEM VENISSE converti possit, qvasi scil. vox ista prædicati locum habeat, sed vox ista ἐληλυθότα, qvæ converti debet, Qvi venit, & adjunctum est subjecti, nempe IEsu, prædicatum autem est, Christum, ita ut hic idem dicatur, qvod ante c. 2. v. 22. de Antichristo dictum fuerat: Qvis est mendax, nisi qvi negat, qvod Iesus est Christus, addito tantum ad subjectum eo, qvod causa erat istis seductoribus, cur negarent, IEsum esse Christum, qvia scil. in carne venisset:* hinc p. 13 *Smalzius* hanc phrasin clarius exponit: *In carne venire est cum carne venire, ut etiam in aqva & sangvine venire est cum aqva & sangvine venire. Cum carne autem venire est circumdatum afflictionibus venire. Hæc enim vocis carnis inter alias significatio est. Venire deniq; (in carne) est munus obire, & mundo sese patefacere absq; mundana gloria. Sic enim vox veniendi alibi etiam de Christo accipitur, sive sola, sive cum vocibus, In mundum, ut tempus, non qvo natus Christus, sed qvo munus suum propheticum aggresus est, exprimatur:* imò verbis antecedentibus d. l. *Smalzius* applicationem ad præsentem

sco-

ſcopum, qvod *Sociniani ſoli ſint Chriſtiani*, propius reſpicit, inqviens: *Hoc unum nunc attingo: Venire in carne, ait* (Smiglecius) *eſſe fieri carnem. Hoc qvid abſurdius? Nam cum, qvi in carne venit, jam carnem eſſe, anteqvam in eam veniat, neceſſe eſt, cum venire ſit actio: actiones autem ſint ſuppoſitorum. Is verò, qvi caro ſit, caro antea eſſe nullo modo potuit. Illud etiam non omittendum putavi, qvod nos Ebione & Cerintho deteriores eſſe affirmat. Qvia ſcil. illi naturam Chriſti divinam non negarunt. Sed duplex eſt Smiglecii lapſus, ne qvid dicam gravius. Primum enim non docet, Ebionem & Cerinthum divinam Chriſti naturam agnoviſſe, qvalem agnoſcit ipſe cum ſuis. Nam ſi hoc crediſſent, qvomodo damnari a Iohanne potuiſſent? cum ex mente Smiglecii, credere divinam Chriſti eſſentiam, ſit credere Ieſum eſſe Chriſtum? Firmum igitur manet, nos ſolos, alto DEI conſilio, hodie confiteri, Ieſum (eſſe) Chriſtum, qvi in carne venit, & proinde (qvoad confeſſionem) SOLOS eſſe VEROS CHRISTIANOS. Omnes autem alios Chriſtianos, qvi non confitentur, Ieſum eſſe Chriſtum, qvi in carne venit, ſed alium ante & præter eum, licet propterea Chriſtianorum nomine privari non poſſint, tamen id ſectari, qvod Spiritus Antichriſti portio qvædam eſt, vel reliqviæ.* Prolixum nimis foret, omnia hæc *Sociniana* ῥήματα brevibus examinare, ſaltem igitur ſcopum præſentem reſpicimus, nim. falſum eſſe, qvod h. l. nomen *Chriſti* ſit *prædicatum*, cum eodem modo, & qvidem *ſine articulo*, vel alia qvadam *emphaſi Iohannes* hæc duo Nomina, *IEſum Chriſtum*, conjungat, & loco *ſubjecti* ponat, & toti ſubjecto *prædicatum* unum, & in hoc, & in ſeqventi *commate* tribuat, nim. *in carnem venire*: cum certum ſit alias ex collatione locorum N. T. qvod nomen χριςȣ͂, qvando *prædicati* loco ponitur, cum *articulo*, vel *emphaſi* qvadam exprimatur *Matt. XVI. 16. 20. XXVI. 63. XXVII. 17. 22. Marc. IIX. 29. &c:* cumprimis huic loco maxime congruus videtur eſſe *Ioh. XX. 31. Hæc ſcripta ſunt, ut credatis*, ὅτι ὁ Ἰησȣ͂ς ἐςιν ὁ χριςὸς, ὁ ὑιὸς ȣ͂ Θεȣ͂, *& ut credentes habeatis vitam in nomine ejus:* & idem ſit I. Joh. II. 22. *Qvis eſt mendax, niſi qvi negat*, ὅτι Ἰησȣ͂ς ȣ̓κ ἔςιν ὁ χριςὸς; *Hic eſt Antichriſtus.* (2) Hinc potius invertimus argumentum: Omnis Spiritus, qvi non confitetur JEſum Chriſtum in carnem veniſſe, non eſt Chriſtianus: At *Spiritus Socinianus* non confitetur JEſum Chriſtum in carnem veniſſe, imo juxta Socinum d. l. qvia homo fuit, in carnem

nem

nem venire non potuit. (3) *in carne venire*, & *cum carne venire*, vel etiam cũ *infirmitate venire*, vel in *infirmitate obire munus Socinianus ἰσοδυναμοῦντα* sunt, sed absq; fundamento, cum sicut ex verbis, & scriptura sacra manifestum, diversissima sint. (4) Falsum, qvod λόγος, vel æternus DEI Filius, sit *alius ante*, vel *præter Iesum*, cum λόγος ἐνσαρκωθείς, vel ἐν σαρκὶ φανερωθεὶς sit ipse JEsus, *I.Tim.III.16.* nam ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο *Ioh.I.14.* (5) *Dist.* inter *confessionem verbalem & doctrinalem*: *Sociniani* JEsum Christum verbis confitentur, sed *hypothesibus* & *dogmatibus* erroneis multis modis JEsum Christum non confiteri, vel prorsus solvere deprehenduntur. (6) *Tertull.* lib. de præscript. adv. hæret. c. 33. hoc commentum *Socinianorum* refutat, inqviens: ***In Epistola** (Johannes) **eos maxime Antichristos vocat, qvi Christum negarunt in carnem venisse, & qvi non putarent** Jesum **esse Filium DEI. Illud Marcion, hoc Hebion vindicavit.***

10. (II) *Qvia*, juxta *Smalz.* refut. nov. Monstr. contr. *Smiglec.* p.5. *etiamsi divinam Christi essentiam statim temporibus Apostolorum credidissent Christiani, tamen ideò fidem in Christum interiisse dici non potest. Non enim per se & natura sua error hic tollit fidem in Christum, qvantumvis eam vehementer obscuret, & mirificè intricet*: qvibus ostendere vult *Smalzius*, qvod *Christianus* sit, qvi Christum DEum esse, vel ejus essentiam divinam negat. ℞. (1) *Iudæi* qvoq; Christum fuisse confitentur, & idem *Mahometani* faciunt, qvi Christum magnum prophetam fuisse non negant, neq; tamen propterea *Christiani* sunt, aut *Christiano* nomine digni. (2) non tantum Apostolorum, sed etiam ipsius Christi temporibus, *Christum esse verum DEum, DEI Filium, unigenitum DEI Filium,* Christiani firmiter crediderunt, qvemadmodum ex communi Apostolorum confessione *Matt. XVI. 16.* & ex ipsorum solenni testificatione *Ioh.XX.31.* & plurimis aliis documentis, est manifestum: imò non tantum Novi Testamenti, sed in universum omnibus temporibus id creditum est, qvia JEsus Christus idem est heri & hodie, idem & in secula *Heb.XIII.8.* Conf. *Ioh.I.1.seqq. I.Ioh.I.1.seqq.* (3) *Fides in Christum* sine vera *Deitate* non *fides* est, sed *opinio*, vel *vana* mentis humanæ *persvasio*, cum fides solius DEI proprium sit, sicut in *Apostolico symbolo* cre-

credimus in *DEum Patrem, Filium & Spiritum S.*. Maledictus enim est, qvi fidem suam, vel fiduciam ponit in homine *Ier. XVII. 5.* & certe, qvi nudam in creaturam fidem suam dirigunt, idololatræ non esse non possunt. (4) Si *fides in Christum, DEum verum*, pereat, omninò certum est, qvod tota fides Christianorum pereat, cum sine hac basi, videl. Deitate, fides Christiana consistere neqveat. (5) Falsum est, qvod doctrina de *vera Christi Deitate vehementer obscuret, aut mirifice intricet* fidem Christianorum, cum potius hæc doctrina sit genuina fidei Christianæ basis, eamq; vehementer illustret, ac mirificè explicet, ita qvidem, ut minime, pro errore haberi possit, cum in sacris literis hæc doctrina fundatissima vere dicatur.

11. (III) S*i ii, qvi Christum non confitentur, Christiani non sunt, Ergo eos, qvi Christum confiteantur, Christianos esse prorsus est necesse:* Sic argumentatur *Moscorov.* in refut. append. *Smiglec. p. 13. Nos ore, scriptis, studiis, coram universo orbe Christum profiteri, testes sunt, tot libri, qvos in lucem de* Jesu *Christi persona, munere atq; doctrina dedimus. Qvapropter ex vi rationis, à* Smiglecio *allata, nos Christianos esse, prorsus est necesse.* ℞. (1) *Dist.* inter *confessionē genuinā*, & *adulterinā, orthodoxā, & heterodoxā*: non qvævis confessio Christi facit Christianos, sed *genuina*, vel *orthodoxa confessio*. (2) *dist.* inter *confessionem Christi totalem* & *partialem: totalis confessio* doctrinæ de Christo reqviritur in Christiano, non autem qvælibet particula doctrinæ, vel ejus confessio statim Christianos facit. Ipse Diabolus non semel Christum in Evangelica historia confessus est, neq; tamen propterea *Christianus* vel factus, vel inde dicendus: fuit ejus *confessio generalis*, saltem *verbalis*, non fuit *specialis* & *fiducialis*, qvalis in Christianis reqviritur. (3) Qvalis *Socinianorum confessio*, vel *doctrina*, talia qvoq; sunt *dicta, scripta studia* &c:

12. (IV) *Qvia* ex sententiæ propriæ professione, non ex adversarii sententiæ negatione, Christiani judicandi sunt, ut habet *idem Moscorov. d. l. p. 4. Ex eo,* scribit, *qvod sententiam adversarii nego, me non sentire cum adversario liqvet; at qvid ipse sentiam, nisi illud profitear, nondum apparet. Ex professione igitur*

sententia mea, non ex negatione sententia adversarii, qvod præcipuum & essentiale sit meum dogma, spectari debet. ℞. (1) licet *Sociniani* profiteantur, se Christianos esse, tamen est aliud *dici*, aliud est *esse*, aliud est profiteri *sine*, aliud *cum fundamento*. (2) *Dist.* inter *assertionem formalem* & *materialem*: negatio partis unius veræ contradictionis, non est *formaliter* alterius assertio, *materialiter* tamen assertionem aliqvam importat. Sic, qvi negat, Christum essentialiter verum DEum esse, *materialiter* affirmat, essentialiter ipsum nudum esse hominem, nec præter humanam verè divinam essentiam habere. (3) *Sociniani* non tantum orthodoxam sententiam Christianorum de Christo θεανθρώπῳ negant, sed insuper etiam suam sententiam, qvod nudus sit homo, confirmant, & hac ratione ex Christo *non-Christum* faciunt, cum nudus homo *Christus*, vel *Messias* mundi totius neutiqvam esse possit.

13. (V) *Qvia non statim omnis, qvi docet absurda, Christiano nomine privandus est, juxta Smalz. de Verb. Incarn. natur. p. 8.* ℞. (1) *Christianus* non est *confessor absurdorum*, sed *mysteriorũ*, divinitus revelatorũ: Christiano proinde nomine minmie dignus esse videtur, qvi vel absurda docere, vel confiteri velit. (2) *absurda* alia dicuntur *rationi*, alia sunt *fidei*, vel *divina revelationi*: mysteria qvoq; *rationi* nostræ videntur absurda, sicut passim *Sociniani* præcipua Christianæ religionis mysteria pro absurdis venditant, qvæ talia non sunt, qvorum confessores veri Christiani sunt & manent: sed qvæ fidei, vel divinæ revelationi sunt absurda, neutiqvam à Christianis approbanda sunt. (3) *dist.* inter *absurda* in *rebus qvæstionis*, & in *rebus fidei*: si qvis absurda docet, vel credit in *minus necessariis*, vel *non fundamentalibus*, is non statim *Christiano* nomine privandus est: at qvi circa *cardinalia*, vel *principalia*, seu *fundamentalia* dogmata, qvædam absurda docere, vel defendere velit, is certe pro Christiano haberi neqve potest, neqve debet.

14. (VI) *Qvia Justinus, scriptor vetustissimus,* ait *Moscorov.* d. l. p. 5. *Christianos suo tempore fuisse testatur, qvi eam, qvam nos profitemur, de Domino IEsu, sunt professi sententiam. Sic enim ille:* Non vanescit hæc [mi Trypho] propositio, hunc esse Christum DEI; si non valuero demonstrare, fuisse illum jam ante filium Crea-

Creatoris rerum omnium; ac deinde natum ex Maria Virgine. Nam si non demonstro, eum jam ante fuisse, priusqvam homo factus, carnem nostri similem sumeret ex Patris arbitrio, hactenus tantum errare me potes dicere; sed non est æqvum, ut hunc Christum esse neges, si liqveat hominem ex hominibus natum ad hoc, ut per electionem Christus fieret. Etenim sunt qvidam, non Amici, ex nostris hominibus, qvi fatentur, eum Christum esse, sed hominem ex hominibus ajunt &c: *En vides Iustinum referre, fuisse ipsius tempore, qvi divinam Christi essentiam non agnoscerent, qvi pro Christianis ab omnibus haberentur; alioqvin nunqvam Iustinus eos pro suis hominibus agnovisset.* ℞. (1) jam superius observatum, qvod Christianus latissima significatione opponatur *Iudæis, Turcis, paganis* &c: sed de propria significatione nobis hic sermonem esse: *Iustino* cum *Tryphone Iudæo* negotium erat, ideò nomen hoc omnibus, Christum qvocunq; modo confitentibus, tribuebat. *Dist.* igitur inter *Christianum nomine* & *vera confessione, generali* & *speciali distinctione: nomine* sic *generaliter* à *Iudæis* distingvebantur, non tamen propterea *speciali confessione veri Christiani* dicebantur. (2) *Iustinus* hanc sententiam manifestis verbis inter errores numerat, parum ergo lucri *Moscorovius* ex hoc *Iustini loco* sperare poterit. (3) *Iustinus* de *hæreticis*, non de *Christianis* orthodoxis loqvitur, neqve *Christianorum nomen* iis tribuit, uti censet *Moscorovius*, sed eos respectu *Iudæorum*, Christum negantium & blasphemantium suos vocat, videl: ratione generalis, non autem ratione verè Christianæ professionis.

QVÆSTIO SECUNDA.

An Sociniani rectè vocentur Ebionitæ?

1. Circa *statum Controversiæ* rectius percipiendum, unum, vel alterum, primo præmittere placet (1) qvod *jure cœtus hæretici communiter ab orthodoxis discernantur*: hoc enim *juris* est *divini*, qvia preciosum à vili separandum *Ier. XV. 19.* est *juris Ecclesiastici*, qvia tum qvoad *historias biblicas*, tum qvoad *Ecclesiasticas*, Ecclesia vera semper, qvoad fieri potuit, talem separationem instituit: tum *juris communis*, qvia volenti non fit injuria: cum enim semetipsos, suis novis adinventionibus, & hæreticis opinionibus, separent, utiq; talis separatio non tantum utilis est, sed etiam necessaria.

2. (2) Qvod *jure cœtus heterodoxi discretivis nominibus à veris Christianis distingvantur.* Nam *modus dicendi*, vel *denominandi*, seqvitur *modum essendi*: cum igitur heterodoxi cœtus reipsa sint distincti cœtus, utiq; distinctis etiam nominibus eos notare fas est: nomina siqvidē sunt rerum notiones, & hi per illas exprimuntur, cognoscuntur, & dignoscuntur, qvod *Praxis Christi* docet, qvi sectarios sui temporis, *Pharisæos* & *Sadducæos*, distinctis nominibus appellavit: *praxis* itidem *Apostolorum*, qvi *Pseudoapostolos* passim nominatim reprehenderunt, & *Nicolaitas* etiam nomine discretivo rejecerunt *Apoc.II.6.15*. nec aliud perpetua *praxis Ecclesiæ* reqvirere videtur.

3. (3) Qvod *jure cœtus hæretici, vel à principalibus dogmatibus, vel etiam à præcipuis Doctoribus, denominentur.* qvod itidem *consvetudo scripturæ, Ecclesiæ, & cujuslibet sectæ, vel Scholæ*, confirmat. Nam *Sadducæi* à *Zadoko* qvodam denominati perhibentur: *Nicolaitæ* suam à *Nicolao*, cujus mentio fit *Act.VI.* appellationem acceperunt. *Ecclesia* statim à primis temporibus tales denominationes adhibuit, qvemadmodum ex hæreticorum appellationibus apparet. Sic etiam *Socratici, Platonici, Aristotelici, Pythagoræi &c*: suorum præceptorum, & antecessorum nomina non iniqve tulerunt. *Cur* inqvit *B. Athanas.* orat.5. contra *Arian. cum ita sentiant, non sese eorundem nominum successores, hæredesq; profitentur? Par est, ut qvorum pravam opinionem receperunt, eorum qvoq; vocabula & titulos accipiant. Hac* ratione notat *Dn. D. Calov. in Socin. proflig. sect.1. m.1.* qvod *Socinianorum* nomina præcipua sint etiam vel *doctrinalia*, petita à dogmatibus, sive qvæ ab istis hominibus impugnata, sive qvæ ab iisdem propugnata; alia *personalia*, ab Autoribus sectæ hujus desumta: *prioris generis* sunt, qvod vocantur *(1) Anti-Trinitarii, (2) Christomachi, (3) Anti-christi, (4) Pneumatomachi, (5) Catabaptistæ*: *posterioris* generis sunt, qvod dicuntur *(1) Ebionitæ, (2) Cerinthiani, (3) Sabelliani. (4) Samosateniani. (5) Ariani. (6) Photiniani. (7) Abælardiani. (8) Servetiani. (9) Sociniani &c*:

4. (4) Qvod *Christianorum nomen* nec hæreticis proprie loqvendo conveniat, nec latissima significatione eos vel inter sese, vel à veris Christianis distingvat, licet omnes Christiani nuncupari

pari

pari gestiant, qvemadmodum *Euseb. lib. 4. Hist. Eccles. c. 11.* refert, qvod *Marcionitæ Christiani* appellari voluerint, idem de *Donatistis August. Epist. 179.* contra *Donatist.* observat, inqviens: *Christianos vos esse dicitis, & Christo contradicitis.* Et hoc etiam de *Socinianis* è præcedenti qvæstione certum.

5. (5) Qvod inter sese *hæretici*, vel *Sectarii*, nomina communia recipiant, vel admittant, etiamsi non in omnibus erroneis dogmatibus consentiant; sufficit enim si vel in plerisq;, vel in præcipuis, vel in uno aut altero principali dogmate consensus inter eos reperiatur. Nec enim in omnibus erroneis vel dogmatibus, vel hypothesibus, unius hæreseos Sectatores conveniunt, ut vulgo notum; & ex collatione manifestum, qvod sicut τὸ ἀληθὲς ἕν, ita τὸ ψεῦδος πολυχιδές: multo minus de hæreticis diversum vel expectare, vel postulare possumus.

6. Ex his apparet, *qvod omninò jure Sociniani vocentur Ebionitæ*, qvod *Dn. D. Calov. in Socinism. proflig. d. l. q. 1.* pluribus confirmatum dedit (1) *qvia Ebion divinam Jesu naturam negavit, eumq; naturâ* ψιλὸν ἄνθρωπον *asseruit*, ut est apud *Ignat. ad Philad. Irenæum l. 4. adv. hæres. c. 59. l. 5. c. 11. Tertull. l. de carne Christi c. 14. Epiphan. l. 1. tom. 2. hæres. c. 51. Euseb. l. 3. Hist. Eccles. c. 27. &c.* (2) *qvia Ebionæi* qvoq; *fundamentalem errorem* foverunt de *justificatione*, contendendo, *præceptorum legis obedientiam ad justificationem & salutem necessariam esse*, cum *Pseudo-apostolis*, in qvibus error is refutatus est *Act. XV.* Vid. *Euseb. l. 3. Hist. Eccles. c. 27.* (3) *qvia Ioachim. Stegmannus, Socinianus*, in perfidiæ suæ patrocinium admittere non veretur, ut alia pridem damnata nomina, *Basilidianos, Carpocratianos, Gnosticos, Valentinianos &c:* sic etiam *Cerinthianos & Ebionitas* in proba contr. *Botsacc. c. 10. p. 415.* (4) qvia non habent adversarii qvicqvam, qvo se ab hac nomenclatura vindicent. Plura vid. d. l.

7. Sed contrarium *Sociniani* tenent, unde *Faustus Socinus* in *lib. svas.* hoc ipso titulo notavit. Et in *præfat. p. 2.* idem repetit; p. 3. rationes nonnullas colligere conatur, qvod nimirum *Sociniani falso atq; immerito* vocentur *Ebionitæ* (I) *Qvia Ebionitæ maxima & potissima ex parte Christum ex concubitu & conjunctione Iosephi cum Maria uxore sua natum dixerunt.* ℞. (1) hæc nec *potissima*, nec *Catholica hæresis* erat *Ebionitaru*: nam secundum *Eusebium*

 non

non omnes *Ebionitæ* huncerrorem foverunt, ſed qvidam eorum Chriſtum è *Maria Virgine* ſolum natum docuerunt. Sic enim ſcribit *l.3.H.E.c.21. de Ebionæorum Hæreſi: Iſti ex primo illius ſectæ autore nomen ducentes, Ebionæi propriè appellati ſunt: h.e. mentis & intelligentiæ inopes, qvippe qvi de Chriſto, & ejus doctrina, tenuiter & abjectè ſtatuerent, opinarenturq;. Eum namq; SIMPLICEM, VULGAREM & SOLUM HOMINEM cenſuerunt* (hic nota principalem errorem) *& ex concubitu, conjunctioneq; Ioſephi viri cum Maria uxore ſua in hanc lucem editum: verum propter progreſſionem, qvam in virtute feciſſet, hominem juſtum cenſuerunt, at SOLUM HOMINEM tamen. Porrò legis Moſaicæ obſervatione omninò ipſis opus eſſe: perinde ac ſi fide ſola in Chriſtum, & vitæ ratione, qvæ cum illa cohæret, neutiqvam ſalvi eſſe poſſent. Præter iſtos ALII etiam erant, eadem appellatione donati, qvi qvanqvam ab inepta & ſtulta horum, qvos commemoravimus, opinione deflexerunt, atq; adeo ex VIRGINE & SPIRITU SANCTO Dominum prognatum non denegarunt, non diſſimili tamen ratione, dum ipſum Chriſtum nec DEum, qvi ante ſecula extitit, nec Verbum & Sapientiam Patris, confiteri nolebant, in eandem cum ſuperioribus impietatem prolapſi ſunt:* ſic igitur apparet, qvod *cardinalis* & *univerſalis hæreſis Ebionæorum* extiterit, *Chriſtum* non fuiſſe *DEum*, aut DEI *Filium*, ſed *nudum hominem*, in qvo *Sociniani* vere ſunt *Ebionæi*. (2) *Ebionæi* qvoq; conſeqventer inde negarunt *unionem perſonalem* inter *divinam* & *humanam naturam*, ut teſtatur *Irenæus l. 5. c.11.* qvod non *receperint Ebionæi unionem DEI & hominis per fidem*, qvæ pariter eſt *hæreſis Socinianorum.* (3) Ipſe *Socin. adv. Volan. p.257.* hoc fateri cogitur, qvod non omnes *Ebionæi* hunc errorem foverint, neq; tamen qvicqvam ſolidi contra illud proferre valet.

8. (II) *Qvia nullus Ebionæorum fuit, qvi Chriſtianis hominibus Moſaicam legem ſervandam non cenſeret.* ℞. (1) ut *th. præced.* ex *Euſebio* notatum, urſerunt *Ebionæi* non tantum *legem*, qvoad *obſervationis neceſſitatem*, ſed etiàm qvoad *juſtificationem* & *ſalutem*, *perinde ac ſi fide ſola in Chriſtum, & vitæ ratione, qvæ cum illa cohæret, neutiqvam ſalvi eſſe poſſent:* ſed idem etiam eſt *Socinianorum* error, ut ex multis ipſorum teſtimoniis probari poſſet. (2) *Ebionæi* nihil aliud de *ſalute* ſua ſibi promittere, nec à Chriſto, qvem *nudum hominem* ſtatuebant, *juſtificationem* expectare poterant, unde *Phariſaicam* illam

& hy-

& *hypocriticam justificandi rationem* retinere necessum habuerunt: idem etiam de *Socinianis* dicendum, qvi cum Christum *nudum* saltem *hominem* doceant, nec fiducialiter in eum credere, nec ex fide in Christum, ut nudum hominem, salutem æternam sperare poterunt, unde fidem ipsam opus fingunt, & ex legis operibus salutis spem concipiunt.

9. (III) *Qvia Paulum Apostolum, ejusq; doctrinam & Epistolas omnes spreverunt ac rejecerunt.* ℞. (1) Verum est, qvod *Ebionitæ Paulum*, ejusq; *doctrinam, & scripta*, rejecerint, sicut idem *Eusebius l.d.* testatur: qvia nim. *Paulus* verus Christi, DEI & *hominis*, veræq; *justificationis*, per fidem in Christum, constantissimus assertor, fidei Christianæ contra Judæos invictissimus defensor, & *Christiani nominis* genuinus possessor erat: ipsi vero *Ebionæi*, qvoad præcipua dogmata judaizabant; qvod itidem de *Socinianis* verum. Vid. *Dn.D.Calov. in Socinism.proflig. sect.1.m.2.q.1.th.8.9.* (2) Licet *Socinianos Ebionitas* vocemus, tamen eos non in omnibus cum Ebionæis consentire, simpliciter affirmamus, cumprimis si de qvibusvis *hypothesibus* illud intelligatur: sufficit nobis, qvod vel qvoad *ipsam doctrinam*, vel qvoad *doctrinæ fundamentum*, vel qvoad *præcipua, seu cardinalia dogmata*, sit inter *Ebionæos* & *Socinianos* consensus, non tamen necessum est, ut in omnibus hypothesibus consentiant, cum certum sit, qvod nec ipsi *Sociniani*, qvi nunc ultimis hisce temporibus exorti sunt, in omnibus hypothesibus concordent, *communem* tamen *doctrinam*, & *nomen Socinianorum commune*, recipiunt. (3) Licet *Sociniani Paulum*, ejusq; *scripta* non rejiciant *verbis*, tamen *sensum* illorum rejiciunt, & ita non omnino veterum *Ebionæorum* praxin fugiunt.


10. (IV) *Qvia Ebionæi eo solum Evangelio sunt usi, qvod dicebatur secundum Hebræos, reliqva vero omnia parvi fecerint.* ℞. (1) Idem de veteribus illis hæreticis *Eusebius d. l.* testatur, adeoq; & hoc facile conceditur: sed itidem *hypothesis* est, non *doctrinæ basis*, vel *thesis* (2) *Sociniani corruptum rationis judicium* majoris æstimant, qvam universam *scripturam*, qvæ certe majora damna parit, qvam illud secundum *Hebræos Evangelium*, adeoq; nec in hoc multum prærogativæ reperiunt, cum hæreticorum similitudo judicetur ex dogmatum, non ex fontium, vel hypothesium identitate.

11. Præ-

11. Præter hæc argumenta *Socinus* alibi qvædam alia fundamenta negatæ denominationis hujus urget, nimirum *contr. Wujeck. p. 14.* (V) producit hoc stabilimentum, *qvod illud potissimum animadvertendum sit, in hac & similibus, & Wujecki & aliorum adversariorum objectionibus, subesse eam fallaciam, qvæ appellatur à secundum qvid ad simpliciter: qvia eum aliqva in re nostra de DEO & Christo fides, seu affirmando, seu negando convenit, cum qvorundam fide, qvi alioqvin detestabiles & habentur, & sunt, propterea simpliciter affirmant, nostrâ fidem cum illorum fide convenire &c:* ℞. (1) ex *Socinianorum* sententia *Ebionæi* nō errarunt, nec detestabiles fuerunt, ut *Smalz. de Error. Nov. Arian. p. 3* scribit: *Illi, qvi Ebion & Cerinthum damnarunt, certe errarunt, si sacræ scripturæ, & verbum Dei scriptum, normæ sunt:* & idem *Socin. adv. Volan. p. 255.* magis *Cerinthi*, qvam *Ebionis* sententiam à sua diversa esse fatetur. (2) assumimus hoc, qvod *secundum qvid* eos consentire concedat, qvod certe de *fundamentalibus dogmatibus* est dicendum, prout ex præcedentibus constat: ad communem enim denominationem, & aliqvam ab orthodoxis distinctionem, talis cum veteribus hæreticis consensus sufficere dicitur.

12. (VI) *Si omnino liceret propter convenientiam fidei alicujus cum fide alterius, qvi præcesserit in re aliqva, ab hoc illum denominare, nullus fuit tam turpis hæreticus, à qvo qvilibet ex adversariis nostris denominari jure non posset, qvippe qvod ejus fides cum illius fide aliqva in re conveniat.* ℞. (1) non *convenientia*, sed *discrepantia* discretivas parit appellationes: hanc igitur in errantibus attendere solemus, & debemus. (2) de *Papistis* illud Socino facile largimur, qvod cum multis hæreticis communia doceant. (3) dist. inter *consensum extra scripturam*, & *secundum scripturam:* non *hic*, sed *ille* parit novas, vel cum hæreticis vetustioribus communes denominationes. (4) *Dist.* inter *consensum in dogmatibus*, & *hypothesibus*, non tam *hic*, qvam *ille* respiciendus.

13. (VII) Deniq; urgent, qvod *Ebionæi dicti sint non ab homine, sed à paupertate, seu sterilitate doctrinæ de Christo.* Vid. *Ostorod. instit. præfat. p. 10.* ℞. (1) jam *Eusebius* d. l. hanc allusionem annotavit, non tantum respectu *sectatorum* & *discipulorum*, sed etiam ratione *præceptoris* & *inventoris*, nim. *Ebionæorum* & *Ebionis.* (2) *Ebionem certam personā* fuisse, clare satis ex historia patet. (3) *Unius positio nō est alterius negatio.* Sic enim non absq; omine dictus est *Ebion*, qvi sic abjectè, vel tenuiter de Christo, vel ejus doctrina sensit. Vid. *Dn. D. Calov. d. l.*



QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ

PRÆLIMINARES.

EX PRÆFATIONE CONFESSIONIS AUGUSTANÆ.

DISP. II. R. M. GEORGIUS FRIDERICUS MAGNUS, Posoniô-Hungarus.

DE

SCRIPTURA SACRA.

QVÆSTIO PRIMA.

An Scripturæ Sacræ certitudo sit infallibilis?

1.

CUm *Augustana Confessio*, tanqvam *Symbolum Ecclesiarum Orthodoxarum publicum, Scripturam Sacram* in omnibus articulis, ceu *doctrinæ salutaris principium* respiciat, & in ipsa *præfatione*, tanqvam *fundamentum*, eandem præsupponat; sicut *ex* §. *Cum igitur:* liqvido satis apparet, ubi disertis verbis Illustrissimi Confessores testantur, qvod *in veræ religionis causa suam & suorum Concionatorum Confessionem offerant, cujusmodi doctrinam EX SCRIPTURIS SANCTIS & PURO VERBO DEI hactenus illi in terris, ducatibus, ditionibus & urbibus Protestantium tradiderint, ac in Ecclesiis tractaverint:* ideo non sine causa nunc exordium *Dogmaticarum Controversiarum Socinianarum* à *Scriptura Sacra* facimus, cum inter *orthodoxos* & *adversarios* hosce multa, de qvibus controverti soleat, reperiantur.

2. Ut autem propius ad *qvæstionem* h.l præscriptam accedamus, prius ea, qvæ non veniunt in controversiam, hic removere placet. Non igitur qværitur (1) *An Sociniani Scripturam sacram penitus inficientur?* nam licet magis *sceptice*, qvàm *Theologicè*, de *Scriptura Sacra*, vel ejus *autoritate*, verba faciant, qvemadmodū præter alia non obscurè videre licet ex integro scripto *Fausti Socini, de Scripturæ sacræ autoritate*, & parum tribuant *libris* imprimis *Testamenti Veteris*, qvia juxta *Smalz. in refut. monstr. p. 79. parum curandum est, qvid dicat de cultu DEI Propheta Veteris Testamenti*; eò tamen audaciæ nondum progressi sunt, ut omnem *Scripturæ Sacræ* vel *existentiam*, vel *eminentiam*, negare voluerint.

3. (2) Nec qværitur de eo, *num Sociniani patefactionem aliqvam divinam asserant?* nam in scriptis suis omnino nonnunqvam, sed rarius *divinæ patefactionis* mentionem faciunt, etiamsi prolixè de *autoribus & autoritate Scripturæ sacræ*, vel, ut dicitur, ex professo tractationem instituere suscipiant, prout iterum ex integro libello de *Autoritate Scripturæ Sacræ* patet. Sic enim *p. 64.* scribit: *Cum religio neqvaqvam res naturalis sit, sed, si vera est, patefactio sit qvædam divina, non modo verisimile est, sed prorsus fieri non potest, ut religio illa, qvam DEus velit æternam esse, atq; omnibus gentibus communem, ipsius certissimo ac singulari jussu & opera, passim in orbe terrarum cujuscunq; generis hominibus prædicata non fuerit.* Sic etiam *Socin. adv. Palæol. p. 530.* fatetur, qvod *scripta Apostolica dictante Spiritu Sancto edita* fuerint. Verum, uti dictum, rarius *divinæ revelationis* mentionem faciunt, incidenter etiam saltem eam introducunt, & aliis hypothesibus parum *certitudinis*, & *autoritatis* Scripturis relinqvunt, unde *Socinus lib. de autor. script. c. 1.* ubi prolixe de *autoribus Scripturæ Sacræ*, eorumq; fide, differit *p. 6. & seqq.* ne semel qvidem *Spiritum Sanctum*, ejusq; *patefactionem introducit.*

4. (3) Nec disqviritur de eo, *annon aliqvam certitudinem, vel auctoritatem Sociniani libris sacræ scripturæ tribuant?* Nam hoc facilè largimur, cum eo respiciat totus iste libellus: sed ista vel *certitudo*, vel *autoritas*, potius est *humana*, qvam *divina*, qvod ex libri totius evolutione patescit, cumprimis ex caussis illis, qvas *p. 6.* recenset, & postea prolixe diducit: *Qvatuor sunt*, inqvit, *ut videtur, caussæ, cur jure dubitari possit de auctoritate libri cujuspiam. Prima est, si scriptor parum sit fide dignus, aut non ejusmodi, de cujus fide & scientia dubitari neqveat. Altera est, si revera scriptor ignoretur. Tertia, si constet, aut justa suspicio sit, librum depravatum fuisse, aut aliqvo modo immutatum. Qvarta verò & postrema, si non rejicienda testimonia adsint, qvod libro isti neqvaqvam sit adhibenda fides. Si igitur demonstratum fuerit, nullam ex prædictis qvatuor caussis locum habere in eo libro, qvi Novum Testamentum appellatur, jam monstratum utiq; etiam fuerit, injuria de ejus auctoritate dubitari.* Sic *p. 13.* libros *Novi Testamenti* saltem *majorem* alio qvovis libro *autoritatem* tribuit: *Dico igitur, qvod attinet ad repugnantias, aut diversitates, qvæ in Novi Testamenti scriptis inveniuntur,*

untur, nullam esse, qvæ aut non videatur qvidem vera, sed tamen non sit, aut, non in re sit parvi, sed potius nullius momenti. Qvæ videri tantum possunt, nec tamen sunt revera, ea sunt, qvæ ad doctrinam spectant: in qva non modo nulla vera in scriptis illis repugnantia aut diversitas invenitur, sed tanta est concordia & convenientia, ut vel hoc satis esse deberet ad conciliandum libro illi AUCTORITATEM MAIOREM, qvam qvivis alius liber habeat, ubi doctrina aliqva traditur. Vix enim, aut ne vix qvidem, scriptis unius tantum hominis, licet brevibus & paucis, tanta unqvam doctrinæ ubiq; concordia & convenientia reperitur, qvanta in eo libro, qvi ex tot diversis multorum scriptis constat.

5. (4) Sed qværitur *de certitudine divina*, eaqve ratione *objecti*, non eqvidem (*a*) de *certitudine divini ortus*, annon sic ortum divinum libri Canonici habeant, ut verbum merum DEI, nullum autem errorem, aut verum dissensum contineant? Nam scriptura sacra non *verbum hominum*, sed *verbum* DEI simpliciter continet. Falsum igitur est, qvod affert *Socin. lib. de autor. script. p. 14. fieri potuisse, ut alius alio talium rerum veritatem melius tenuerit, fortasse aliqvantum, aut etiam multum diverse alius ab alio scripserit.*

6. (*b*) Neq; de *certitudine Authentici textus*, qvem alias *Sociniani* pariter dubium reddunt, dum corruptelas concedunt, eumq; non authenticum faciunt, ut qvando *Socin. d. l. p. 26.* scribit: *Qvod si depravatio sit aliqvot locorum singularium, ex qvibus nec doctrina, nec historia mutetur, qvid nam hoc momenti habet? Autor. disp. contr. Iudæos respons. ad qvæst. 21. p. 111.* scribit; *multa vestigia corruptionis, vel depravationis Scriptorum culpa admissæ, in N. T. extare: & resp. ad qvæst. 24. p. 115.* dicit: *Cum Vetus Testamentum tot vulnera, sive per injuriam, sive per inscitiam librariorum acceperit, mirum non fore, si idem etiam scriptoribus Evangelii acciderit.* Et *Socin. in lect. sacr. p. 55.* ad illorum sententiam accedit, qvi volunt *LXX. Interpretum Editionem Græcam anteponi ipsi Ebraicæ, docentq; omni tempore aliqvid corruptionis à Iudæis male feriatis in suam ipsorum Editionem inductum fuisse, præsertim post Christi tempora,* adeoqve *si hodie aliqvid inveniatur in Hebraico Textu V. T. ab eo diversum, qvod citatur in N. T. ubi habita est ratio LXX. Interpretum, statuendum esse, veram lectionem potius eam esse, qvæ apud Scriptores N. T. legitur, qvam qvæ hodie in Ebræis Codicibus extat.* Et

p.97. in eam sententiam inclinat, qvod *syriacus Textus N. T.* alicubi sincerior sit, qvam *textus Græcus.*

7. *(c)* Neq; de *certitudine sensus verbalis*, qva ratione scriptura dicitur *certum sensum*, alienum ab omni prorsus *ambiguitate*, qvoad *intentionem autoris*, & *verborum conditionem*, gignere: contrarium itidem hic *Sociniani* fingunt, ut est apud *Schmalz. contr. Franz. p. 81. Nihil dubitandum est, Christum ita locutum fuisse studio, ut & hoc & illo modo verba ipsius intelligi possint, ut homines improbi, verba non considerantes, haberent, qvod speciose caperent: hic enim Christi mos fuit, homines improbos suis sermonibus qvasi intricare.*

8. *(d)* Neq; de *certitudine sensus realis*, cum *debita relatione ad ipsa mysteria*, qvæ propterea credere debemus, qvia vel semel, vel iterum, manifestis verbis in verbo DEI revelata fuerunt, secus atq; docent Sociniani apud *Socin. de Natura Christi p. 17. Si aliqva in divinis monumentis loca reperientur, ubi discrte scriptum extaret, DEum hominem factum fuisse, aut humanam carnem induisse, vel assumsisse, qvod tamen nunqvam in eis traditum reperies, non statim ita, ut sonant, verba accipienda essent, cum id majestati divinæ prorsus repugnet, sed ea ratione exponi deberent, ut per figuras, à loqvendi usu non penitus abhorrentes, & aptior sententia nobis constaret, & ipsa natura funditus non everteretur, qvod certe tunc semper fiet, cum divina oracula ita interpretabimur, ut inde aliqvid conseqvatur, qvod plane impossibile esse, & DEus & natura docuerit. Schmalz. hom. IIX. in cap. I. Ioh. Credimus etiamsi non semel atq; iterum, sed satis crebro & apertissime Spiritum extaret, DEum esse Hominem factum, multo satius esse, qvia hæc res sit absurda, & sanæ rationi plane contraria, & in DEum blasphema, MODUM aliqvem DICENDI COMMINISCI, qvo ista de DEO dici possint, qvam ista simpliciter, ut verba sonant, intelligere.*

9. (e) Neqve de *certitudine usus, sive verbalis, sive doctrinalis, sive spiritualis*, respectu cujus *Sociniani* pariter ab orthodoxia recedunt, cum *usum vocum incertum* fingant, ut est apud *Socin. de baptism. p. 24. doctrinam* pariter *incertam* reddant, ut ex *th. præc.* liqvet; & *fructum spiritualem* etiam absqve illuminatione, vel operatione Spiritus sancti statuant, soli rationi relinqvant, & sic prorsus incertum efficiant apud *Ostor. in Instit. p. 3.* Hæc & alia licet inter *Nos* & *So-*

cinia-

cinianos non parum controversa sint, hic tamen illa directè non attendimus.

10. (f) Sed agitur de *certitudine Status*, *An Scriptura Sacra qvoad statum proprium sit infallibiliter certa*, vel *an ejus certitudo sit infallibilis*, sive illa consideretur *ratione* DEI, qvia sic immediatam à DEO certitudinem, eamqve prorsus infallibilem possidet: sive *ratione sui*, sic *divina* prorsus *inspiratione*, *divini sensus informatione*, & *divina autoritate* gaudet, ac propter *infallibilem certitudinem in se* dicitur *principium primum*, αὐτόπιστον, ἀναπόδεικτον & ἀναντίῤῥητον; sive *ratione nostri*, qvia nobis etiam infallibiliter certum DEI verbum, cui certo credere, nosqve totos cum omni cognitione, fide & salute, tuto committere qveamus. Hic nos *Affirmativam* probamus, *Socinianis* autem *negativa sententia* placet.

11. Pro *nostra sententia* plurima fundamenta produci possent, nunc lectorem benevolum ad *Venerandi Dn.D.Calovii Socinism. Profl.g.* remittimus, qvi *sect. 2. membr. 1.* pro nostra parte X. rationes adducit, (1) *è natura Principii* (2) *è certitudine conclusionum Theologicarum* (3) *è certitudine conscientiæ in omnibus.* (4) *è natura fidei.* (5) *è certitudine gratiæ & salutis.* (6) *è conseqventi absurditate meri Pyrrhonismi.* (7) *à fine scripturæ* (8) *è causa infidelitatis* (9) *è scripturæ sacræ Efficientia & virtute* (10) *è documentis infallibilitatis Scripturæ sacræ.* Qvæ rationes pluribus expositæ d.l. legantur.

12. Qvod attinet *fundamenta sententiæ contrariæ*, magis στοχαστικῶς, διαλεκτικῶς & σκεπτικῶς illa, qvam διδακτικῶς in citato libello *de Autor. script.* proponuntur, sicut cuilibet ex evolutione patebit, nos illa potissimum adsumemus, qvæ directe nostræ sententiæ *cap. 5. p. 78.* opponere videtur, qvia colophonis instar illa lectoribus commendare voluit. *Visum est nobis*, inqvit, *antequam huic nostræ scriptioni finem imponamus, monere lectorem, eos, qvi, ut iis fidem adjungant, qvæ scripta sunt in veteri novoq; Testamento, ejusmodi argumenta & rationes postulant, qvibus nemo sese opponere, aut repugnare* qveat, qvæq; *unicuiqve ejus rei certam & indubitatam fidem faciant.* Hic *indubitatam* & *infallibilem* scripturæ *certitudinem*, ejusqve probationem immotam, adeoqve sic orthodoxam sententiam impugnat, *probabilitatem* solam infert, sicut *c. 4. p. 78.* concludit his ver-



bis : *Per ea, qvæ hactenus disputata sunt, arbitramur, satis demonstratum fuisse, MAIOREM FIDEM adhibendam esse libris Veteris & Novi Testamenti, sive qvod historiam, sive qvod ad doctrinam attinet, qvam plerisqve aliis libris soleat, eumqve, qvi illis fidem non adjungat, nulla probabili ratione inde deterreri.* *Dist.* tamen inter *Christianos*, & *non Christianos*, *illi* scripturam ut certam, *hi* prius ut incertam, *illi* tanqvam verbum divinum, *hi* tanqvam verbum historicum, *illi* tanqvam principium, *hi* tanqvam principiatum &c. recipiunt : in *illis* fides gignitur, in *his* opinio primum, post fides reqviritur : *illi* tanqvam διδασκαλίας, *hi* tanqvam παιδαγωγίας primum scripturam admittere tenentur. *Dist.* inter *argumenta primaria* & *secundaria* : dantur eqvidem *fundamenta* certitudinis scripturæ *secundaria*, qvæ *probabilia*, sed propterea non neganda, vel omittenda *primaria*, qvæ prorsus *infallibilia*.

13. Probat verò suam sententiam (I) *à natura veræ religionis in genere, quia tales indubitatæ certitudinis, ejusq; demonstrationis assertores ostendunt, se religionis naturam parum attente considerare, quæ ea est, ut qvemadmodum multi loqvuntur, fidei meritum reqvirat, sitq; hominum probitatis, tanqvam lapis qvidam lydius, præsertim verò ejus religionis, qvæ Novo Testamento continetur, de qva unâ ob causam, qvæ sæpius dicta est, satis est nos loqvi.* *Argumentum* esset tale : Qvicunqve certitudinem indubitatam, vel ejus fidem certam asserunt, illi religionis veræ naturam non considerant : ratio conseq. qvia religio vera meritum fidei reqvirit, & hominum probitatis est, tanqvam lapis qvidam lydius : *Lutherani* hoc faciunt, Ergo : ℞. (1) qvid per *fidei meritum* intelligat *Socinus*, luculenter nec indicat, nec explicat : qvid multi loqvantur, *Socinianis* alias non placet. Nobis *Lutheranis* nullum est *fidei meritum*; *si Papistarū fidei meritū* intendit, illud ἄγραφον, ἀντίγραφον, & fidei Christianæ non ἀνάλογον. (2) Si per *fidei meritum fides ipsa* notetur, & per *studium probitatis*, ejus *conseqvens*, sicut *fides* est *viva Iacob. II. 20.* & ἐνεργουμένη *Gal. V. 5.* in bonis operibus, verissimum est, qvod vera religio *fidem* & *studium probitatis* reqvirat, sed inde *medium religionis certum* & *indubitatum* non excluditur, verum includitur, imò præsupponitur : sicut enim *vera fides*, & *vera pietas* suam & habet, & habere debet certitudinem, cum *vaga fides* sit

ſit *nulla fides, vaga pietas* ſit *vana pietas,* ita certitudo pariter in utriusqve principio reqviritur: nihil enim *certitudinis*, vel *autoritatis*, ſive *dignitatis*, vel *perfectionis* alius, in *effectu* reperitur, qvod non antea fuerit in cauſa: hinc argumentum illud potius invertitur. Si *fides vera, certa fides, pietas vera, certa pietas*, ſeqvitur etiam, qvod ſcriptura ſacra ſit *certa*, vel *indubitata*, & nitatur etiam rationibus indubitatis. At verum prius: E. (3) *Diſt.* tamen inter *certitudinem objectivam*, reſpectu ipſius *ſcripturæ*, & *ſubjectivam*, reſpectu *voluntatis humanæ*: Scriptura *religionis*, vel *fidei* & *pietatis* eſt *lapis lydius*, ſed non omnes hoc lapide convenienter utuntur, nec omnes ad *fidem* & *pietatem* verè convertuntur: Illud *proprietatis* eſt, hoc *accidentis*, illud *effectus*, hoc *eventus*.

14. (II). *A natura religionis Novi Teſtamenti in ſpecie: Si Novi Teſtamenti ſcripta ejusmodi eſſent, ut nemo ulla ratione negare poſſet, ea eſſe veridica, neminem etiam fore, qvi non modo religionem non profiteretur in eis comprehenſam, id eſt, ſe eſſe Chriſtianum: verum etiam talis reipſa non eſſet, hoc eſt Ieſu Chriſto non obediret: Iam autem non omnes Ieſum Chriſtum profitentur, nec omnes ſunt veri Chriſtiani, vel Chriſto reipſa obediunt. Ergo.* ℞. (1) à *poſſe* ad *debere* non valet *conſeqventia*, non enim ſeqvitur, ſi propter argumenta certiſſima ſcriptura negari non *debet*, qvod inde negari non *poſſit*, aut ſi negari *poteſt*, qvod inde qvoqve negari *debeat*. (2) Nemo noſtrum dicit, qvod ſcriptura vel Novi, vel Vet. Teſtamenti cum ſuis fundamentis ita ſit comparata, ut nemo vel ulla ratione negare eam poſſit: nihil enim tam certum, & tam apertum eſt, qvod non poſſit vel in totũ, vel in tantum negari. Nam ipſe DEUS, qvi notiſſimus omnibus vel ex natura, ſicut adverſarii ſaniores inficiari non audent, à multis negatur, & ab aliis negari poteſt, ejus tamen & *exiſtentia* & *notitia* ſatis certa, ſatisq; certis nititur documentis. (3) *Cauſa vera* ſemper agit, ſed niſi impediatur: ſic etiã ſcriptura cum immota ſua certitudine ſemper in hominibus pareret indubitatum effectum, niſi homo reſiſteret, & efficaciæ ſcripturæ contra DEI voluntatem, & ſcripturæ ſpiritualem virtutem impedimenta poneret. Hinc à *certitudine ſcripturæ* non licet ad *certitudinem fidei*, vel *obedientiæ ſpiritualis, in nobis hominibus* argumentari: à *veritate cauſæ* non

licet

licet inferre semper *effectus veritatis*, nim. ἐνεργείᾳ, licet ἐνεργείας respectu, causa suas edat semper operationes.

15. Hoc autem argumentum *Socinus* porro confirmare nititur à *Novi Testamenti præmio*, qva ratione urget (a) *Præmii Christianorum magnitudinem. Nam præmium*, inqvit, *in libris N. T. propositum iis, qui Christo obedierint, adeo magnum est, adeoq; desiderabile, ut nemo sit, qvi ejus conseqvendi gratia, majora etiam iis non faceret*, qvæ *Iesus Christus præcepit (si modo majora fieri possunt) ubi compertum haberet, se præmium istud adepturum, ut certe haberet, si verissima esse crederet ea omnia, qvæ in Novo Testamento sunt scripta. Argumentum* foret tale: Si Christianæ fidei & obedientiæ maximum & desiderabile præmium propositum est, seqvitur, qvod omnes & profiteantur, & sint Christiani, si certissima sint argumenta, tale præmium notificantia. Sed verum prius. Ergo. ℞. (1) Confundit *certitudinem scripturæ* eum *certitudine fidei*, vel *obedientiæ nostræ*: de *illa* qvæstio loqvitur, de *hac* argumentm intelligitur. *Dist.* igitur inter *certitudinem objectivam*, & *subjectivam*. Hinc negatur *consequentia*, qvæ hoc modo corrigenda venit: si Christianæ fidei & obedientiæ maximum præmium propositum est, seqvitur, qvod *ex se* comparatum sit ita præmium istud, ut omnes ad fidem & obedientiam excitare possit, &, *quantum in se est*, sua virtute excitat. Hinc (2) dist. inter *excitationem causalem* & *eventualem*: excitat per verbum *causaliter*, sed *eventualis* excitatio, respectu *subjectorum*, non seqvitur. (3) *Dist.* inter jus, vel *debitum*, & *factum*: *de jure*, vel *ex debito*, propter præmii magnitudinem omnes credere deberent, sed *de facto* propterea non omnes statim actu credunt.

16. *(b) Præmii Christianorum certitudinem*, vel ipsum *bonorum & malorum discrimen. Ita* pergit, *nullum inter malos & bonos discrimen, existeret, nec ulla causa bene ac male agendi, eoq; nec virtutis remunerandæ, & vitii puniendi. Qvandoqvidem ex eo, qvod præmium, cum ab initio proponitur, incertum est, fit ut mali a nobis internoscantur. Qvi enim bonus, id est, probus est, & cogitatione ac voluntate ad eam faciendo propensus, qvæ justa & honesta sunt, atq; ejusmodi, qvalia IESUS Christus præcepit, aut saltem ab eis animo non est alienus, facile credit, qvæ audit de ingente præmio iis proposito, qvi ista fecerint, qvamvis id aper-*

aperte non videat, modo de eo spes aliqva appareat, & ita credens, omnibus viribus aggreditur, ut ista faciat. Qvi verò malus est atq; improbus, nec qvidqvam justis honestisq; rebus delectatur, earumq; similibus, qvæ à Iesu Christo præcepta fuerunt, aut certe ista parum curat, cum audit verba fieri de præmio iis proposito, qvi ea fecerint, qvó majus illud esse audit, eo minus credit. Quod si tamen propter magnas, quæ ejus sunt, conjecturas, aliquam ejus habet opinionem, ea infirma est adeo, ut efficere neqeat, ut is malos suos mores deserat, unaq; cum illis delectationem, aut honorem, aut utilitatem, quam inde vel sperat, vel jam experitur. ℞. (1) contrarium potius inde colligitur, qvia *præmium incertum* nullum *certum* post se trahit *studium*, nec ullum *certum exercitium*: sed qvæ certo promissa sunt præmia, licet cum difficultate conjuncta sint, tamen ad qvælibet opera difficilia sectatores cupidos excitare consveverunt. (2) *Discrimen* inter *bonos* & *malos Christianos* potissimum *à fide* sumitur; qvæ cum sit πληροφορία, πεποίθησις, παῤῥησία summam certè reqvirit *certitudinem* in verbo, cum ex auditu verbi proficiscatur *Rom. X. 17.* Et hæc *fides* bonos excitat etiam ad obedientiæ studium, sed *opinio*, vel *nuda persvasio*, seu *conjectura*, vel ejus generis alia, nec *fidem*, nec *obedientiam* excitare possunt, id qvod ipse *Socinus* fateri cogitur. [3] *Præmium*, qvod Christi fidelibus promittitur, est prorsus supra rationem, adeoqve nec cognosci, nec appeti, nec obtineri posset, nisi *verbum certum* in hominibus fidem operaretur: hæc autem *fides certa* una cum *certa præmii cognitione*, vel *expectatinoe*, verbi *divini certitudinem* præreqvirit.

17. (III) *A natura sapientiæ divinæ*, qvia *sapientissime* DEUS *voluit, ut præmium immortalitatis, id est, rei cunctis desideratissimæ, à se omnibus propositum, quicunq; Iesu Christo obedierint, humano generi, paucis quibusdam exceptis, qui nimirum fidem facere aliis possent eorum, quæ ipsi viderant, certum indubitatumq; ulla ratione appareret, & idcirco nequaquam fecit, ut Novi Testamenti scripta, in quibus ejus præmii apertissima sit mentio, quæq; de eo constanter affirmant, ejusmodi essent, ut nullo modo quisquam sese iis opponere posset.* ℞. (1) *Sapientiæ divinæ* potius consentaneum est, ut qvæ sunt divina, *certa*, non *incerta* sint, cum Deum & res divinas omnis *incertitudo* fugiat. (2) Deus *noster Pater* est, & nos in Christo, ceu filios, diligit. parentes autem ex

amore liberos, non *incertis*, sed *certis præmiis* ad obedientiam excitare consveverunt. (3) *Præmium immortalitatis* piis promissum, *in Christo fundatum*, adeoqve verè dicitur *certum* & *indubitatum*, cum omnes in ipso promissiones sint *Amen II. Cor. I. 20.* qvod multo magis de *nobilissimo præmio* dicendum erit. (4) Licet increduli, vel contumaces se scripturis clarissimis atqve certissimis opponere possint, & actualiter opponant, tamen hoc fit non ex *verbi DEI natura*, sed potius ex *cordis humani* vel *ignorantia*, vel *malitia*, vel *contumacia*.

18. (IV.) *A natura divinæ voluntatis*, qvia DEUS *satis esse voluit, si & hæc scripta, & alia, qvæ sunt, ejus præmii argumenta, ejusmodi forent, qvibus jure & possit, & debeat fides adhiberi, talia demum, ut ei, qui probus est, aut ita comparatus, ut probus facile evadere queat: ei verò, qui improbus est, & præ malitia sua probus fieri nequit, non sint satis: ut hac ratione illorum probitate detecta, horumq; malitia, justissimam causam habeat, hos quidem puniendi, illos verò præmio afficiendi: tum qvia ita convenire videtur: tum multo magis, ut hoc pacto in illis summam suam misericordiam, in his verò justam severitatem exerceat, in utrisq; autem admirabilem suam potentiam, supremumq; universitatis rerum, quod habet, dominatum atq; imperium infinita, immortaliq; sua cum gloria patefaciat.* (1) ℞. Hæc omnia *dicuntur*, non *probantur*: Ea proinde facilitate, qva producuntur, etiam rejiciuntur. (2) *Dist.* inter *voluntatem divinam* juxta *divinam revelationem*, & secundum *humanam speculationem* consideratam: *hæc*, qvæ cum *Calvinianis* communia fingunt de *voluntatis divinæ decretis Sociniani*, modo dimittimus, nec hic refellere debemus, cum alius sint loci. (3) *Verbum DEI unum* & *idem* bonis & malis proponitur, sicut idem *semen in viam, in petram, inter spinas & in terram bonam* spargitur *Luc. IIX. 5.* seqq. falsum igitur, qvod verbum DEI sit ita comparatum, ut *probis* satis esse, *malis* non satis esse possit.

QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum Scriptores sacri memoria labi potuerint, & actu qvoq; in libris sacris consignandis aliqvando lapsi sint?

1. In *Qvæstionis* hujus *statu* formando notandum est, qvod mini-

minime de *scriptoribus sacris* sermo sit (1) *ratione generalis conditionis*, qvatenus *homines* fuerunt: qvod enim homines labi possint, & actu qvoq; sæpius errent, illud ex humanæ natura corruptione liqvido satis apparet, cum ex sacris literis notum sit, qvod omnis homo mendax *Rom. III. 4.* (2) neq; *ratione conditionis specialis*, qvatenus fuerunt *Ecclesiastici Doctores*: nam Doctores etiam lapsibus humanis obnoxii sunt, & non ullum inter homines genus invenitur, cui magis insidias Diabolus struat, cum in ministris DEI seducendis lapidem omnem moveat, qvemadmodum exempla biblica & Ecclesiastica contestantur. (3) neq; *simpliciter ratione singularis conditionis*, qvatenus *Doctores θεόπνευστοι* fuerunt. Notum enim est, qvod *Doctores θεόπνευστοι* dupliciter considerari possint, I. *materialiter*, qvaten, aliqvando θεόπνευστοι fuerunt, & iterũ tales esse potuerunt, cum Spiritus S. pro libertate sua certa qvædam observarit tempora, & θεοπνοῆς admiserit intervalla, qvemadmodum *ex Haronis, Nathanis, Elisæi, Ieremiæ, & aliorum Prophetarum* exemplis est manifestum, qvi non semper divinum ad revelationes motum præsentem, sibiq; perpetuum possederunt, sed certis temporum intervallis eundem expectarunt & acceperunt, qvo pertinent phrases, verbum Domini factum est ad hunc, vel illum, Spiritus Domini venit vel irruit, super hunc, vel illum. Et ex *Nathanis II. Sam. VII. 3. & Petri Gal. II. 11.* exemplis apertum est, qvod viri *θεόπνευστοι, materialiter* considerati, suis etiam opinionibus, vel conjecturis indulserint: vel *formaliter*, qvatenus actu *θεόπνευστοι* fuerunt, & ex impulsu Spiritus Sancti revelationes suas protulerunt.

2. Hinc etiam porro non est *qvæstio* de *scripturis*, vel *epistolis* virorum *θεοπνεύστων humanis*, siqvidem varios alios libros edere, vel etiam epistolas in causis illicitis scribere potuerunt, sicut *literas Uriæ David* scripsit *ad Ioabum*, & *Salomon varios libros* consignavit *de rebus naturalibus*: sed de *scripturis vere, mereq; divinis*, qvæ ex singulari providentia divina, propter cœlestis veritatis revelationem, ad Canonem fidei, vitæq; referri debuerunt.

3. Nos *qvæstionis negativam* juxta rei veritatem defendimus, qvam *Venerandus Dn. D. Calovius in Socinism. proflig. de Script. Sac. contr. 2.* prolixè demonstrat (1) *ab autore scripturæ principali.* (2) *à θεοπνευστίᾳ scripturæ.* (3) *à directione Spiritus S.* (4) *à revelationis divinæ*

 infal-

infallibilitate. (5) à scripturæ sacræ fine. (6) à periculo suspicionis de veritate totiꝰ scripturæ. (7) ab absurdo, qvod tota scriptura non sit DEI *verbum. (8) ab incertitudine scripturæ sacræ universæ. (9) à defectu exempli. (10) à Confessione Volkelij lib. 6. de Vera relig. c. 9. p. 651. qvod tum singulorum fidelium, tum totius Ecclesiæ judicium ad certam aliqvam regulam ac normam conformari oporteat, si modo errare nolit: qvodq́; hæc norma omnium confessione,* DEI *verbum sit, & qvod* DEI *verbum absq́; erroris suspicione non aliunde, nisi ex S.L. de qvarum veritate universus Christianus orbis consentiat, peti possit: hinc* probat *Volckelius* illud *Augustini: Non oportet in tam sublimi autoritate judicare, etiamsi qvid inibi non lucet, qvoniam submittimus ei nostrum intellectum, certumq́; habemus etiam, qvod clausum est aspectibus nostris, rectè veraciterq́; dictum esse.*

5. Sed hoc non obstante *Socinus* cum aliis *affirmativam qvæstionis* tueri conatur *lib. de autorit. script. p. 14. fieri potuisse, ut alius alio talium rerum veritatem melius tenuerit, fortasse aliqvantum, aut etiam multum diversè alius ab alio scripserit p. 71 fieri potuisse, ut ipsi hac in parte nonnunqvam leviter errassent.* In *lect. Sacr. p. 79.* de loco *Matt. XXVII. 9. non esse falsitatem appellandam, ubi non modo lapsus tantum memoriæ esse potest, sed etiam is lapsus nihil rem mutat, & nihil falsi, qvod attinet rem ipsam, de qva qværitur, omnino inducit.* Inprimis autem in toto *libello isto de autor. script.* tales rationes adducit, qvæ *lapsus* & *errores* scriptoribus & scriptis sacris conciliare videntur. Qvantum eqvidem potest, emollire conatur absurdam sententiam suam, nunqvam autem eam sufficienter probare poterit. Occasionem autem hujus erroris desumit à *repugnantiis apparentibus:* Sic enim *pag. 13.* scribit: *Dico igitur, qvod attinet ad repugnantias, aut diversitates, qvæ in Novi Testamenti scriptis inveniuntur, nullam esse, qvæ aut non videatur qvidem vera, sed tamen non sit, aut non in re sit parvi, sed potius nullius momenti.* Qvod concernit apparentes contradictiones, de iis pergit: *Qvæ videri tantum possunt, nec tamen sunt revera, ea sunt, qvæ ad doctrinam spectant: in qva non modo nulla vera in scriptis illis repugnantia, aut diversitas invenitur, sed tanta est concordia & convenientia, ut vel hoc satis esse deberet ad conciliandam illam libro auctoritatem majorem, qvam qvivis alius liber habeat, ubi doctrina aliqva tradatur. Vix enim, ac ne vix qvidem scriptis unius tantum hominis, licet brevibus & paucis, tanta unqvam doctrinæ concordia & convenientia repe-*

reperietur, qvanta in eo libro, qvi ex tot diversis multorum scriptis constat. ℞. (1) qvod omnes *contradictiones*, vel *repugnantiæ*, qvæ sacris literis tribuuntur, tantum *apparentes*, non *veræ* sint, jam dudum est demonstratum. (2) *Apparentes contradictiones* non respectu *verbi*, sed respectu *nostri* tales dicuntur: nobis tales apparent, sed in verbo tales non sunt. (3) Falsum etiam, qvod *in re parvi*, vel etiam *nullius momenti* sint contradictiones, cum divina veritas in re nulla contradictiones admittat: veritas in omnibus sibi constat, sive magni, sive parvi sint momenti. (4) Si libri scripturæ sacræ *natura* saltem *eandem* habent *autoritatem* cum aliis scriptis humanis, licet *gradu major sit autoritas*, qvam qvivis alius liber habeat; tamen humana tantum est autoritas, & sic nec scripta, nec scriptores sacrarum literarum immunitatem ab erroribus habebunt: jam illud totidem verbis asserit *Socinus*: & sic immunitatem sacrarum literarum ab erroribus vehementer infringit, vel ad minimum dubiam & suspectam reddit.

4. (II) *Qvia repugnantiæ, aut diversitates, seu veræ, seu qvæ videri tantum possunt, qvæ in rebus sunt parvi momenti, eæ sunt, qvæ pertinent ad historiam.* ℞. (1) *repugnantiæ* in historiis etiam tantum *apparentes* sunt, æqve sicut in doctrinalibus, nec ulla vera contrarietas in sacris historiis occurrit. (2) *Dist.* inter *diversitates*, & *repugnantias* vel *contrarietates*: *illæ* reperiuntur in sacris historiis, *hæ* minimè: jam autem *hæ*, non *illæ* falsitatem arguunt. Hinc (3) *dist.* inter *diversa sine pugna* & *cum pugna*: non *hæc*, sed *illa* veritas admittit, sive divina sit, sive humana: unde historiam unam, vel alteram diversis circumstantiis notare, non est, vel ipsam historiam, vel ab alio notatas circumstantias negare, sed potius aliis circumstantiis rem eandem illustrare. (4) Non opus est, ut hic fingatur respectu divinæ veritatis aliqva *doctrinæ* prærogativa præ *historiis sacris*, cum historiæ sacræ qvoqve simplicem & infallibilem veritatem reqvirant, siqvidem una tantum DEI veritas, qvæ non potest sibi non constare: sive proinde circumstantiæ parvi, vel magni, sint momenti, DEUS in illis nec fallitur, nec falli potest, nec alios fallere cupit.

5. (III) *Ex autoritate Chrysostomi:* Qvia *hac in re nihil aliud est*

opus, nisi ea videre, qvæ scripsit Iohannes, qvi Chrysostomus est dictus, in proœmio commentariorum suorum in Evangelium Matthæi. Ubi si rectè memini, plene huic qvorundam objectioni respondet, contra auctoritatem nominatim qvatuor Evangelistarum, & fidem eorum narrationibus adjungendam. Summa est, eos nihil prorsus inter se dissentire in iis historiæ partibus, qvæ alicujus sint momenti. ℞. (1) *duo cum dicunt idem, non est idem,* juxta *vulgatum*: aliud qvando *Pater orthodoxus* aliqvid ex orthodoxa mente profert, aliud qvando *Doctor heterodoxus* ex hæretica mente qvædam profert. (2) Si qvis integrum B. *Chrysostomi* locum inspexerit, potius pro *consensu*, qvam *dissensu Evangelistarum* (de his enim ipsi sermo) ipsum disputare deprehendere poterit. (3) *Chrysostomus* loqvitur de *diversitate*, non de *contrarietate*, itemq; de *differentia* circumstantiarum, non de *repugnantia*, vel rerum, vel circumstantiarum. *Cum qvatuor sint,* Hom. 1. p. 12. inqvit, *qvi Evangelia conscribant, nec eisdem temporibus, nec in eisdem locis, neq; pariter congregati, & inter se conferentes, & tamen qvasi uno ore omnia pronunciant, sit hoc sine dubio veritatis qværendæ indicium. Verum è contrario, inqvis, ista res accidit: in multis enim dissidere redarguuntur. Imò hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim ad ungvem in omnibus consonarent, etiam usq; ad tempora, ac loca, ipsaq; adeo verba, nemo inimicus credidisset unqvam, eos non communi ad decipiendum consilio congregatos, qvasi ex humana qvadam conspiratione Evangelium condidisse. Non enim simplicitatis fuiße tam solicitam consonantiam judicarent. Nunc verò, qvæ* VIDETUR *in rebus exiguis Dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, & satis clare scribentium existimationem tuetur. Si verò aliqvid de temporibus, ac locis varie dixerunt, nihil qvidem dictorum obest veritati &c:* Et p. 13. *certe aliud est, diverso modo qvid dicere, aliud adverso.* Ex qvibus apertum, qvod B. *Chrysostomus* de *diversis*, non *adversis*, de *varietate*, non *contrarietate*, de *dissonantia*, non de *repugnantia circumstantiarum* loqvatur, qvemadmodum clarè satis idipsum indicat: nihil proinde *Socinus* patrocinii, pro *commento suo*, in verbis *Chrysostomi* reperire poterit. (4) Notum est, qvod ad eas leges neqve profani historici sint alligati, ut *simpliciter iisdem verbis, circumstantiis*, vel *aliis respectibus simpliciter identificatis*, historias

refe-

referant, cum pro *diversitate scopi, methodi, subjecti* &c: variare soleant, multo minus ea de scriptoribus & historiis biblicis libertas neganda venit.

6. (IV) *Qvia qvod in rebus minimis inter se differant, hoc non solum illis minuere, sed etiam augere debet autoritatem & fidem. Hinc enim apparet, eos non scripsisse qvippiam, ab ipsis communi consensu confictum, req; vera diversos scriptores fuisse, qvi rei gestæ veritate compulsi idem reipsa apertè scripserunt.* R. (1) Scriptura suam *autoritatem* & *fidem* hic nec à *convenientia*, nec à *differentia*, sed potius à θεοπνευστίᾳ habere dicitur: rectius igitur *Socinus* fecisset, si in hoc de *autoritate Scripturæ* tractatu semper ad θεοπνευστίαν respexisset. (2) à *diversitate circumstantiarum* non licet ad *differentiam*, multo minus ad *contrarietatem rerum* collectionem instituere: juxta *Chrysostomum*, ut notavimus, in *circumstantiis* datur *diversitas*, sed de *rebus* ipsis *Socinus diversitatem*, vel etiam *contrarietatem* asserit. (3) Sic etiam minime licet à *diversitate circumstantiarum* ad errores, vel etiam *memoriæ lapsus* argumentari, cum aliæ plures, eæq; graves subesse possint causæ, propter qvas Historicus in annotandis circumstantiis variet, & alias atq; alias circumstantias prudenter adducat, qvas non statim qvilibet lector observare potest. Tales autem *errores*, & *memoriæ lapsus* Scripturæ sacræ *Socinus* imputare conatur.

7. (V) *Qvia tantum in qvibusdam paucis rebus, & qvæ nullius sunt ponderis, differunt.* R. (1) à *differentia* rursus ad *repugnantiam* argumentari N. V. C. (2) *pauci errores* etiam *veri errores*, & *leves errores* etiam sunt *veri errores*: de DEO verò, DEIq; verbo nec paucos, nec leves errores concedere possumus, cum certum sit, qvod DEus omnis erroris & contradictionis, vel etiam veræ dissensionis expers sit, cum ipsissima veritas sit, qvæ sibi semper constat.

8. (VI) *Qvia fieri potuit, ut alius alio talium rerum veritatem melius tenuerit, fortasse aliqvantum, aut etiam multum diverse alius ab alio scripserit.* R. (1) à *posse* ad *esse* non valet *conseqventia*: multa fieri possunt, qvæ tamen non fiunt. (2) Falsum est, qvod hoc fieri potuerit, cum certum sit, qvod scriptores non *ex se*, sed *ex*

DEO

DEO, non ex *proprio conceptu*, sed ex *divinæ revelationis ac inspirationis motu* scripserint, qvia *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος II. Tim. III. 16.* nec *ex propria*, sed ex *divina voluntate* scripserunt *II. Pet. I. 21.* (3) inter *notitiam acqvisitam* & *infusam*: qvoad *illam*, alius alio veritatem rerum melius tenere potest, sed qvoad *hanc* qvilibet ita res tenet, qvemadmodum divina revelatio dictitat. (4) *Dist.* inter *scriptum ex humana scientia consignatum*, & *ex divina θεοπνευςίᾳ traditum*: libri biblici non ex *humana scientia*, qva veritatem unus alio melius, vel plenius tenere potest, sed ex *divina θεοπνευςίᾳ* traditi sunt. (5) ab *aliorum scriptione* ad *oppositorum*, vel etiam *errorum scriptionem* argumentari non licet.

9. (VII) *Qvia, hoc posito, Christianam religionem esse veram, nullo modo est verisimile, qvemqvam ex varietate qvapiam, aut etiam repugnantia, qvæ in rebus admodum levibus reperiatur in scriptoribus, qvi adeo antiqvitus, adeoq; communi consensu a Christianis sunt approbati, causam arrepturum, de fide, aut scientia illorum dubitandi in iis rebus, ubi inter se conveniunt, & in eo, qvod reipsa qvilibet eorum narrat, nisi aliunde ipsi constet, eos in his rebus interdum id scripsisse, qvod minime sit verum*, ℞. (1) licet ponatur, *Christianam religionem esse veram*, tamen non statim inde seqvitur, qvod sacri scriptores infallibiliter DEI verbum, ab omnibus erroribus vacuum, scripserint, cum non omne *verum* sit *infallibile*, sed etiam detur *verum probabile*, nec licet ab *objecto*, qvale *Christiana religio* dicitur, simpliciter ad *medium*, qvod *DEI verbum* est, argumentari. (2) Notum est, qvod alii qvoq; libri de rebus Christianam religionem concernentibus inveniantur, cum antiqvissima scripta *Patrum* extent, neq; tamen ab eorum *consensu* ad *infallibilitatem* & *errorum immunitatem* argumentari licet: idem ergo valebit de *libris biblicis*, qva ratione parem, vel non prorsus inæqvalem autoritatem cum scriptura consentientes libri Patrum obtinere poterunt, qvod falsissimum. (3) *Dist.* inter *scriptores, qvatenus ἀνθρωπόπνευςοι*, vel *διαβολόπνευςοι*, & *qvatenus θεόπνευςοι*: *priori* modo verè sunt erroribus obnoxii, *posteriori* minimè: licet igitur in aliis θεόπνευςοι scriptores erraverint, & verum, vel bonum minime scripserint, sicut *David* in literis *Uriæ* consignandis fecit, tamen hoc nihil præjudicii scripturis θεοπνεύςοις afferre potest, qvæ sunt & manent immunes ab omni errore.

QVÆSTIONES ANTISOCINIANÆ

Ex Articulo Primo

AUGUSTANÆ CONFESSIONIS

DE

DEO TRINUNO.

Disp. III. ℞. M. JOHANNES HEINRICUS Priester / Creilsheimensis Francus.

QVÆSTIO PRIMA.

An de DEO disserere difficillimi sit operis?

I.

B. *Franz. disp. 1. in Aug. Confess. q. 1. p. 1.* monuit, qvod secundum *Gregorium Nazianzenum* in orat. ad *Eunomianum, de DEO disserere, difficillimi sit operis,* imò frustranei pariter, & periculosi laboris. Causam ejus rei geminam adduxit (1) *qvia scriptura de DEO pro captu nostro cogatur uti vocabulis ex humanarum & mortalium rerum cursu & conditione petitis:* alioqvin divinissima non caperemus, sicut apparet in nomine יהוה qvod *Hebræi*, habent ineffabile, non tantum qvoad pronunciationem, sed etiam, & multo maxime, qvoad vim significationis, qvod DEus & essentia Dei, isto nomine indigitata, sit ἀνεξερεύνητος & ἀνέκφρασος & ἀκατάληπτος hominibus, teste Galatino. (2) *Qvod divinarum rerum* (vocabulis istis humanis ut cunq; adumbratarum) *notionem homines ex humanarum affectionum, actionum & circumstantiarum similitudine, per omnia metiri necessum habeant:* At secundum *August. c. 6. de cognit. vera vita,* DEUS nullis verbis nostris, qvæ à rebus humanis mutuo sumuntur, proprie exprimi, imò nulla tali cogitatione potest comprehendi. *Essentia* enim, *persona, generatio, infinitas, immensitasq; præsentiæ, potentiæ, scientiæ, bonitatis, vitæ,* in DEO, infinitis cœlis diversa, & aliena est ab illo, qvod in homine vocatur *essentia, persona, generatio, potentia, scientia, bonitas, præsentia, vita* &c: Unde plurimi decipiuntur, qvi essentiam, præsentiam ejusdem in locis omnibus, omniscien-

tiam, tres personas in essentia divina, generationem Filii ex essentia Patris, processionē Spiritus Sancti, ex essentiæ, præsentiæ, potentiæ, scientiæ humanæ modulis, & ex personis hominum æstimant. Probe igitur ante omnia inculcandum esse statuimus de consilio *Eliæ, Cretensis Episcopi*, ut in meditationibus Theologicis de DEO notas rerum inferarum, qvæ animis nostris impressæ sunt, prius & penitus aboleamus, & ut demum sensus nostros sobriè sub sacræ scripturæ *τὸ ῥητὸν* captivemus, adeoq; eo visu videre assvelcamus, qvo qvi vident, non homines sunt, sed ultra homines, ut *August. ait. l. 1. de Trin. c. 6.* Nisi hoc fecerimus, tum unguentis fragrantib9 cænum commiscebimus, omnemq; adeo fragrantiam tollemus, ut loqvitur *Nazianz.* & *Elias*, h. e. necessariò omnem contemplationem DEI, juxta purum modum scripturæ absolvendam, à prius impressis, seseq; subinde commiscentibus rerum humanarum notis perturbabimus.

2. Non placent illa *Smalzio, Socinianis* hypothesibus adsvero, propterea *refut. thes. Fr. p. 2.* hanc orthodoxæ antiqvitatis & aliorum Theologorum sententiam aggreditur. Prius autem, qvam ipsius *Smalzii* futilia, qvæ producit argumenta, paucis expendimus, nonnulla circa *statum controversiæ* præmittimus. Non autem qværitur (1) *De reipsa*, vel *an de Deo disserere, simpliciter, vel difficile, vel impossibile sit?* nam supposita plana, plenaq; scientia, nihil certe clarius, nihil pulchrius, nihil beatius, qvam de Deo, lumine prorsus infinito, verba facere. Nec ipsa notitia de DEO qvatenus in, vel per se, nim. objective, consideratur, qvicqvam obscuritatis, vel difficultatis, vel periculositatis, vel impossibilitatis complectitur. Ipsa notitia de DEO pulcherrimum lumen est, imò perfectissimum & purissimum lumen.

3. (2) Nec qværitur *respectu DEI, num de DEO disserere difficillimi sit operis ipsi DEO?* Non enim apud DEū ullum verbum est impossibile *Luc. I. 37.* & hac ratione nihil qvicqvam DEO vel est, vel esse potest difficile, sed DEO, respectu DEI, competit notitia comprehensiva *Matt. XI. 27. Nemo novit Filium, nisi Pater: neq; Patrem qvis novit, nisi Filius*, & *I. Cor. II. 10 Spiritus Sanctus omnia scrutatur, etiam profunditates DEI* & v. 11. *qvæ DEI sunt, nemo co-*

mo cognovit, nisi Spiritus DEI: sicut autem DEUS omnium perfectissime semetipsum novit, ita pariter omnium sapientissime de rebus divinis differit, & nihil ejus ipsi difficile, qvemadmodum ex sacris literis apertum.

4. (3) Nec qværitur respectu *Angelorum, num illis difficile sit de DEO disserere?* Nam angeli nunc vivunt in beatifica DEI visione, qvia semper vident faciem Patris cœlestis *Matt. XIIX. 10.* & in æternum nihil aliud faciunt, qvam DEum laudant, & nomen ejus celebrant, ac opera DEI magnificant, ac proinde non illis erit adeo difficile de DEO differere.

5. (4) Neq; *simpliciter* de *homine* hic est sermo: nam qvod attinet hominem, ratione *status integritatis* spectatum, illi certe difficile non fuit, de DEO rebusq; divinis differere, cum perfectam animi sapientiam non tantum in aliis, sed etiam de rebus divinis, sibi concreatam possederit; & si mansisset in hoc statu homo, perfectam ejusmodi conditionem, tum ratione cognitionis internæ, tum ratione differtationis externæ, qvoad DEum, & alias res divinas, imaginis divinæ virtute retinuisset: ratione *status glorificationis* homini qvoq; nulla tribuenda difficultas, de rebus divinis verba faciendi, cum in omnibus omnia DEUS ipse futurus sit *I. Cor. XV. 28.*

6. (5) Sed potissima qvæstio *de statu præsenti*, qvem nunc post lapsum homo vivit in hoc mundo, qva ratione tamē iterum non uno modo consideratur, si directe controversiæ status annotatur. Vel enim consideratur (a) *ratione meræ corruptionis*, sic homini non tam *difficile*, qvam *impossibile*, de DEO, rebusq; divinis vere, vel recte differere, vel etiam plane DEum cognoscere, id qvod veteres etiam Philosophi gentiles cognoverunt. *Plato* dixit: *DEum invenire haud facile est, intellexisse autem impossibile.* Et in *Timæo* scribit: *Autorem & parentem hujus universitatis invenire operosum est, & inventum fieri non potest, ut in vulgus commodis verbis efferas.* Et in Parmenide: *DEus neq; nominari, neq; dici, neq; cogitatione comprehendi, neq; cognosci, neq; ab ullo Ente sentiri potest:* unde cum *Simonides, ab Hierone* Rege rogatus, qvid DEus esset, spacium deliberationis aliqvoties multiplicasset, demum

 respon-

respondit: *Quanto magis cogito, tanto minus intelligo, qvid sit illud, qvod vocamus DEum.*

7. (b) Vel ratione *meræ revelationis divinæ*, qva ratione simpliciter in revelatione divina homo fidelis acqviescit, & doctrinam, cœlitus de DEO patefactam, simpliciter credit, nec ulterius in revelatorum habitudinem inqvirit, qva ratione non ipsi difficile, nec impossibile, DEum in verbo cognoscere, & de DEO ex verbo disserere, cum homo fidelis Spiritus Sancti ductum in his omnibus seqvatur, qvi fideles in omnem veritatem ducit Joh XVI.13. Utinam verò semper homo fidelis Spiritus Sancti ductum seqveretur, nullam ejusmodi difficultatem, vel periculositatem, vel impossibilitatem, metuere necessum haberet.

8. (c) Vel ratione *mixti status*, qvatenus videl. cognoscit DEI verbum, & ex eodem doctrinam de DEO, sed non raro propter connatas tenebras intellectus, & ad errores proclivitatem, ductum corruptæ rationis seqvitur, & posthabito Spiritus Sancti ductu, missoq; divinæ revelationis debito scrutinio, speculationib. suis indulget, qva ratione certe periculosum nimis est, sub tantis naturæ corruptæ tenebris, & variis imaginationibus ac speculationibus rationis, veritatis studium sectari, difficile rectam viam semper observare, & impossibile vere manet, in omnibus solam veritatis viam ambulare, cumprimis qvoad tremendum mysterium Deitatis, qvod certe mysterium mysteriorum est, abyssus profundissimæ & maxime abstrusæ cognitionis. Et de *hoc statu hominis* potissimum nunc qvæstio movetur, qvo respectu dicendum omnino, qvod *difficillimi sit operis, DEum vere cognoscere, recteq; de DEO disserere.*

9. Smalz. d.l. contrariam sententiam tueri conatur (I) *Qvia tantum hoc intelligatur de essentia DEI ficta: Franzius monet*, scribit: *qvod de DEO disserere, difficillimi sit operis. Si de DEI id essentia, qvalem sibi confinxerunt otiosi homines, intelligas, verum est: & non tantum difficile, verum etiam impossibile est, recte de ea disserere* ℞.(1) *Mysterium DEI Trinunius*, vel *unitrini* falsò dicitur figmentum otiosorum hominum, cum sit divinæ revelationis mysterium *Matt. XXIIX.19. I. Joh. V. 7.* (2) *dist.* inter *difficulta-*

culmatem ex parte objecti, & *ex parte subjecti*: ex antea dictis, & ex *Franzii* verbis, satis apertum, qvod magis respectus habeatur ad *difficultatem ex parte subjecti*, qvam ex *parte objecti*, cum ob *sui corruptionem*, ob *terminorum similitudinem*, & ob alia facili negotio homo ad vanas, & DEO non convenientes cogitationes dilabatur, vel ad minimum digrediatur, etiam in manifestis revelationibus. (3) *dist.* inter *objectum*, vid. *DEum*, ratione *suæ conditionis*, & ratione *divinæ revelationis*; licet impossibile sit DEum cognoscere, vel de DEO disserere, ratione *suæ conditionis*, qvæ dicitur *eminentissima*, tamen ratione *divinæ revelationis*, illud non est impossibile, sed ex parte subjecti potissimum difficultas oritur.

10. (II) *Qvia est facillimum, de DEO disserere:* Sic enim *Smalzius* pergit: *Sed si de DEO, qvatenus is se nobis patefecit, accipias, qvomodo id difficillimi operis esse potest? sinantur illa* (scilicet ficta) *& hæc tractentur sedulo ex sacris literis, & erunt omnia facilia.* ℞. (1) adsumimus hoc, qvod de DEO disserendum sit, qvatenus is se patefecit; jam autem se nobis patefecit, qvod sit *unus*, qvoad essentiam, & tamen verè *trinus Matt. XXIIX. 19. 1. Joh. V. 7.* (2) præsupponit falsam hypothesim, qvasi nobis etiam citra Spiritus Sancti specialem illuminationem omnia mysteria facilia sint intellectu & creditu, qvæ tamen hypothesis alibi refutata legitur. Vid. *Dn. D. Calov. de Script. S. in Socin. profl. m. 2 q. 1.* (3) *dist.* inter *doctrinæ per scripturas revelationem*, & inter ejus *ex scripturis tractationem: illa* sibi satis constat, & divinæ dicitur infallibilitatis *hæc* autem si non semper, tamen ex parte nostri plerumq; magna cum difficultate conjuncta.

11. (III) *Qvia de DEO disserere, facillimi est operis, at de Trinitate, difficillimi. Nam nec DEus est Trinitas, qvalem hodie vulgus Christianorum somniat, nec talis Trinitas DEus.* ℞. (1) qvod de DEO uno disserere, non adeo facilis sit operis, etiam *Philosophi* gentiles agnoverunt, prout *th. 6.* notavimus: si Patres lubentius audire vellet *Smal. Hilarius* inqvit: *Certe hoc est DEus, qvi cum dicitur, non potest dici: cum æstimatur, non potest æstimari: cum definitur, ipse sua definitione crescit.* (2) multo magis id dicendum est de Trinitate *Augusti. lib. 1. de Trinit. De hac re summa & excel-*

lentißima, cum modestia & timore agendum est, & attentißimis ac devotis auribus audiendum, ubi qværitur unitas Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti, qvia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius qværitur, nec fructuosius invenitur. (3) nullam aliam novimus ex sacris literis, qvam personarum Trinitatem, & talis omninò fidelibus in verbo DEI revelatur; nam Patrem, Filium & Spiritum S. unum esse, disertis verbis dicitur *I. Joh. V. 7.* dum autem unum sunt, eandem essentiam habent, & verum DEum, eumq; saltem unum inferunt: Patrem autem esse personam concessum, idem etiam a *Socinianis* de Filio conceditur: & Spiritum Sanctum esse veram personam, scriptura passim ostendit, & alibi hoc probatum.

12. (IV) *Ex rationis Franzii rejectione: In th. 5. rationem unam affert* (Franzius) *istius sui pronunciati, nempe qvod scriptura de DEO pro captu nostro cogatur uti vocabulis, ex humanarum & mortalium rerum cursu & conditione petitis. Hoc verò non est causam reddere ejus, cur difficile sit de DEO disserere.* ℞. (1) *Franzius* non tantum *unam*, sed *explicite duas rationes* allegat, *implicitè* plures subindicat, adeoq; satis pro instituto suam thesin confirmavit (2) falsum est, qvod hæc ratio non concludat: nam si nostra mens non est proportionata rebus divinis, nec adsunt convenientia nomina, sed scriptura vulgatis & usitatis nominibus utitur, ut ad captum nostrum se modo qvodam accommodet, seqvitur, qvod omnino difficile sit, de DEO disserere, *tum* ut scripturæ συγκατάβασιν semper attendamus, *tum* ut per viam eminentiæ semper ad res divinas adscendamus, *tum* ut conceptus nostros, & significatus verborum, qvoad res inferiores, convenienter dimittamus, *tum* ut verborum usitatorum, ad res inusitatas, applicationem rectius instituamus &c. Atqvi verum est *prius*: Ergo qvoq; *posterius*. Verum igitur est contra *Smalzii* pronunciatum; qvod *Franzius* causam reddiderit ejus, cur difficile sit de DEO disserere. (3) Ipse *B. Franz.* in *Vindic. contr. Smalz. th. 2.* observat, qvod *Smalz h. l. fall. compos. & divis.* commiserit, & *rationem totam* attendere noluerit: *Smalzius*, inqvit, *duas rationes meas, cur de DEO disserere, difficile esse scripserim, in hunc modum allegat,* (1) *qvod*

qvod scriptura de DEO utatur vocabulis, ex humanarum rerum conditione petitis. (2) *qvod homo divina capere non possit. Verum non hæc fuit sententia, qvam ipse valde exagitat, sed præter causam, dum primam rationem meam datam omittit totam. Thesi enim qvinta, cur de DEO, & præsertim de ejus infinitate, ubiqvitate & similibus internis proprietatibus ejus, difficile sit disserere, hanc rationem affero: qvod essentia DEI sit ἀνεξερεύνητος, ἀκατάληπτος,* & *ἀνέκφραστος; hominibus, nim. qvia in S.L. nec una syllaba nobis est revelata de interna essentiæ divinæ qvidditate. Imò DEus prorsus ἀσχημάτιστος nobis proponitur in S.L. & deniq; sacræ literæ, qvoad internam essentiam DEI, nobis omnia adimunt, dum nunqvam dicunt, qvid sit, sed potius, qvid non sit. Qvemadmodum igitur gustus non potest judicare de sono, qvia sonum non percipit, nec ad hoc est factus, ita nec homo de DEO disserere potest, qvoad internam ejus essentiam, & ad proprietates, ab interna essentia dependentes, qvalis est ubiqvitas, qvia nihil hac de re in S.L. nobis est revelatum* &c: plura vid. l. d.

13 (V) *Ex rationis inversione: Imo*, pergit, *hinc contrarium apparet, qvia scilicet scriptura de DEO pro captu nostro loqvitur, nos capere illud, & disserere de illo posse.* R. (1) *à posse ad esse non valet conseqventia:* hinc (2) committit *fallaciam ignorationis Elenchi*, qvia nunqvam illud negavit *Franzius*, qvod ex scriptura, pro captu nostro mysteria Deitatis exponente, eadem capere, & sic de iisdem disserere possimus: nam contrarium statim superius circa statum controversiæ monitum est: sed hoc in qvæstione versatur, num homini jam corrupto qvamlibet scripturam præviam habeat, sit facile, vel difficile de rebus divinis & abstrusis mysteriis disserere. qva ratione cuilibet apparet, qvod satis difficile sit, hoc ipsum recte præstare. (3) *dist.* inter *objectum* & *subjectum*: scriptura qvidem pro captu hominis mysteria Deitatis proponit, & exponit, sed homo non statim eadem sic, ut proponuntur, percipit: nam à traditione divina, non licet ad perceptionem humanam colligere: multa siqvidem obstant sæpius, qvo minus eadem homo percipiat, multo minus accurate cognoscat, & omnium

mini-

minime recte de talibus mysteriis differat, cum prudentia carnis sit inimicitia adversus DEum *Rom. IIX. 7.*

14. (VI) *Ex dicti I. Cor. II. 14. refutatione: Falsum est autem*, inqvit, *qvod porro ait Franzius, hominem divina capere non posse. Nam I. Cor. II. 14. Spiritus DEI scrutatur etiam profunda DEI. Spiritus autem DEI datur hominibus Act. V. 32. Luc. XI. 13. DEO obedientibus, & eundem orantibus: modo divina ea non nominemus, qvæ sunt vanissima hominum commenta, qvalia sunt omnia de Trinitate monstrosa dogmata.* ℞. (1) *monstrum* est hominis ipse Smalzius, qvi *dogma Trinitatis*, & alia *mysteria Deitatis, monstrosa dogmata* vocare non erubescit. (2) Spiritui Sancto in os contradicit, qvia *I. Cor. II. 14.* disertis verbis legimus, qvod *animalis non homo percipiat, ea qvæ sunt Spiritus DEI; qvod stultitia sint illi, & non possit talia cognoscere:* jam autem homo fidelis etiam, qvoad statum externum, animalis homo dicitur, & talis manet, qvamdiu in hac mortalitate subsistit. (3) à *Spiritus scrutinio interno* nullatenus ad *intellectum hominis* argumentari licet, cum *Spiritus* sit omniscius, homo verò densissimis ignorantiæ tenebris qvoad intellectum sit involutus. (4) *Dist.* inter *homines*, qvatenus *Spiritum Sanctum*, & qvatenus *Spiritum humanum*, vel *animalem* possident, qvatenus ductum *divinæ revelationis*, & *humanæ rationis* seqvuntur: non de *priori*, sed de *posteriori* respectu, potissimum hic est sermo.

15. (VII) *Qvia vocem Jehova esse ineffabilem, qvod pro confirmatione assertionis hujus Franzius affert, judæorum est commentum, ideoq; ad rei demonstrationem afferri non debebat: & falso nititur fundamento, qvod scilicet DEI essentia illo vocabulo indigitetur, cum potius voluntatis DEI immutabilitas eo indigitetur, ut etiam Brentius ea de re eleganter loqvitur in Com. super verba Exod. Ero, qvi ero.* ℞. (1) *B. Franzius* non dicit, qvod vox *Jehova*, qvoad *pronunciationem, sit ineffabilis*, prout *Smalzius* prætendit, sed qvod *Hebræi* nomen hoc tanqvam ineffabile *habeant*, jam aliud est, juxta *Judæorum sententiam haberi* pro ineffabili, qvod ipse *Smalzius* concedit, & aliud est, *ex sententia Franzii* vel *dici*, vel *esse*, ineffabile. (2) *Franzius* potius *significationem*, qvam *pronunciationem*, vocis *Jehova* respicit, qvando dicit, qvod *Etiam & multo maxi-*

maxime, *QVOAD VIM SIGNIFICATIONIS*, *sit ineffabile*: rationem evidentissimam ejus rei producit, qvia *DEus*, *& essentia DEI*, *isto nomine indigitata*, *sit* *ἀνεξερεύνητος* & *ἀνέκφρασος* & *ἀκατάληπτος hominibus*: de rebus autem *incomprehensibilibus* & *ineffabilibus* disserere, certe non est facile, sed maximè difficile. (3) Qvod vocabulum *Jehova* sit nomen *essentiæ*, vel ipsam *divinam essentiam* potissimum indigitet, commune *Philologorum* & *Theologorum* nobiliorum placitum est: hinc etiam ipse *Socin. adv. Wujeck p. 3 5.* concedit, qvod sit *nomen DEO proprium*: *Nomen Jehova*, scribit, *est nomen proprium*, *κύριος vero*, *seu Dominus*, *nomen appellativum*, *& idcirco vel ob hoc solum valde ineptum ad nomen Jehova exprimendum*. (4) *Dist.* inter *vocis significationem* & *applicationem*, qvoad *significationem essentiam DEI* notat, qvoad *applicationem* ad ejus *immutabilitatem*, *infinitatem & alia* nonnunqvam ab aliis refertur.

QVÆSTIO SECUNDA

Num detur cognitio DEI naturalis insita, vel congenita?

1. Circa *statum controversiæ* prius unum, vel alterum, notabimus, qvam adversariorum argumenta refutare velimus. Non autem loqvimur (1) de *cognitionis modo*, qvalis in adultis, iisq; semper non omnibus reperitur; sed *cognitione ipsa*, cujuscunq; sit illa conditionis: qvæstio siqvidem non *talem*, vel *talem*, sed simpliciter *aliqvam cognitionem* respicit. (2) neq; de *cognitionis actu*, vel *actuali notitia*, qvæ certe simpliciter omnibus tribui neqvit, cum in usu rationis consistat; hic autem non ab omnibus attenditur, sed à multis negligitur. vel de *potentiali cognitionis statu*, qvasi nuda sit *potentia cognitionis* in homine, qvæ potentia suo tempore per rationis actum & usum exserere se possit; sed potius de *cognitionis habitu*, qvi recensetur inter imaginis divinæ reliqvias, & cum toto suo qvodammodo dicitur ejusdem conditionis. (3) Qvod neutiqvam simpliciter de *qvavis notitia naturali* sit h.l. sermo, cum qvæstio saltem *insita*, vel *congenita* cogni-

tionis mentionem faciat, eamq; sic *acqvisita* contradistingvat. (4) qvod non de *perfecta*, vel *adaeqvata*, multo minus de *sufficienti ad salutem cognitione* soliciti simus, sed de *qvalicunq; saltem notitia naturali* qvæstionem intelligamus. Plura vid. in *Mataol. Synopt. Socinian. d.3. th.6. seqq.*

2. *Dn. D. Calovius* in Socinism. profligat. sect. 3. membr. 1. contr. 2. probat *connatam notitiam naturalem* (1) *è naturali legis observatione Rom. II.14.* (2) *è legis inscriptione v.15.* (3) *è gentilium descriptione Rom. II. 14.* (4) *è conscientiæ testificatione.* (5) *ex imaginis divinæ reliqviis.* (6) *è communibus notitiis de DEO.* (7) *è gentilium omnium consensu.* (8) *è Crellii suffragio.* Nam *lib. de DEO & Att. Div. c.5. p.47* hanc notitiam vocat *naturalem instinctum*; item *hominis proprium esse, divinitatis existimationem & religionem:* Item urget *perpetuum gentium vel omnium, vel saltem plerarumq;, etiam barbararum, circa DEI notitiam consensum*, de qvo p.48. scribit: *Necesse est, hunc consensum referre ad causam aliqvam toti hominum generi communem, cum effectus sit communis. Ejusmodi autem causa est, vel naturæ instinctus, vel traditio antiqvissima, à communibus humani generis parentibus profecta, vel deniq; magna rei ipsius, seu mavis, argumentorum, unde ea ab omnibus intelligatur, evidentia, ad qvarum causarum postremam, patefactionem divinam, miracula, cæteraq; divinitatis argumenta, omnibus exposita, referimus.* Hinc non refragatur, si qvis *DEI notitiam* ad *instinctum naturalem* referre velit: Si, scribit, *ad naturæ instinctum Consensum illum gentium retuleris, natura humano generi errores non insevit: ad veritatem illa, non ad mendacium nos finxit*: Hic autem *naturæ instinctus* non est nude *potentialis*, sed potius *habitualis*: qvi naturaliter nobis connascitur.

3. Qvod attinet contrariam *Socinianorum sententiam*, eam *Socinus* ipse *prælect. Theol. cap. 2. p. 3. seq.* confirmare conatus est, sed ejus fundamenta d.l. th. 13. refutavimus. Nam de *insita notitia* naturali scribit ille: *Recentior hodie sententia est, homini naturaliter, ejusq; animo insitam esse divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur, ac gubernentur, qvaq; humanarum rerum impri-*

imprimis curam gerat, hominibus consulat atq; prospiciat. Hanc sententiam nos FALSAM esse arbitramur.

4. Nititur autem *falsa hypothesi Socinus*, qvasi sententia hæc unice fulciatur apparenti opinione universali divinitatis. Sic enim l.d. pergit: *Hæc sententia non aliunde potius orta fuisse videtur, qvam ex eo, qvod videantur omnes homines opinione istâ divinitatis alicujus imbuti esse. Verum animadvertendum erat, ab initio ipso, cum homo creatus fuit, DEum se illi patefecisse, qvi primus homo, cum nongentis triginta annis vixerit, posteros suos facile divinitatis opinione imbuere potuit. Qvanqvam hac re opus non erat, cum ipse DEus non primo homini tantum, sed aliis subinde ex eo natis, sese variis rationibus patefecerit, qvemadmodum ex sacra historia clare liqvet.*

5. ℞. (1) Falsum est, qvod hæc sententia saltem hac *opinione* nitatur, qvia potius fundatur (a) *scriptura*: nam *Paulus Rom. 1.20.* disertis verbis dicit, qvod *τὸ γνωςὸν τῦ θεῦ* sit *manifestum in illis*, videl. gentibus, qvibus certe revelatio non contingit: & c.II.15. qvod *legis opus* [& sic etiam notitia DEI, qvæ legis est] *scriptum sit IN CORDIBUS gentilium, attestante conscientia.* (b) *in imagine divina*; hujus enim reliqviæ, qvoad aliqvam notitiam, in homine permanserunt: sic igitur homo naturaliter interius aliqvam DEI notitiam retinuit, qvia hæc notitia virtus imaginis divinæ, sicut alibi probatur. (c) *in ipsa natura*, qvæ satis aperta documenta notitiæ hujus suggerit, qvod multis ostendi posset, si modo vacaret. (d) *in humana conscientia*, qvæ testis est interior & infallibilis hujus notitiæ, teste *Paulo Rom. II.15.* Confer. *ib. 2.* (2) Falsum, qvod *opinio universalis de divinitate* sit *apparens* saltem, qvæ talis videatur, non autem *revera* sit, cum omnes gentiles in eo consentiant, *Existentiam Divinitatis* apud omnes in aprico positã esse, & ipsa *scriptura universaliter* dicat, *τὸ γνωςὸν θεῦ φανερὸν εἶναι*, esse *manifestum, clarum, perspicuum in ipsis.* (3) Confundit *Socinus revelatam* cum *naturali notitia*: *patefactiones*, de qvibus historia sacra agit, ad *revelatam*, non ad *naturalem notitiam*, pertinent (4) Falsum, qvod omnis Numinis internus sensus, & notitia fuerit *ex fama* tantum apud gentiles, cum etiam in infanti-

bus *opinio Divinitatis* hæreat, & apud illas qvoq; gentes perpetuo manserit, qvæ ludibriis, calumniis & blasphemiis traditiones Judæorum exceperunt.

6. Verum ut *Socinus* aliqvos sententiæ suæ prætextus inveniret, ideo rationes qvasdam colligere voluit, negans videl. *innatam naturalem DEI notitiam* his argumentis. (I) *Si divinitatis opinio cunctis esset naturalis, certe ea non esset ex fide: Atqvi eam ex fide esse, docet Epist. Hebr. XI. 6. cum ait: Sine fide neminem DEO placere posse: nam accedentem ad DEum, credere oportere, qvod DEus sit, & qvod remunerator sit eorum, qvi ipsum qværunt. Illud ex his verbis certum esse videtur, fieri posse, ut qvis fide, & sic opinione ista divinitatis careat, cum dicitur, sine fide neminem DEO placere posse. Unde concludendum est, opinionem istam non esse cunctis naturalem. Hocq; prima rationis locum contra receptam ista sententiam obtinebit.* ℞. (1) Nulla *Majoris consequentia*, qvia omnes *articuli mixti*, partim ex *natura*, partim ex *scriptura*, cognoscuntur: talis autem sententia de Numinis existentia (2) Male opponuntur in hac causa, qvæ certo respectu *subordinata* sunt in hac materia *natura* videl. & *scriptura*, seu *fides: naturalis* cognitio Numinis inchoatur, sed *fide*, mediante *scriptura*, consummatur. Hinc (3) *dist.* inter *notitiam naturalem* & *supernaturalem*, *inchoatam*, seu *imperfectam*, & *consummatam* vel *perfectam*, *confusam* atq; *distinctam*, *generalem*, & *specialem*, *historicam* vel *philosophicam* & *salvificam*: *prius* membrum loqvitur de *priori notitia*, *posterius* de *posteriori*; sic scopæ sunt dissolutæ. (4) Si tantum ea fide constaret, *DEum esse*, de qva *Heb. XI* agitur, seqveretur, omnes impios & hypocritas, etiam in Ecclesia, notitia Numinis externa carere: malè proinde ex *carentia fidei* ad *carentiam notitiæ* ratiocinatur Socinus. (5) *Dist.* etiam inter *medium adæqvatum* & *inadæqvatum*: *fides* non est *medium adæqvatum* omnis notitiæ divinæ, sed tantum *proportionatum salutari notititia*, de qva verba facit *Apostolus*.

7. (II) *Si divinitatis opinio cunctis naturalis esset, qvomodo Autor ibidem Heb. XI. ex eo, qvod Enochus DEO placuisset, niteretur probare, eum, DEum esse &c: credidisse? profecto arguit ejus-*

modi

modi opinionem non esse naturalem, id est, fieri posse, ut qvis eam suo animo non conceperit. Nam qva naturalia sunt, necessaria etiam omnino sunt. ℞ (1) agitur loco dicto non de *opinione qvavis*, sed de *fide salvifica*, non de *notitia naturali*, sed *spiritnali*, vel *salutari*: hæc igitur ἀπροσδιονύσως urgentur. (2) Talis *connexio textus*, qvalē hic Socinus affert, in *contextu* nuſpiam apparet, qvod satis evidens. (3) *Dist*. inter *notitiam generalem naturæ*, & *specialem gratiæ*, qvæ posterior *complacentiam DEI* conjunctam habet, cujus textus meminit: hanc autem geminam notitiam rursus ipse Socinus confundit. (4) ἀναχολύθως procedit, qvia neutiqvam seqvitur: Ejusmodi *opinio*, qvæ fuit *Enochi*, diciturq; *specialis gratia* & *complacentia, vera fidei* &c: non est *naturalis*; Ergo nulla datur *notitia DEI naturalis insita*, vel *congenita*: nam ab eo, qvod *secundum qvid* dicitur, negato, non licet ad *simplicem negationem* argumentari.

8. (III) *Qvia Sacræ literæ testantur, aliqvos esse, qvi DEum esse non credant Ps. l. X. 4. XIV. 1. LIII. 2. qvos etsi stultos appellant, non tamen naturales animæ facultates, sensumq; communem eos destituisse, significare volunt, sed veræ sapientia eos prorsus carere. Vera autem sapientia minime naturalis est, sed ratione aliqva comparatur, cujus rei testimonia per totam scripturam obvia sunt ubiq;*. ℞. [1] scriptura locis allegatis non loqvitur de *hominibus* qvoad *naturam*, sed qvoad *malitiā*, eamq; non *connatā*, sed *affectatam* [2] hinc neq; de *notitia*, sed de *malitia* verba facit: [3] Verba non tam *ignorantiam*, qvam *Negationem* inferunt, eamq; *contra conscientiam affectatam*, qvæ Numinis cognitionem non excludit, sed potius includit. [4] Impius id dicit *lingva*, sed non ignorat *conscientia*. [5] Dicit non *ex corde*, sed *in corde*, non qvoad *naturalem cordis ductum*, sed qvoad *pravum cordis votum*: in *corde SUO*, qvatenus affectatâ malitiâ plenum est; *dicit*, id est, *optat*, non esse DEum, scelerum judicem ac vindicem. [6] Deniq; magis *divinam providentiam*, qvam *DEI* vel *essentiam*, vel *existentiam*, *malis operibus* atq; *votis* suis impium negare, & ex verbis, & ex factis, colligitur.

9. (IV) *Qvia non tantum homines singuli, sed etiam integri populi hodie inveniuntur, qvi nullum penitus sensum, aut suspicionem divinitatis alicujus habent. Hi sunt in novo occidentali orbe, in Brasilia provincia, ut historici tradunt, mihiq; vir fide dignus sancte affirmavit, qvi in ipso loco aliqvandiu fuerat. Sed alibi qvoq; ejusmodi gentes reperiri, Indiæ recens historia testatur* ℞.(1) qvod attinet *homines singulos*, nihil probationis affert *Socinus*: (2) posito, qvod daretur unum, vel alterum subjectum, ex casibus aliis id contingeret, qvæ *natura instinctum* impedirent. Sed ab *actu secundo negato*, non licet ad *actus primi negationem* argumentari.(3) qvod concernit *populos integros*, facilius id dicitur, qvam probatur. Nos *Socino Crellium* opponimus l.d. p.47. *Primum occurrit perpetuus gentium vel omnium, vel saltem plerarumq;, etiam barbararum, in eo, qvod hic defendimus* (loqvitur autem de notitia DEI naturali acqvisita) *consensus. Adeo enim omnibus, qvorum memoria extat, seculis in eo consensere terrarum populi, ut crederent, Numẽ extare aliqvod religiose colendum, ut maluerint alii vel astra, vel belluas, vel deniq; ligna, aut lapides, pro Diis colere, qvam nullum Numen, nullam religionem agnoscere. Itaq; varietas qvidem fuit sententiarum de Numinis Natura, de Numero, de ratione ac modo colendi: sed in tanta tamen varietate consensus hic fuit, DEum esse aliqvem, qvi sit religiose colendus. Licet autem hodie populi reperti sint, in qvorum aliqvibus nulla propemodum videatur extitisse de divinitate opinio: tamen longe plures fuerunt reperti, in qvibus divinitatis opinio extitit; licet alias barbari essent, & ab humanitatis cultu alieni. Deinde testantur historiæ, eas nihilominus gentes, in qvibus divinitatis opinio videatur extitisse nulla, dæmonem habere aliqvem, qvem metuant, &, ne noceat, revereantur, id qvod nobis hic plus, qvam satis est. Est enim & hoc divinitatis ac religionis, qvanqvam in contrarium detortum, vestigium. Non mirum autem cæteroqvin est, homine barbaros, qvi humanam & qvodammodo naturam exeverunt, & belluinam qvandam feritatem induerunt, id perdidisse, QVOD HOMINIS PROPRIUM est, nempe DIVINITATIS EXISTIMATIONEM & RELIGIONEM. Sine intellectu enim nulla de Numine opinio, nullus religionis sensus est. Itaq; in belluas ea res non cadit; ac porro illis non admodum convenit, qvi in belluas fere abierunt. Qvî ergo factum,* ut in

ut in populis ad externam etiam rabiem prolapsis, aliqvod tamen divinitatis ac religionis remanserit vestigium? Ad qvamcunq; causam hunc Gentium consensum retuleris, veritatem ejus, qvam tuemur, causæ deprehendes. Ex qvibus apparet, qvod *Crellius instinctum naturalem* satis clare concedat, eamq; disertis verbis, tanqvam *universalis consensus* de DEO *fundamentum*, supponat: hic autem *instinctus naturalis* non erat *actualis*, qvia talis actualis instinctus etiam, juxta Crellium, non in omnibus invenitur, sed in multis varias ob caussas impeditur: nec erat *nude potentialis*, qvia potentia cognoscendi talem consensum neutiqvam instar fundamenti simpliciter inferre potest, & hæc potentia perficitur demum, in actu, nec instinctus per se dicitur: manet igitur, qvod *habitualis notitia* sit omnibus insita, vel congenita.

10. (V) Ultimo rationem aliqvam, ex *Ostorod. Instit. cap. 1. p. 10.* subjicimus, qvi licet, ut ex verbis, & scopo, vel aliis indiciis apparet, loqvatur ibi de acqvisita notitia per creaturarum contemplationem, tamen inter alia generalem rationem allegat scribens: Man vermeinet solches zu beweisen aus dem / daß GOtt den Menschen zu Seinen Bilde Geschaffen hat / so thuts doch nichts zur Sachen / wie solches zuersehen aus der Disputation von freyen Willen c. 33. ℞. [1] qvod de libero arbitrio non tantum alii *Socianorum* varios errores foveant, sed etiam eosdem l. d. *Ostorodo* proferat, facilè largimur, camarinam autem illam modo neutiqvam commovere volumus. [2] multum facit ad insitæ notiæ DEI naturalis confirmationem imaginis divinæ collatio, qvia creatio hominis ad imaginem divinam vere naturalis est: jam autem à *naturali statu totius* ad *naturalem statum partis*, optima conseqventia, qvia partes sunt in toto, vel etiam de natura totius: pars autem imaginis divinæ sapientia dicitur, qvæ naturalis homini fuit, licet hoc Sociniani contra scripturam concedere nolint, ut est apud S*malzium* contra *Franzium* p. 44. qvando scribit: *Ista sapientia rerum divinarum, & sanctimonia, qvam Adamo ante lapsum tribuit Franzius, una cum aliis, idea qvadam est in cerebro ipsorum, nata, de qva ne γρῦ qvidem in Sacris literis*: & naturaliter etiam

etiam ad objecta sua, cumprimis autem DEum relata fuit hæc sapientia. Falsum etenim est, qvod contendit *Socin. lib. de stat. prim. hom. cap. 4. p. 115. 119.* & *c. 6. p. 197.* & passim alibi, nimirum Adamum tanta laborasse ignorantia, ut partim bestiarum, partim conjugis ignorarit naturam, nec nisi sensibus subjecta cognoverit, qvæ qvilibet, qvantumlibet stupidus cognoscere potuisset: partim vim arboris vitæ non perspexerit, imò cum ipse mortalis fuerit, se tamen mortalem esse nesciverit: multo minus igitur juxta Socinianos aliqvam DEI notitiam habuit: cum vero certum sit, juxta scripturam, qvod & *Sociniani* non audet negare, qvod Adam ad imaginem DEI conditus sit *Gen. I. 26. 27.* & præterea notum, qvod imago DEI non ignorantiam concedat, sed potius sapientiam reqvirat, ex eo facile colligitur, qvod *Adamus* veram sibi concreatam sapientiam habuerit, cumprimis qvia fuit intellectu præditus, qvi certe neutiqvam rasa tabula fuit, sed habitibus pulcherrimis repletus: nulla verò melior sapientia dicitur, qvam DEI notitia, cum DEum nosse sapientia perfectissima sit, ideo nullo modo cognitio DEI vel potest, vel debet Adamo denegari: nam in medio sole cæcutire dicitur *Smalz. libr. de Vero & Naturali DEI Filio p. 60.* qvi statuit, *Adamum ante peccatum instar infantis*, suarum etiam rerum ignarum fuisse, *qvi qvid esse, nudum esse, scire non potuerit*: & certe si primus homo tanta vel divinarum, vel suarum, vel aliarum rerum ignorantia laborasset, multis modis in prima perfectione sibi concreata corruptis hominibus, jam sub mediis peccatorum tenebris constitutis, ineptior & imperfectior extitisset, qvod minime concedendum, cum DEus omnia viderit, qvæ fecerit, & ecce valde bona fuerunt Gen. I. 31. imò præ aliis hominem rectum & perfectum, non tantum in aliis, sed etiam qvoad mentis conditionem produxit *Eccles. VII 30.* Et licet imago DEI hodie per & propter lapsum deperdita sit, reliqviæ tamen ejus adhuc in nobis existunt, reliqviæ vero imaginis divinæ sunt itidem de natura totius, adeoq; sic in homine naturalis insita notitia DEI reperitur, cujuscunq; sit illa conditionis, cum facile largiamur, qvod ob intellectum obscuratum, maxime sit corrupta, vel obscurata.



QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ

Ex Articulo I.

AUGUSTANÆ CONFESSIONIS

DE

DEO TRINUNO.

Disp. IV. ℞. M. ANDREAS ADAM Engelhardt, Gunzenhusâ-Francus

QVÆSTIO PRIMA.

An doctrina de Trinitate personarum DEitatis salutifera sit?

I.

CIrca *qvæstionem ipsam* observabimus (1) qvod *dogma* de *Trinitate* sudes in oculis sit *Socinianis*, unde variis, & tantum non blasphemis scommatibus illud rudioribus suspectum reddere conantur. *Dudith. Epist.* ad *Lasicium b.2* vocat *DEum tripersonatum c.1. Augustinum* dicit *Trinitatis architectū c.2 Somnia*, scribit, *loquimini, somnia creditis. Nam non nisi ex somnio nata est hæc vestra adoranda Trinitas, qvæ dormienti Ignatio per qvietem observata, ut Socrates refert c.3. ex somnio patre edita Trias.* Socin. in instit. p. 11. *qvod nihil vel absurdius, vel impossibilius, vel deniq; divinis ipsis testimoniis repugnantius, excogitari possit.* Schmalz. de Err. nov. Arian. p. 49. *crassum dogma, ex variis Ethnicorum sophisticationibus, non ex Evangelio natum.* Vid. contr. Franz. p. 2. 4. 9. 10. 12. 112. &c: (2) Qvod in hac qvæstione non de *notionib9*, vel *terminis*, sed de *dogmatibus*, vel *rebus ipsis* sermo fiat: *nomina* siqvidem, qva talia sunt, nullius *efficaciæ*, multò minus *efficaciæ salutiferæ* dicuntur. (3) Qvod non de qvalibet *trium personarum tractatione*, qvalis apud gentiles etiam reperitur, sed de *vera S.S. Trinitatis cognitione* & *confessione*, qvæ in sacris literis traditur, h.l. sermo fiat. (4) Qvod doctrina de *Trinitate* non ut dogma παῤῥα παράδοξον, *è Patrum traditione* profectum, sed ut firmissimis documentis in scripturis revelatum, hoc loco sit consideranda. (5) Qvod *Confessio Trinitatis* more *Photinianorum* doctrinæ de *Unitate essentiæ* non opponenda, sed conferenda sit, & utraq; simplici fide cre-

 den-

denda. Et sic verè confitemur, & firma fide credimus, doctrinam de *Personarum Trinitate* verè salutiferam doctrinam esse.

2. Opponit se thesi nostræ *Cathechesis Racoviensis p. 48.* qværens: *Ostende mihi, qvomodo notitia de unitate personæ ad salutem utilis sit?* **Zeige mir/ wie die Wissenschafft/ daß nur eine Person sey/ zur Seeligkeit sehr nützlich sey?** ℞. (1) notandum, qvod non loqvatur de *unitate essentiæ*, qvam nos confitemur, sed *personæ*, cum *Sociniani Trinitatem personarum* prorsus inficientur. (2) *dist.* inter *unam personam absolutè*, vel *exclusivè* sumtam, qvam asserunt *Sociniani*, qvod tantum una persona sit, & *relativè*, vel *inclusivè*, consideratam, qvam orthodoxi statuunt, cum sic unitatem personæ credant, ut reliqvas ad hanc unam. videl. Patris, personam referant. (3) qvando *Catechesis* dicit, notitiam de *una tantum persona*, saluti proficuam esse, simul innuit, doctrinam de *personarum Trinitate saluti noxiam* esse, sicut ex seqventibus apparet, & passim aliàs *Sociniani* profitentur.

3. Respondet *Catechesis* ad hanc qvæstionem: **das kanstu leicht daher vernehmen / so du betrachten wirst/ wie schädlich unser Widerpart** (orthodoxos intelligunt, eorumq; de Trinitate Confessionem) **Meinung sey. Denn (1) kan dieselbe den Glauben von Einigen GOtt schwächen / wenn sie einmal sagt / GOtt ist einig/ und das andermal/ das drey Personen sind / welche eine jegliche der Einige GOtt ist.** ℞. (1) à *posse* ad *esse* non valet conseqventia, qvia non seqvitur, confessio Trinitatis *potest* infirmare fidem de *Unitate DEI*: Ergo statim eandem infirmat. (2) Falsum est, qvod *possit* Fides Trinitatis infirmare fidem Unitatis, cum utraq; sit dogma fidei Christianæ primarium, in sacris literis traditum: fides autem sibi ipsi non est adversa. Qvod autem fides Trinitatis sit dogma primarium fidei Christianæ, patet ex *Matt. XXIIX. 19. I Ioh. V. 7. Ioh. XVII. 3. &c: Dist.* inter *fidem Trinitatis sibi relictam*, & *Socinianis hypothesibus infectam*: *illa* consonat *unitati*, *hæc* verò per rationē eidem contrariari videtur (3) Male *opponuntur*, qvæ sunt *coordinata*: Credimus *DEum unum esse*, & *unitas essentiæ fidei* dicitur *articulus Deut. VI. 4. &c:* Credimus, *DEum Trinum esse*, & *dogma Trinitatis* itidem constituitur *articulus fidei*. Male proinde fidei articuli sibi mu-

bi mutuo opponuntur, ut ita *dist.* sit inter *contradictionem veram* & *vanam*: vera contradictio respectus identitatis in terminis attendit, qvod h. l. minimè fit à *Socinianis.* DEus enim *unus* est non *persona*, sed *essentia*, *Trinus* est non *essentia*, sed *personis*.

4. (II) Zum andern verdunckelt sie die Ehre des einigen GOttes / welcher nur allein ist der Vater unsers HErren JEsu Christi / dieweil sie dieselbe jemand anders / der nicht der Vater ist / zueignet. R. (1) *Confessio Trinitatis* non *imminuit*, sed *auget DEI gloriam*, sicut ipse Christus ostendit *Ioh. V. 19. seqq. Amen, Amen dico vobis: non potest a se facere filius qvicqvam, nisi qvod viderit Patrem facientem: Quæcunq; enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & filius, qvos vult, vivificat: neq; enim Pater judicat qvenqvam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qvi misit illum.* (2) notum, qvod *gloria DEI* sit *attributum essentiale*, non igitur *Patri solum* in *respectu ad reliquas personas*, sed *Patri soli in relatione ad creaturas* tribuenda, qvia reliqvæ personæ cum Patre sunt unus essentia DEus *Ioh. X. 30. I. Ioh. V. 7.* Filio igitur, vel Spiritui Sancto, qvando gloria divina tribuitur, alteri personæ, non alteri essentiæ, vel DEO tribuitur. (3) Filius, *gloriæ divinæ particeps*, qva DEus est, & omnium entium classes eminenter cum Patre transcendit: Pater igitur, qva DEus, à consortio gloriæ Filium sibi, qvoad Deitatem, ὁμοούσιον non excludit.

5. (III) Zum dritten / kan sie den Weg zur Seeligkeit leichtlich umbkehren / sintemal sie nicht zugiebet / daß man wohl verstehen könne / welcher da sey der erste Anfänger / oder Würcker der ewigen Seeligkeit / und wie sie Gott durch seinen Sohn und heiligen Geist würcke. R. (1) Falsum, qvod mysterium Trinitatis salutis viam evertat, cum potius eandem nobis aperiat ac ostendat, & Pater, Filius & Spiritus Sanctus, unus verus DEus, salutis nostræ sit autor, & ipse Spiritus Sanctus per Evangelistam testatur ex ore Christi *Ioh. XVII. 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & qvem misisti IEsum Christum.* (2) Primus autor sa-

 lutis

lutis DEus eſt, hoc eſt, tota Sacroſancta Trinitas, qvia ſalutis negotium eſt ***opus externum***, vel ***ad extra***, ſicut vocatur, qvod omnibus tribus perſonis commune, licet DEUS Pater per Filium & Spiritum Sanctum noſtram ſalutem operetur, hæc tamen ***operatio*** non eſt ***ſejuncta***, ſed ***conjuncta***, imò ***conjunctiſſima***, non eſt ***mediata***, ſed ***immediata***, non ***ſubordinationis***, ſed ***identificationis***, cumprimis ratione divinæ virtutis, non reſpectu Patris ***Principalis***, reſpectu verò Filii & Spiritus Sancti ***inſtrumentalis***, ſed ſimpliciter reſpectu omnium trium perſonarum eſt, & manet ***operatio principalis***. (3) licet plane non intelligamus hoc myſterium, cum non ſit ***objectum rationis***, ſed ***revelationis***, tamen firma fide credendum, cum myſteria nec intelligi poſſint, nec debeant.

6. IV. **Endlich iſt Sie bey den Ungleubigen eine groſſe hindernüs den Christlichen Gottesdinſt anzunehmen/ dieweil Sie ſolche Sachen affirmiret, die da Gottes Warheit/ und der Vernüfft/ zuwieder ſind/ von welchen Dingen allen die Meinung/ die nur eine Perſon in der Gottheit bekennet/ frey iſt.** ℞. [1] ***Fides*** noſtra non ex ***judiciis hominum incredulorum***, ſed è ***teſtimoniis divinorum ſcriptorum*** dependet: hæc qvia dogma Trinitatis enunciant, ſalutiferum hoc eſſe cenſendum. [2] ſicut ***fides*** & ***infidelitas*** adverſa ſunt, ita fidei capita judiciis infidelium oppoſita ſunt: hinc potius invertitur, illud argumentum [3] ***diſt.*** inter ***infideles materialiter*** & ***formaliter*** conſideratos: ***materialiter conſideratis infidelibus*** Trinitatis myſterium non eſt impedimento, cum ſemper ad Eccleſiam Catholicam & Trinitatis confeſſionem plurimi converſi ſint. [4] ***Diſt.*** inter ἀληθῶς & φαινομένως ***contraria***. Falſum hoc, qvod dogma Trinitatis ſit veritati divinæ contrarium, cum ſæpius in Veteri & Nov: Teſtamento ſit revelatum. (5) Falſum itidem, qvod ſanæ rationi ſit contrarium, cum non ſit ***contra***, ſed ***ſupra*** rationem, adverſetur non ***rectæ***, ſed ***corruptæ*** rationi: Meritò igitur Confeſſionem Trinitatis amplectimur, & unitatem eſſentiæ divinæ confitemur.

QVÆ-

QVÆSTIO SECUNDA
An Filius DEI Genitus sit à Patre?

1. In hac qvæstione planius exponenda, & plenius expendenda, primum circa terminos unum vel alterum adducere placet (1) Terminum *Filii DEI* non supponi ***communiter***, qvatenus & ***Angelis*** & ***hominibus*** tribuitur, sed ***singulariter***, qvatenus ***unigenito DEI Filio proprius*** est: vel ut alias dicunt, ***Filium DEI tripliciter*** dici (a) ***κατ' αἰτίαν***, vel ***κατ' ἐνέργειαν***, qva ratione ***Filii potentiæ*** per ***creationem*** dicuntur ***Angeli*** cum ***Protoplastis***, (b) ***κατ' εὐδοκίαν***, qva ratione ***Filii benevolentiæ***, seu ***gratiæ***, ***fideles*** vocantur, qvi secundum ***εὐδοκίαν***, in Christo fundatam, gratiam adoptionis acceperunt. (3) ***κατ' οὐσίαν***, qva ratione ***proprius DEI Filius***, qvoad essentiam, ***Filius*** appellatur (2) ***Generationem mysticam*** cum ***physica***, ***divinam*** cum ***humana***, ***æternam*** cum ***temporali***, ***supernaturalem*** cum ***naturali***, ***eminentem*** atq; ***communem*** &c: non esse confundendam, nec ***illam*** ex ***hujus*** conditionibus & imperfectionibus æstimandam. (3) ***Generationem ut sic***, qva ***substantialis*** est ***essentiæ communicatio*** nihil imperfectionis inferre, sed omnem imperfectionem à malâ tantum applicatione, vel à diversæ generationis confusione dependere. (4) ***Generationem*** non ***impropriè***, vel ***metaphoricè***, sed ***propriissime*** & ***eminentissimè Filio DEI*** competere. (5) Particulam À non esse notam hoc loco ***causalitatis***, nec ***producentis cujusdam prioritatis***, vel ***essentialis diversitatis***, sed tantum ***personalis originationis***, vel ***nativitatis***.

2. Terminis evolutis etiam circa ***qvæstionis statum*** nonnulla notanda censemus. Non autem est in qvæstione [1] ***An Sociniani verbis negent, Filium DEI genitum esse à Patre?*** nam passim idipsum nobiscum profitentur, & ***Christum Filium DEI, genitum Filium DEI, unigenitum DEI Filium***, etiam integris scriptis confitentur: sed de reipsa potius agitur. [2] ***Annon Sociniani varios modos, qvibus & Christum DEI Filium vel etiam à Patre genitum asserant, communiter proferant?*** Collegit istos modos ***Venerandus Dn. D. Calov. in Socinism. proflig. art. 2. contr. 6.*** qvos inde recensebimus: Sociniani varias recensent causas, ob qvas Christus sit, & dicatur Filius DEI, qvas alii aliter assignant, uti

videre est apud Enjed. explic. loc. p. 67. & 178. Socin. explic. part. 1. cap. Joh. p. 45. lib. svasor. c. 4. p. 36. Anti Wujeck. p. 221. animad. contr. Posnan. p. 57. defens. animadv. c. 8. p. 240. seqq. Christ. Rel. breviss. Instit. p. 24. Ostorod. Instit. p. 48. 137. 378. Smalz. Exam. 100. Error. p. 12. 24. exam. 157. error. p. 6. 8. 9. 11, 12. Refut. monstr. p. 149. refut. l. 2. de Error. Arian. p 221. lib. de divin. Christi p. 73. Stoinskij disp. de divin. Christ p. 36 seq. Volkel. de Ver. Rel. l. 5. c. 12. p. 476. seqq. lib. 3. c. 1. p. 38 Schlichting. comment. in Ebræor. c. 1. p. 16. disp. de S S. Trin. p. 489. seqq. Stegman. in proba c. 11. p. 129. &c: Ex his enim seqventes tredecim causæ colligi possunt, qvod nempe Christus sit Filius DEI (1) ob conceptionem è Spiritu S. (2) ob baptismum & regenerationem ex aqva, & Spiritu. (3) ob segregationem ad munus sanctissimum, & missionem in mundum. (4) ob similitudinem cum DEO, ratione qvalitatum divinarum, sanctitatis, potentiæ, sapientiæ. (5) ob amorem DEI paternum erga Christum. (6) ob jus ad hæreditatem Patris sui cœlestis adeundam. (7) ob officium Christi propheticum. (8) ob resuscitationem è mortuis. (9) ob immortalem naturam. (10.) ob potestatem divinam super omnia. (11) ob regiam Christi dignitatem. (12) ob summum Christi sacerdotium. (13) ob dominationem filiorum DEI à Christo. *Verum* qvod hæ rationes sint [1] *aliena à scripturis.* [2] *adversa sacris literis.* [3] *absurda* [4] *noviter excogitata* [5] *incerta, sibiq; minime constantes* [6] *falsæ & impiæ*, d l. prolixè demonstratum. Vera proinde causa *Filiationis* negligitur, qvod videlicet Christus sit ab æterno à Patre genitus.

3. Hanc *æternam Filii DEI generationem* impugnant *Sociniani*, contendentes, unam tantum esse Deitatis personam, nullum DEum habere Filium, nec ullam in DEO dari generationem, nec ab æterno DEI Filium à Patre genitum esse. Nos ea, qvæ Valentinus *Smalz. contr. Franz. affert. p.* 3. potissimum examinabimus: *Qvod ad generacionem attinet, scribit, falsum & absurdum est, eam in DEO proprie dari.*

4. Probat verò suam Antithesin (I) *Qvia generatio proprie accepta, & unitas essentiæ numerica, contradictoria sunt:* jam autem

autem contradictoria de se mutuo prædicari non possunt. ℟. (1) Dicitur hoc, sed non probatur. contradictoria proinde non sunt, sed tantùm *Socinianis* talia videntur, & conseqventer talia dicuntur, imò potius finguntur, ex rei veritate, ceu contradictoria non ponuntur. (2) contradictio vera servat omnes *identitatis respectus*; *unitas* verò *numerica* & *generatio* non servant identitatis respectus, qvia aliud est dari *generationem*, aliud dari *unitatem essentiæ numericam*: hinc illa contradictoria sunt, *unitas essentiæ numerica*, & *non unitas essentiæ numerica*, *generatio*, pariter & *non generatio*, qvæ neutiqvam nos asserimus, cum nemo nostrum dicat, qvod essentia divina non sit numerica, vel qvod DEO generatio non competat. (3) *Dist.* inter *essentiam creatam*, & *increatam*: *illa* non generat in se numero eandem essentiam, alia personalitate gaudentem, sed de *increata DEI essentia* hoc negare non debemus, qvia scriptura nobis unum essentia DEum ita revelat, ut personis trinus esse dicatur.

5. (II) *Qvia qvæ generatio DEO tribuitur, illa ita comparata est, ut ab hominibus bene intelligi possit, dum scilicet DEus vel miraculoso modo aliqvid producit & gignit, ut in Christi nativitate contigit: vel res sibi dissimiles similes facit per mutationem earum vel animi, qvod nunc piis hominibus contingit, vel naturæ, qvod jam Christo perfecto contigit, & omnibus fidelibus olim continget.* ℟. (1) petitur *principium*, qvia falsum, qvod generatio divina sit ita comparata, ut ab hominibus *bene intelligi* possit, cum sit mysterium, qvæ sunt *supra*, non *secundum rationem*, & rationi nostræ sunt & manent obscura. (2) posito, qvod vel *Christi nativitatem*, vel *nostri regenerationem*, vel *nostri glorificationem*, bene intelligere qveamus, nulla tamen ab his ad *generationem divinam* instituenda collectio, qvia has omnes *æterna Filii DEI generatio* longissimè transcendit, dum *hæc* ad intra, *reliqva* ad extra considerantur, *hæc* est essentialis, *reliqva* non sunt essentiales; *hæc* est æterna, *reliqvæ* sunt in tempore factæ, *hæc* omnem naturæ statum superat, illæ vel ratione subjecti, vel ratione objecti, vel alio qvodam respectu non prorsus naturam excludunt. (3) Falsum etiam, qvod has, qvas DEO tribuit generationes *Smalzius*, bene intelligere possimus: nam *generatio Filii DEI ex virgine* verè dicitur

citur & eſt *ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν: regenerationem noſtram ad gloriam:* deniq; nullo modo percipit intellectus humanus, qvia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis deſcendit, qvæ D E U S fidelibus ſuis præparavit *I. Cor. II. 9.*

6. (III) *Qvia p. 4. dicit, qvod generatio filii ex eſſentia Patris ſit unum ex ἀδυνάτοις* ℞. (1) *impoſſibile* dicitur aliqvid vel *apparenter*, vel *revera*: non *revera*, ſed *apparenter* inter *impoſſibilia* generatio filii numeratur. (2) *Impoſſibilis* videtur *corruptæ rationi*, non *ſalvificæ*, & in verbo DEI fundatæ *fidei*, qvia diſertis verbis *Pſal. II. 7.* dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (3) *Impoſſibile* aliud vulgo dicitur *naturæ*, aliud *natura*: qvod generatio Filii *naturæ* ſit impoſſibilis facile conceditur, qvia nec DEUS Pater, nec DEUS, Filius naturæ leges admittunt: falſum tamen, qvod *natura* ſit impoſſibilis, cum certum ſit, qvod Filii proprium ſit generari, ſicut Patris proprium eſt generare. (4) Manifeſtum eſt, qvod apud DEum non ullum verbum ſit impoſſibile *Luc. I. 37.* temere proinde DEO non debemus impoſſibilia qvædam vel attribuere, vel potius affingere. (5) licet mens noſtra definire non poſſit, qvomodo Pater æternus filium ſuum generarit, ab ignorantia tamen, vel ineptitudine noſtra D E O myſteria denegare neq; poſſumus, neq; debemus

7. (IV) Qvia *p. 7. ad th. 43. Franzii*, qvando ſcribit: *DEum Filium generare ex eſſentia, & totam ſuam eſſentiam communicare*: reſpondet *Smalzius*: *De generatione Filii ex Patre ea dicit, qvæ nec cum ratione convenire, ipſemet affirmat th 45. nec ullo ſacrarum literarum teſtimonio comprobat: Ergo qvid de illis ſtatuendum ſit judicet pius lector.* ℞. (1) Qvod myſteria non ſint *humanæ rationis*, ſed *divinæ revelationis*, vulgo notiſſimum: ſunt igitur *ſupra rationem* omnem poſita, nec cum ratione ſic convenire poſſunt, unde recte ſcribit *Franz. th. 45. Una numero eſt, manetq; divina eſſentia, qvæ conſtituit perſonam generantis, qvatenus generat, ſed perſonam Filii, qvatenus generata eſt: modo noſtræ rationi prorſus inexcogitabili imperſcrutabili & ineffabili, à creaturarum generationibus infinities diſtinctiſſimo & alieniſſimo.* (2) *B. Frantius* probati-

bationem generationis omisit, non propter *probationis defectum*, sed propter *theseos statum*, qvia non semper in brevissimis thesibus simul probationes adjiciuntur: alias notissimum, qvod ex *Psalm. II. 7.* aliisq; satis evidenter *generatio Filii* à Patre demonstretur.

8. (V) Qvia ad verba *B. Franzii th. 43. DEum Filium generare ex essentia, & totam suam essentiam Filio communicare*: respondet: *Hoc si ita est, qvomodo Filius non erit Pater? cum essentia si Pater id, qvod est.* R.(1) Filius *idem* est, qvod Pater, ratione *qvidditatis*, & in sensu *generis neutrius*, non est *idem*, qvi pater, ratione *suppositalitatis*, & in sensu *generis masculini*, qvia *neutra* pro *naturis*, *masculina* pro *personis* supponuntur. (2) Pater *essentia* est id, qvod est Filius, & Filius est id, qvod est Pater, *persona* tamen Pater est distinctus à Filio, unde *Patris esse essentiale*, & *Patris subsistere personale* hic accuratè distingvenda veniunt: Pater *essentia* est id, qvod est essentialiter, sed non essentia, verum *subsistentia* est id, qvod est personaliter, vel suppositaliter, vel potius *is*, qvi dicitur *personaliter*. (3) Licet Filius sit id, qvod est Pater, hoc est, *verus DEus*, non tamen est *is*, qvi Pater est, unde minime Filius est Pater, qvod hic *Smalzius* σοφιστικῶς inferre volebat.

9. (VI) *Si Filius Pater non est, & tamen totam habet essentiam Patris, numero unam, qvomodo non erunt duo Dii, ut sint duæ essentiæ divinæ? En labyrinthum!* R.(1) *labyrinthus* hic in cerebro *Smalziano*, non ex dogmate *Lutherano* suboritur. (2) Filius Pater non est qvoad *personam*, est tamen idem cum Patre qvoad *essentiam*, qvia totam essentiam Patris sibi communicatam possidet, & una numero cum eodem essentia, dum verus est DEus, & tamen unus tantum est DEus. Hinc (2) non sunt duo Dii, qvia multitudo Deorum non ex *personarum pluralitate*, sed ex *divinarũ essentiarum diversitate*, non ex *personarum distinctione*, sed ex *essentiæ divinæ multiplicatione*, foret æstimanda. (3) falsum, qvod duæ sint essentiæ divinæ, cum Filius non aliam à Patre diversam habeat essentiam, adeoq; nec *alius*, & diversus sit à Patre DEus, interim *aliam* in eadem essentia simplicissima habeat *personam*,

qvæ *distinctio personarum* cum *identitate* & *simplicissima unitate essentiæ* in hoc tremendo mysterio, juxta divinam revelationem, optimè consistit.

QVÆSTIO TERTIA.

Utrum Spiritus Sanctus sit nudus afflatus?

1. Circa *Statum qvæstionis* attendimus (1) Vocem *Spiritus:* h.l. non sumi in *sensu Etymologico*, sed *Theologico*, vel *hypostatico*. (2) Aliud esse *signum*, aliud *signatum: afflatus* fuit *Symbolum* præsentiæ Spiritus S. ipse tamen *Spiritus Sanctus* non fuit *afflatus*. (3) Vocabulum *Spiritus Sancti* non accipiendum esse *metonymicè*, pro *donis Spiritus Sancti*, sed *propriè*, pro natura, l. qvidditate Spiritus S. (4) Si Spiritus Sanctus dicendus sit *afflatus*, non *exclusivè*, sed *inclusivè* hoc intelligendum, non *qvidditativè*, sed *effectivè*, non *à priori*, sed *à posteriori* (5) aliud esse *Spiritum*, aliud esse *afflatum*. Tertia persona Deitatis rectissimè Spiritus Patris & Filii nuncupatur, non tamen eodem modo Patris & Filii vocatur *afflatus*: Ex qvibus omnibus (6) colligimus *Spiritum S.* non esse *nudum afflatum*.

2. Errant igitur *Sociniani*, qvi *Spiritum Sanctum* esse *nudum afflatum* errore gravissimo propugnare contendunt, ut est apud *Crell. tract. de Spir. Sanct. p. 312. Spiritus S. nihil est aliud, qvam afflatus divinus, homini communicatus*. Verum (1) falsum hoc, qvia *Spiritus Sanctus* est *verus DEus*, & *divina persona*, qvod alibi probatur, & præterea multa, juxta scripturam, de *Spiritu Sancto* prædicantur, non autem, juxta DEI verbum, *afflatus* nudus esse dicitur. (2) *Spiritus S.* dicitur *afflatus divinus* παχυλῶς, non ἀκριβῶς, qvia DEus propriè loqvendo nullum *afflatum* homini communicat, sed potius operatione purissima Spiritum Sanctum homini communicat: ἀνθρωποπαθῶς talia dicuntur, sed θεοπρεπῶς intelligenda veniunt; non solum ille *divinus afflatus*, sed etiam hujus *afflatus autor*, qvi vere substantia divina, homini fideli communicatur.

3. *Rationes* hujus assertionis *Crellius. d. l. p. 1.* producit (I), *à propria vocis Spiritus significatione*, qvia *vox Spiritus propriè signi-*

gnificat flatum qvendum, ab animalis ore emissum. R. (1) *DEus,* juxta *Crellium*, etiam *proprie loqvendo Spiritus* est: nam in *lib. de D. & A. D. c. 15. p. 106.* hanc DEI *definitionem* proponit: *DEum esse Spiritum æternum*: Item *Spiritum ex seipso existentem p. 107. Spiritum esse DEI genus*, idq; ex *Job. IV. 24.* probare conatur, ubi dicitur, *DEus est Spiritus*: num autem propterea, juxta *Crellium*, *DEus* erit *flatus, ex animalis ore progrediens.* Absurdum hoc est, & ab omni ratione prorsus alienum. (2) notandum, qvod vox *Spiritus* sit *æqvivoca*, ac propterea ante omnia sit distingvenda: pessimè proinde *Crellius* vocem *æqvivocam*, proprie loqvendo, sine distinctione determinat. (3) Contrarium potius inde demonstratur: Nam *si Spiritus* proprie significat *flatum qvendam, ab animalis ore emissum*, seqvitur, qvod *Spiritus Sanctus* non sit *flatus*, vel *afflatus*, qvia *DEus* non est *animal*, neq; *Spiritus Sanctus* ab *animalis ore* progreditur.

4. (II) *Ab aliarum lingvarum collatione: Atq; inde ventum qvemvis non minus in græca, atq; Hebræa lingva, qvam in latina significat.* Ex qvo lingvarum consensu colligit, *Spiritum Sanctum esse afflatum.* ℞. (1) *Spiritus Sancti natura* non à *verbis*, nec à *lingvarum consensu* dependet. (2) DEus etiam in reliqvis lingvis dicitur *Spiritus*, non tamen est *afflatus*. (3) sicut in *latina* lingva, sic etiam in aliis lingvis dantur æqvivoca, cum plura sint Entia, qvam rerum vocabula: sicut igitur vox *latina Spiritus* distinctione qvadam opus habet, ita pariter reliqvarum linqvarum nomina distinctionem reqvirunt, anteqvam certi qvid significent.

5. (III) *à Vocum derivatione: Nam πνεῦμα est à πνέω, qvod significat spiro, à qvo verbo Spiritus: Hebræum* רוּחַ à verbo רֵוַח *qvod significat respiravit.* ℞. (1) Argumenta, qvæ sunt ab *Etymologia* petita, non adeo firma probatione concludunt, sicut notum est ex *Axiomate* vulgari. (2) Dicitur *Spiritus*, qvia æterna *spiratione* Patris & Filii, ut persona divina, procedit à Patre & Filio, non autem, qvod *spiritus* aliqvis sit *temporalis*, vel *externus* aliqvis *afflatus*. (3) in significatione *vocum* non saltem ad vocis *sonum*, sed etiam, & qvidem potissimum ad *rei statum* respiciendum est.

6. (IV) *à freqventi propriæ significationis adhibitione: Et exempla qvidem propriæ illius, qvam diximus, significationis non sunt in sacris literis infreqventia, præsertim in scriptis Veteris Fœderis, sive Hebræum textum, sive Græcum, ejusq; interpretationes spectes.* R̷. (1) posito, qvod hæc significatio, qva significat *afflatum*, sit omnium freqventissima, nihil tamen inde colligitur, cum unum *æqvivocum æqvivocatum* alteri nihil afferat præjudicii; nam omnia *æqvivocata*, vel *æqve primo*, vel juxta certam qvandum *analogiam*, ad *æqvivocum æqvivocans* referuntur (2) falsum est, qvod adeo freqvens sit hæc significatio, qva significare dicitur *afflatum*, ex *animalis ore emissum*, si qvis enim collationem instituere velit, reliqva significata si non sigillatim, tamen conjunctim longe freqventiora deprehendet. (3) negamus, hanc solam esse propriam significationem, sicut dicit & intendit *Crellius*, cum *æqvè propriè Spiritus* etiam spiritualem essentiam designet.

7. (V) *Ab hujus significationis translatione: Hinc igitur*, pergit, *propter similitudinem est translata hæc vox ad eam DEI virtutem, qvæ Spiritus Sanctus appellatur, aut etiam spiritus DEI, vel Spiritus simpliciter.* R̷. [1] est *petitio principii*, siqvidem, qvod *Crellius* affirmat, argumento nullo confirmat, nim. qvod hinc per similitudinem translata sit hæc vox ad talem DEI virtutem, qvæ sit *afflatus*. [2] *DEus Pater* etiam dicitur *Spiritus*. num ergo DEUS Pater per *similitudinem* à *spirando*, vel *halitu animalis* denominationem accepit? [3] Ex sacris literis certum, qvod hic spiritus sit *æternus Heb. IX. 14.* & ab omni æternitate fuerit *Spiritus*, & *Spiritus Sanctus* etiam in *Mose* sub nomine *Spiritus Elohim* introducitur *Gen. I. 2* anteqvam ullum *animal*, vel creatura extitisse legitur.

8. (VI) *A gentilium consvetitudine: Qvo pacto*, scribit, *etiam Latini id, qvod Sacræ literæ Spiritum DEI appellant, divinum afflatum nominant, & eos homines, v. g. Poëtas, qvi Spiritu qvodam divino agitari videntur, DEI numine, vel DEI Spiritu afflari dicuntur.* R̷. (1) *à loqvendi modo gentilibus usitato*, neutiqvam in *rebus Theologicis*, multo minus in tantis *mysteriis* argumentari licet, nec à *phraseologia gentilium* ad *phraseologiam Spiritus Sancti*, vel etiam

ad

propriam significationem rerum mysticarum, collectionem instituere fas est. (2) *gentiles* ignorarunt *Spiritum Sanctum*, nec ullum de ipso verum conceptum habere potuerunt, cum divinæ revelationis prorsus expertes fuerint, qvomodo proinde *similitudinem hanc* attendere, vel ad *Spiritum Sanctum* referre potuerint, nullatenus apparet. (3) *Dist.* inter *verborum sonum* & *sensum: sono* qvidem similia passim apud gentiles reperiuntur, sed *sensu* prorsus dissimilia protulerunt: item inter *afflatum essentialem* & *causalem*, *constitutivum* & *effectivum*, non *illum*, sed *hunc* intellexerunt, qvotqvot benè de Spiritu Sancto senserunt: inter *loqvendi modum proprium* & *improprium*, cum *Spiritus poëticus* nec sit, nec esse possit ipse *Spiritus Sanctus*, nisi qvoad *Metonymiam effecti*, cum sit *donum Spiritus Sancti*, hinc facile comparet, qvod nihil ad propriam Spiritus Sancti significationem, vel etiam ad præsentem causam, *Spiritus poëticus* facere possit.

9. (VII) *Ex Christi insufflatione:* Sic enim ulterius pergit *Crellius*: *Esse autem similitudinem non exiguam inter Spiritum propriè sic dictum, & inter eum, de qvo nos agere instituimus, Christus ipse indicavit, de qvo legimus ap. Joh. XX. 22. qvod afflaverit, ἐνεφύσησε suos discipulos, additis his verbis: Accipite Spiritum Sanctum: qvo afflatum voluit aliqva ratione adumbrare rem ipsam, qvā verbo expressit, nempe ipsum divinum afflatum, qvo aspiraturus erat, & aliqva ratione etiam tum, ut nobis qvidem credibile est, aspiravit discipulos, qvibus divinissimi illius doni, qvod uberius postea in eos effusurus erat, primitias qvasdam, & veluti gustum qvendam tum videtur dedisse, q a de re non est fusius nunc disserendi locus. Illud qvidem videtur satis apertè indicasse Christus, Spiritum Sanctum, ejusq; à DEO, Christoq; emanationem, sive emissionem, afflatui ac spiraculo esse similem.* ℞ [1] nititur *falsa hypothesi*, qvasi Spiritus proprie dictus sit *tantum afflatus*, qvod falsum, sicut superius notavimus: gratis tamen illud adsumit, qvod firmis rationibus, nec deducit, nec deducere novit. [2] Falsum est, qvod *afflatus Christi* fuerit ipse *Spiritus Sanctus*, cum tantum *in afflatu* Spiritus Sanctus extiterit, & *afflatu* mediante tunc Apostolis à Christo communicatus sit. *Dist.* igitur inter *signum* & *signatum*, inter *symbolum*,

& *id*, qvod *symbolo materialiter* exhibetur: *Afflatus* tantum *symbolum* fuit præsentiæ, vel etiam κοινωνίας Spirius Sancti, non autem *formaliter* fuit ipse *Spiritus Sanctus*, cum *afflatus* iste fuerit etiam *res physica*, *Spiritus* Sanctus, sit *res mystica*, *afflatus* fuerit *motus aeris*, sed *Spiritus Sanctus* sit *actus Deitatis*: *afflatus* sit *res externa*, *Spiritus* Sanctus *interna*, *afflatus* sit *temporalis*, *Spiritus* Sanctus *æternus*, *afflatus* sit *transitorius*, sed *Spiritus* Sanctus *permanens*, *afflatus momentaneus*, *Spiritus* S. *perpetuus*, *afflatus* sit *naturalis effectus*, *Spiritus* S. *supernaturalis* & *spiritualis fructus* &c: Item *dist.* inter *adumbrationem* & *rem adumbratam*, *typum* & *antitypum* &c. qvæ certe minimè sunt inter se confundẽda. (3) Licet aliqva similitudo concedatur inter *afflatum* & *Spiritum Sanctum*, tamen notum est, qvod similia non sint eadem, cum saltem in certo qvodam *tertio* communiter conveniant: hinc potius invertendum hoc argumentum: Qvæ *similia* sunt ea proprie non sunt eadem: At *Spiritus Sanctus* & *afflatus*, juxta *Crellium*, *similia* sunt: Ergo *propriè* non sunt *eadem*, ergo nec *proprie* *Spiritus Sanctus* est *afflatus*.

10. (IIX) *Ex Spiritus Sancti apparitione:* Sic enim hoc ulterius ibidem confirmare contendit: *Nec alienum ab eo, qvod asserimus, illud etiam est, qvod cum ingens Spiritus Sancti copia in Christi discipulos primum effunderetur, instar venti cujusdam cum sonitu irruerit, ut in Actis Apostolicis cap. 2. legimus.* ℞. (1) à *vento* non licet ad *afflatum* argumentari: cum aliud etiam physice loqvendo sit *ventus*, aliud sit *animalis afflatus*, qvi *Crellio propriè* dicitur *Spiritus*. (2) *Spiritus Sanctus* fuit *in vento*, non fuit ipse *ventus: ventus* fuit *signum*, vel *symbolum*, *Spiritus Sanctus* vero *signatum*, nihil igitur inde colligitur, cum *signum* & *signatum* omninò sint distincta. (3) multo minus hoc inde colligitur, qvod *Spiritus Sanctus sit nudus afflatus*, vel *proprie* nihil aliud sit, qvam *afflatus*.

11 (IX) *Ab afflatus & Spiritus Sancti comparatione*: nam his ultimam rationem subjungit Crellius: *Similitudinis autem ratio in eo potissimum consistere videtur, qvod qvemadmodum halitu, seu afflatu, aut vento, facile qvispiam affici, & qvalitate aliqva, inde manante, imbui potest, eoq; simul aliqva ratione commovetur & agitatur, ita etiam virtute divina, homines afficiuntur, & qvalitatibus*

bus quibusdam, à DEO proficiscentibus, imbuuntur, atq; alia ratione commoventur, & agitantur. Qvo accedit, qvod flatus, ventusq; sit res tenuissima ac subtilissima, eamq; ob causam penetrabilis admodum, & sese in intima qvæq; insinuandum apta, ac simul etiam occulta, oculisq; non subjecta. Similiter etiam efficacia illa divina, occulta qvadam ratione, imis hominum sensibus sese insinuat, & intima qvæq; penetrat. Qvanqvam non desint, qvi eam qvoq; similitudinis rationem constituant, qvæ videtur apud illos esse potissima, nempe qvod Spiritus Sanctus *ipsis videatur esse substantia qvadam subtilissima, halitui oris humani analoga, seu ita similis, ut qvemadmodum ille à nobis emanat, ita* Spiritus *ille à DEO; & qvemadmodum nos adhalare qvippiam alteri possumus, qvod corpus ipsius afficiat, ita DEum* Spiritu *illo suo, qvem ex sese veluti emittat, afflare hominibus ea, qvæ animos ac mentes ipsorum afficiant. Qvam sententiam in medio nunc relinqvimus, aliqvid fortasse, qvod huc pertinere qveat, dicturi infra, qvando de re ipsa disseremus.*

12. ℞. (1) Non tantum hos *comparationum* respect, suo genuino, vereq; orthodoxo sensu concedere, sed plures etiam comparandi rationes addere possumus, cum notum sit, qvod fæcundum latis sit comparationis institutum. Hinc (2) notandum, qvod *Crellius collationem mutilam & mancam*, non *integram & perfectam* instituerit; & ratione *subitaneæ commotionis*, & ratione *tenuitatis vel subtilitatis*, & ratione *facillimæ penetrationis*, & ratione *occultæ operationis*, & ratione *invisibilitatis*: sed nobilissimos *comparationum* respectus attendere noluit qvales sunt ratione *qvidditatis*, ratione *originis*, ratione *divinæ operationis* &c: qvæ tamen applicationes, vel comparationes potissimum hic notare debuisset. (3) ne nihil dixisse videatur, sub incerti τȢ *fortasse* promisso pleniorem hujus evolutionem inferius pollicetur: verum mysteria divina non ita sunt explicanda, vel illustranda per comparationes, ut non controversa, vel non necessaria, vel etiam secundaria, potissimum explicemus, sed controversa maxime necessaria, vel primaria sive suspendamus, sive penitus omittamus, sive ἀσφαλῶς ad alia loca remittamus. (4) non negamus hasce comparandi rationes, sed *ignorationem Elenchi* notamus in *Crellio*. Non enim *similitudines* Spiritus Sancti, cum *afflatu*, sed potius *iden-*

identitatem probare volebat, eam igitur demonſtrare debebat, cum diſertis verbis dixerit, *Spiritum Sanctum* nihil aliud eſſe, qvam *afflatum divinum*.

13. His igitur refutatis, dicimus *Spiritum Sanctum* non eſſe qvoad *eſſentiam*, vel *exiſtentiam* ſuam, *afflatum divinum*, de qvo prolixius egit *Venerand. Dn. D. Calov. in Socinism. profliq. de Spiritu S. contr. 5.* noſtramqꝫ ſententiam multis argumentis demonſtratam dedit (1) qvia hæc ſententia *Socinianorum inaudita*, (2) nuſpiam in *Sacris literis tradita* (3) qvod juxta ſcripturam Spiritus S. ſit *perſona*, (4) *verus DEus*, (5) qvod de nullo afflatu dici poſſit, qvod *perſonaliter à Patre procedat, audiat à Patre, qvæ loqvitur, accipiat à Chriſto, mittatur ut Paracletus, veniat ad nos, doceat nos, teſtificetur, mundum redarguat, futura annunciet, Chriſtum clarificet, in veritatem deducat &c.* qvæ tamen omnia dicantur de *Spiritu Sancto*. (6) qvia non poſſumus *in afflatum baptizari*, ſicut dicimur *in Spiritus* S. ut in *Patris & Filii nomine* baptizari: (7) qvia *afflatus* non poteſt *idem eſſe cum Patre & Filio I. Joh. V. 7.* (8) qvia *afflatus* non poteſt *formam corpoream adſumere, in ea deſcendere & conſpici*. (9) qvia Spiritus S. eſt *unus numero I. Cor. XII. 11.* ſed afflatus, juxta *Crellium, innumeri*. (10) qvia divinus *afflatus* fingitur *extra DEum*; ſed *Spiritus* S. *in DEO I. Cor. II. 10. 11.* (11) qvia Spiritus ille *Crellii plurima abſurda* vel ſupponit, vel in ſeſe complectitur, vel certe ſubinfert, qvorum 10. dicto loco recenſentur. Accedunt (12) etiam ipſorum *Socinianorum hypotheſes*. nam ſecundum *Oſtorod.* contr. Tradel p. 203. Spiritus Sanctus eſt *de DEI eſſentia*. Sic enim ille ſcribit: Ob Jch wol bekenne/ daß der H. Geiſt/ den Gott ſeinen Kindern gibt/ von Gottes Natur und Weſen ſey: ſo gebe Jch doch nicht zu/ daß der Geiſt Gottes/ der in Jhnen Wircket/ eben muſte auch Gottes Weſen und Eigenſchafft ſein &c: *Socinus* etiam paſſim profitetur, qvod Spiritus Sanctus *naturaliter ſit in DEO*. Jam qvicqvid eſt enim DEO naturaliter, illud certe non poteſt eſſentialiter eſſe divinus afflatus extra DEum: At juxta *Socinum* Spiritus Sanctus eſt in DEO naturaliter. Ergo non poteſt eſſe divinus afflatus extra DEum, qvod *Crellius* hactenus probare voluit.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo II.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE
PECCATO ORIGINIS

DISP. V. R. FRIDERICUS Wegehausen/ Vörda Bremen.

QVÆSTIO UNICA.

An detur Peccatum Originis?

1.

Circa *statum controversiæ* prius unum, vel alterum præmittimus, qvàm ad ipsam *qvæstionis* ventilationem accedimus, cum certum sit, qvod *Peccatum Originis* sudes in oculis *Socinianorum* esse videatur, qva de causa scribit *Smalz. adv. Franz. p. 46. Peccatum originale mera est FABULA, qvam tanqvam fœtum alienum fovent Lutherani p. 132. Peccatum originis negamus* &c: Item *Eqvidem, turpissime peccatum Originis affirmari, sentio, utpote, qvod nec literis sacris, nec sanæ rationi consentaneum sit.* p. 370. illud *peccatum fictitium* appellat, & passim alia duriora dicta contra *peccatum originis*, in scriptis *Socinianorum*, invenire licet.

2. Non autem qvæstio *ratione subjecti* (1) de *peccato qvovis*, cum manifestum sit, peccatum in totum à *Socinianis* minimè negari: nam licet variis hypothesibus doctrinam de *peccato* vel labefactent, vel dubiam reddant, non tamen ejus audaciæ, sunt, ut prorsus *omne peccatum* negare velint. (2) neq; de *Peccato originis originante*, vel *Lapsu Protoplastorum*, de qvo pariter talia proferunt, qvæ neutiqvam vel cum *scriptura sacra*, vel cum *analogia fidei* consentiunt, cum fingant, *lapsum Adami* tantum esse *personale* qvoddam peccatum, ad posteros Adami non pertinere: Sic enim *Socinus* de *stat. prim. hom. p. 287.* scribit: *Qvomodo sine propria culpa perire potuit humanum genus, qvod ne perire qvidem potuit, cum adhuc non esset? Fateor, posse qvodammodo*

 dici,

dici, periisse universum humanum genus, cum Adamus propter peccatum periit: sed certe tamen non periit, cum verè nondum esset, qvare nec ulla injuria ei fieri potuit: imò negant, qvod *Adamus* naturam suam corruperit, ut legitur in *Catech. Racov. c. 10. p. 250. Lapsus Adæ cum unus actus fuerit, vim eam, qva depravare ipsam naturam Adami posset, habere non potuit*:&qvod imago Dei deperdita sit per lapsum protoplastorum, vel ista justitia originali universum humanum genus post peccatum caruisse volunt. *Socin. in præl. cap. 3. p. 8 Imago Dei*, scribit, *Smalz.* contr. *Franz. p. 61. adhuc post peccatum in hominibus inest* &c: (3) Sed de *peccato originis*, in specie sic dicto, potissimum hic disqviritur, qvod alias *Peccatum Originis originatum*, vel *κατ' ἐξοχὴν* tale dicitur.

3. *Ratione prædicati*, non qværitur. [1] de *existentia mentali*, vel *rationis*, num per fictionem rationis in mente nostra peccatum originis existat; sicut antea *Smalzius th. 1. peccatum originis fictitium peccatum* appellabat. Verum non fingitur, per qvod tota natura nostra, vel universum genus humanum corrumpitur. [2] neq; de *existentia verbali*, vel *orali*, num saltem, qvoad nudam oris professionem, peccatum originis detur, sicut idem *Smalzius peccatum originis* antea *fabulam* nuncupabat. [3] neq; de *existentia essentiali*, qvam olim *Flaciani* duriores asseruerunt, qvi hominem essentialiter bonum ante lapsum, vel imaginem DEI pulcherrimam, sed post lapsum essentialiter malum, id est, *pessimam Diaboli larvam*, vocitarunt. [4] Sed de *Existentia reali*, vel *doctrinali*, qvia doctrina de peccato originis, tanqvam pars non postrema Theologiæ passim inculcatur.

4. Antesignanus sectæ Socinianæ, *Faustus Socinus*, ipse in *prælect Theol. c. 4. p. 11.* prolixè contra nostram orthodoxiam insurgit, idq; triplici potissimum ratione. (I) *Hypothesibus*. (II) *Rationibus*. (III) *Responsionibus, vel refutationibus*, qvibus nonnullis vel assertionibus scripturæ, vel demonstrationibus nostris satisfacere conatur.

5. I. Qvod attinet *Hypotheses*, illæ partim concernunt *vocem*, partim *ipsam rem*. (1) De *voce peccati* scribit: *Peccati ratio duplex est, sive hujus vocis peccati duplex significatio est in sacris literis.*

teris. Aut enim culpam significat, aut pœnam. Loqvimur autem hic de præcipuis significationibus, & qvæ ad propositum qvæstionem pertinere possunt. ℞. (1) rectius *Socinus* fecisset, si *vocis* hujus significationes ex scriptura deduxisset. (2) qvod plures dentur *vocis peccati* significationes non semel alibi fuit allegatum. (3) *peccatum originis,* qva tale, simul *culpam & pœnam* involvit, qvemadmodum ex sacris literis certum, cum per ipsam conceptionem & nativitatem simus peccatores *Psal.LI 7.* & natura filii iræ *Eph. II.3.* frustra sic vocis hæc distinctio præsenti loco producitur.

6. (II) *Hypotheses* qvæ *rem* concernunt, partim ipsam *Status controversiæ thesin*, partim *variam ejus hypothesin* respiciunt: Circa *thesin qvæstionis* scribit. *Itaq; cum qværitur, An sit Peccatum Originis? idem est, ac si qværeretur, Utrum homines cum nascuntur, eo qvod ab Adamo originem ducunt, propter ipsius Adami lapsum, culpam aliqvam, aut pœnam contrahant, vel alicui culpæ, aut pœnæ sint obnoxii?* ℞. [1] in hac qvæstione magis de *existentia peccati originalis*, qvam *essentia*, num, *culpa*, vel *pœna* sit, solliciti sumus. [2] Per *conclusivam particulam, Itaq;*, ex præcedenti distinctione vocis hic status qvæstionis deducitur, sed ut fundamentum est captiosum, sic etiam qvæstionis statum esse fucatum deprehendimus, Hinc [3] notamus, qvod non *disjunctivè* qvæstio sit intelligenda: Utrum homines, cum nascuntur, eo qvod ab Adamo originem ducunt, propter ipsius Adami lapsum, culpam aliqvam, AUT pœnam contrahant, vel alicui culpæ, AUT pœnæ sint obnoxii, sed *conjunctivè*, vel *copulativè* potius: cum *& culpam & pœnam* peccatum originis foveat, licet non sit opus, ut hac in qvæstione, circa solam originalis peccati Existentiam, idipsum attendatur.

7. (III) Qvod *omne peccatum sit voluntarium,* tanqvam specialem *hypothesin* supponit inqviens: *Ad culpam constituendam propria voluntas ejus, qvi in culpa futurus est, omnino reqviritur.* ℞. [1] omne peccatum *Ethice* dicitur *voluntarium*, non *Theologicè:* siqvidem illo respectu *voluntas* inter *principia moralium actionum* recensetur, sed hoc respectu multa dantur peccata, qvæ *voluntaria* non sunt: *peccatum naturæ*, qvod *originale* dicitur, ex

 volun-

voluntate nostra non pendet, nec *peccata*, qvæ vocantur *infirmitatis*, secundum, sed vel citra, vel contra voluntatem fieri deprehenduntur, prout ipse *Paulus* docet *Rom. VII.17. Non qvod volo, bonum, hoc ago, sed, qvod odi, malum, illud facio v. 16. Si autem, qvod nolo, facio, consentio legi, qvoniam bona est: & v.19. non qvod volo, bonum, hoc facio, sed, qvod nolo, malum, hoc ago:* nec *ignorantiæ peccata* qvis *voluntaria* rectè dicere poterit. Facile qvidem largimur, qvod *Augustinus*, & cum eodem alii *peccatum omne voluntarium* dixerint, sicut *August.* inqvit *libr. de vera relig. c.14. usq; adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*: tamen *voluntarii* terminum tam latè extenderunt, ut non tantum reliqva peccata, sed etiã *originis malum* sub ambitu suo comprehenderet, prout scil. naturaliter propagatur, & non *invita*, vel *natura*, vel *voluntate* communicatur, unde juxta nonnullos, *voluntarium* dicitur vel ratione *primi parentis*, qvi corruptionem naturæ plena voluntate per lapsum suum attraxit, non pro se tantum, sed tanqvam totius humani generis caput, pro nobis universis. Confer. *Aug. l.2. de nupt. & concupisc. c 28* vel ratione *proximorum parentum*, qvod alii, Scholastici cumprimis, allegare solent, unde *Bonavent.* in 2. sentent. dist. 1. q 1. *peccatum originale voluntarium*, ait, *non voluntate ejus, in qvo est, sed voluntate ejus, à qvo est*: vel ratione *possessorum*, qvod, vel cum ipsa voluntate, vel in voluntate peccatum originis à parentibus per carnalem propagationem suscipiant, aut successu temporis voluntate plena in hoc peccatum consentiant; vel aliis respectibus &c. (2) Deinde *dist.* inter *culpam actualem*, & originalem. illa voluntatis, hæc naturalis hodie necessitatis dicitur, cum per naturam corrupti simus, & non peccare non possimus.

8. (IV) Qvod *cum ad culpam constituendam propria voluntas ejus, qvi in culpa futurus sit, omninò reqviratur; pœna verò sine antecedente culpa esse non possit, nullo modo videtur dici posse, in homine dum nascitur, ullam sive culpam, sive pœnam, locum habere posse, cum is propriæ voluntatis tunc nullum usum habeat, nec antea habere potuerit.* ℞. [1] qvod *culpa* citra voluntatem propriam sit in infantibus, thesi præcedente notatum, hinc etiã *pœna* facile colligitur:

ligitur: nam *ubi culpa, ibi pœna.* (2) confunditur hic iterum *actuale* cum *originali* peccato; *prius* voluntatis propriæ, *posterius* corruptionis naturæ. (3) *Dist.* inter *pœnam coram judicio divino, & humano*: homines dum nascuntur, nec culpam, nec pœnam coram judicio humano habere dicuntur, ad qvæ propria voluntas reqviritur, sed coram judicio divino nec sine culpa, nec sine reatu, vel pœna reperiuntur.

9. (V) *Qvod qvidam alias vocis peccati significationes, extra sacras literas, excogitaverint. Una est, ut errorem sine culpa significet. Altera, ut malum, ex alterius etiam culpa proficiscens, declaret. Itaq; Originis peccatum, vel justitiæ originalis carentiam (ut ita dicam) interpretantur, qva fiat, ut homo naturaliter, nisi DEI gratia superveniente juvetur, nihil nisi errare possit, id est, contra DEI legem committere; vel ea mala esse dicunt, qvæ omnes homines, propter primi parentis culpam, subire coguntur. Verum cum à nobis justitiam istam originalem in primo homine non fuisse, supra demonstratum fuerit, nullus locus est priori ex his duabus interpretationibus. Posteriori verò, etsi id, qvod in eo dicitur, verum est, ut postea videbimus, tamen locus propterea esse non potest, qvod ista vocis* peccati *significatio insolens nimis videtur, & fortasse in nullo prorsus est usu.*

10. ℞ (1) omnino dantur *plures*, præter superius enumeratas, *significationes peccati*: nam sumitur. (a) μοναδικῶς & *singulariter*, prout ipse Christus dicitur factus *peccatum II. Cor V. v. 21.* (b) ἐξοχικῶς & *principaliter*, ut ita loqvi liceat, pro gravissimo & maximo, qvod *peccatum in Spiritum Sanctum* appellatur *I. Joh. V. 16. Heb. X 26.* (c) εἰδικῶς & *specialiter, pro peccatis mortalibus*, contra conscientiam, vel ex consvetudine commissis *I. Joh. III. 8. seqq.* (d) γενικῶς & *communiter*, pro qvavis ἀνομίᾳ qvando *I. Joh. III. 4.* ἁμαρτία dicitur ἀνομία. (e) ἰδιοποιητικῶς vel *peculiariter*, qvando, modo *peccato originali*, modo *peccato actuali* appropriatur &c: qvis verò duas istas, à *Socino* citatas, *significationes* potissimum urserit, ipse non adducit, nec curiosius illud inqvirere, dicitur operæ precium. (2) Dari *errorem sine culpa* coram DEO, falsissimum est, cum omnis *error, Theologicè* loqvendo, cum *culpa*

sit conjunctus, multo minus verum est, qvod *originalis justitia carentia* sit *error sine culpa*. nam dicitur ab ipso *Socino* h. l. qvod ex eorum, qvorum verba proponit, opinione sit peccatum originis, peccatum autem originis culpa vacare neqvit: & cum per hanc carentiam homo nihil nisi errare possit, multiplex in ea culpa reperitur. (3) Verissimum autem est, qvod *peccatum originis*, vel *malum ex alterius culpa proficiscens*, in sacris literis *peccati* nomen designet, qvod omnes homines propter primi parentis culpam subire cogantur, unde rem ipsam *Socinus* negare minime potest, *verum scil. esse, qvod hac ratione dicitur*: jam ubi de *rebus* consensus, non difficilis est in ipsis *vocibus* dissensus. (4) Falsum, qvod ista vocis *Peccati* significatio sit *insolens*: nam nec *insolens* est, hoc est, *inusitata*, prout patet ex *Psal. LI. 7. Rom. V. 12.* & locis omnibus, ubi vox *peccati* de *malo originali* reperitur; nec *insolens* est, vel *tumida*, & *superba*, seu *fastuosa*, cum potius ad humilitatem sit accommodata, nimirum ut miseriam nostram humiliter agnoscamus & deploremus. (5) Falsum deniq; est, qvod hoc sensu *prorsus in nullo sit usu*, qvia scriptura sic utitur voce *peccati*, sicut ex locis adductis constat, unde nec ipse *Socinus* id negare præsumit, sed per dubitandi particulam *FORTASSE* tandem id dubium efficere contendit.

11. II. Ab *hypothesibus* nunc digreditur ad *rationes*, qvarum *tres* adducit, easq; nostræ sententiæ confidenter opponit. *Sunt igitur*, scribit, *qvi velint*, (*hacq; opinio vulgo recepta est*) *originale peccatū, innatam qvandam cupiditatem, seu concupiscentiam malam in homine esse, & ad peccandum pronitatem. Opinio hac triplici ratione potissimum vera esse non potest.* (I) *qvia concupiscentiam istam, sive ad peccandum proclivitatem, in omnibus prorsus hominibus naturaliter esse non constat.* R. (1) *negatio*, non est *probatio*, adeoq; *petit Socinus principium*: hoc enim probare debuisset, qvod non sit in omnibus hominibus naturaliter, gratis igitur hoc sibi sumit. (2) *Dist.* inter *homines integros*, & *corruptos*: in omnibus *corruptis* invenitur, non in hominibus *integris*. hinc *Aug. Confessio* dist. inter *homines secundum naturam propagatos*, & *eum, qvi supra naturam natus* est; dicitur ibi, qvod *post lapsum Adæ omnes homines, secun-*

eundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu DEI, sine fiducia erga DEum, & cum concupiscentia, qvodq; hic morbus, seu vitium originis, vere sit peccatum, damnans & afferens nunc qvoq; aeternam mortem his, qvi non renascuntur per baptismum & Spiritum S. In omnibus igitur naturaliter ex semine corrupto natis, non in Christo talis concupiscentia reperitur. (3) qvia suos posteros Adam genuit, non ad *imaginem DEI*, sed ad *imaginem suam Gen. V. 2.* ita qvidem, ut in peccatis concipiantur, & nascantur *Psal LI. 7.* careant omnes gloria & imagine DEI *Rom. III. 20.* & natura sint filii irae *Eph. II. 3.* atq; mortis candidati propter hoc peccatum, dum per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, qvae sic in omnes pertransiit, dum omnes, tam infantes, qvam adulti, peccaverunt, non eqvidem peccatis voluntariis & actualibus, sed originalis peccati participatione: *Rom. V. 12.* hinc nihil aliud colligitur, qvam qvod naturaliter in omnibus concupiscentia, vel labes sit originalis.

12. (II) *Qvi etiamsi de eo constaret, non propterea illud esset, qvia Adamus, à qvo omnes prognati sumus, divinum illud praeceptum transgressus fuerit.* ℞. [1] si constat de eo, qvod peccatum originale naturaliter sit in omnibus hominibus, habemus, qvod hic volumus, qvia hic saltem de *existentia peccati originalis* disqviritur, non autem de illius *origine*, vel *causa*: siqvidem. (2) *dist.* inter *qvaestionem an sit*, & *unde sit*: non hic de qvaestione *unde sit*, sed de qvaestione *an sit*, disputamus, qvas male contra legitimum disputandi processum Socinus confundit. (3) *Effectus testatur de sua causa*: qvia proinde *Socinus* hic simpliciter nondum negat, qvod mala concupiscentia naturaliter sit in omnibus hominibus, malus in iis effectus erit: vel igitur DEum, vel Adamum, autorem habebit: non *DEum*, qvia DEus vidit cuncta, qvae fecerat, & ecce valde bona fuerunt *Gen. I. 31.* manet igitur, qvod *Adamus* sit causa hujus pravae concupiscentiae, qvi vel qvoad *naturam*, vel qvoad *culpam*, illius morbi peccaminosi causa dicendus, non *prius*, qvia natura fuit bona DEI creatura: Ergo posterius, & sic culpa, vel lapsus Adami, qvo contra DEI voluntatē praeceptum illud divinum.

num transgressus est, qvod multis ex *Gen.III.* doceri posset, si modo thesin probare vellemus.

13. (III) Qvia *cupiditas ista, & ad peccandum pronitas, cum conjunctam secum hominis ipsius, in qvo est, culpam non habeat, ejus peccatum proprie dici non potest.* ℞. (1) Illa cupiditas prava non tantum *pronitas est ad peccandum*, uti vult *Socinus*, sed ipsum *peccatum*, & *vitiosus naturæ corruptæ habitus*, prout patet ex locis de *peccato originis* loqventibus. (2) *Cupiditas* hæc *originalis*, & *vere* dicitur peccatum, & *proprie Rom.VII.7.* & certe tum *proprietates*, tum *effectus*, & alia, qvæ peccati naturam infallibiliter manifestant, huic *concupiscentiæ* conveniunt, qvod prolixè demonstrari posset, nisi res in vado versaretur. (3) Falsum est, qvod hoc *originale malum concupiscentiæ*, secum culpam non habeat conjunctam, cum sit *ἀνομία I.Joh.III.4.* qvæ culpam formaliter infert, & nos reddit filios iræ, *Eph.II.3.* qvæ conseqventer culpam respicit. (4) *Dist.* inter *culpam naturalem*, & *moralem*, non ex voluntate *moralis culpa*, sed ex corruptione *naturalis culpa*, per vitiosam conceptionem & nativitatem, in infantibus reperitur.

14. Deniq; digreditur *Socinus* ad *responsiones*, qvibus nostris, ex scriptura petitis objectionib9, satisfacere conatur *Sed dicet aliqvis, imò constare, in omnibus prorsus hominibus naturaliter concupiscentiam istam malam inveniri, idq; his sacrarum literarum testimoniis adductus.* [I] *Gen. VI. & IIX. scriptum est, cogitationem cordis humani esse duntaxat malam omni tempore*: & *hominis cogitationem malam esse ab adolescentia illius. Sed loci isti non de naturali concupiscentia loqvuntur, sed de voluntaria. Nam si de naturali loqverentur, certe neq; ea de causa immisso diluvio, tam graviter DEus homines puniisse, priore loco diceretur; neq; tanqvam rem aliqvam novam & inexpectatam, eam DEO qvodammodo accidisse, scriptura testaretur, adeo, ut eam ob causam DEum indoluisse, eumq; pœnituisse dicat, qvod hominem fecisset. Qvanqvam Gen. IIX. non est legendum: Figmentum enim cordis humani malum est ab adolescentia sua, sed, qvia figmentum humani cordis malum sit ab adolescentia sua. In Hebræo enim nullum est verbum. Qvare satius est sub-*

est subaudire SIT, qvam EST. Ita ut non afferat DEus rationem, cur non amplius sit execraturus terram propter hominem, nec amplius percussurus omnem viventem, sed dicat, hominis malitiam non amplius tantam vim habituram, ut ipse propter hominem terram execretur, & omnem viventem percutiat, qvam malitiam non affirmet jam esse, aut omninò futuram; sed si fuerit, non eam vim apud se habituram, qvam antea habuit. Alioqvin si, ut vulgo solent, locum legamus & interpretemur, seqvitur, DEum dixisse, illud idem apud se causam jam esse, ne amplius immissurus sit diluvium orbi terrarum, qvod ut immitteret, paulo ante causa fuerat: qvo nihil absurdius Deoqve indignius excogitari potest.

15. ℞. ad locum *Gen. VI.5.* (1) qvod omnino verum sit, qvod *occasio hujus oraculi, subjectum immediatum, objectum directum, & divinum intentum diluvii*, cum aliis respiciant actualia hominum antediluvianorum peccata, qva ratione non *naturalem*, sed *voluntariam concupiscentiam* ostendant, adeoq; nos in eo contradicentes Socinus non habebit: sed potius *fallaciam ignorationis Elenchi* committit, qvia censet, qvod hic locus vel à nostris, vel ab aliis originalis peccati defensoribus, *exclusivè* de *peccato originis* allegetur. (2) potius notandum est, qvod alia ratione locus hic pro *peccato originali* citetur, nimirum qvoad *oraculi generalem statum, adaeqvatum subjectum*, cum infantes etiam in diluvio perierint, *objectum perfectum, & plenum intentum DEI*, vel aliis respectibus. Hac de causa saltem unum è Theologis pro nostra sententia producemus, vid. *B. Meisner. dec. 1. Anthropol. disp. 5. q. 3. th. 4. Fatemur,* inqvit, *hunc textum loqvi de peccatis actualibus mundi antediluviani, qvemadmodum etiam v. 11. 12 13. ita tamen, ut ad ipsam simul omnium scelerum radicem qvodammodo respectus habeatur. Nam* [1] *est sententia universalis includens triplex καθολικὸν 1. Subjecti: Omne figmentum cordis. 2. Actus, Tantum malum. 3. Temporis: omnibus diebus: neq; dicitur restrictè, Omne figmentum cordis hominum istorum, sed absolutè, Omne figmentum cordis humani. Cur ergo nos limitemus, ubi scriptura ipsa limitationem non addidit.* [2] *Adfertur hic causa malitiæ actualis, sicut etiam Salvator Matt. XV. 16. testatur, Ex corde egredi cogitationes malas: ita hic malitiam ex depravato cordis figmento ortam esse innuitur. Actus ergo secundus actui primo, rivus fonti, effectus causæ non est oppo-*

opponendus. Utrumq; enim vidit Dominus, & multam malitiam, & figmentum cordis omne tempore malum. Istud peccatum actuale, hoc originale: istud malos fructus, hoc malam arborem; istud diluvii causam proximam, hoc causam causæ significat. (3) *Qvoniam causa diluvii redditur, idcirco verba sic exponenda erunt, ut infantes non excludantur, qvandoqvidem & illi diluvio periere. At v. si per figmentum cordis malum, actualem tantum iniqvitatem intelligas, qvid hoc ad infantes? seqvitur ergo, vel causam communem, adeoq; naturalem labem simul involvi, vel infantes absq; omni culpa punitos esse, qvod impium. Proinde sic concludo: Diluvii causa fuit peccatum; Infantes periere diluvio. Ergo propter peccatum. Non autem actuale. Nam tale qvid ob negatum rationis usum committere non potuerant. Aliud ergo præterea, nimirum originale, concedendum erit.*

16. Ad locum *Gen. IIX.* ℞. (1) qvod facile concedamus, in *Hebr.* כִּי *qvia*, legi, non *enim*: sed *vocibus* magis, qvam *virtute* vel *illatione*, particulæ distinctæ sunt, qvia utraq; *causalis* est, id qvod etiam ex contextu patet, sic enim integer locus habet: *Noa obtulit holocausta super altare: odoratusq; est Dominus odorem svavitatis, & dixit Dominus ad cor suum: Neqvaqvam ultra maledicam terræ propter homines, qvia figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci; cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies, non reqviescent.* Ex qvibus apparet, qvod hæc verba sint DEI, per sacrificia placati, & ad novas promissiones excitati, qva ratione generis humani miseriæ recordatus, eiq; suam gratiam pollicitus est. (2) non opus est, ut vel *Est*, vel *Sit*, apud *Latinos* subintelligatur, cum plenus sit sensus, si dicatur, *qvia figmentum cordis humani malum ab adolescentia.* (3) rectius autem indicativus *Est*, qvam conjunctivus *sit*, subintelligitur, qvia juxta contextum omnino *ratio* subjicitur, qvare DEus posthæc usq; ad seculi consummationem mundo non velit amplius universaliter maledicere, qvod ipse textus innuit, & consensus Interpretum ostendit. (4) Hinc falsum est, qvod *non afferat DEus rationem, cur non amplius sit execraturus terram propter hominem, nec amplius percussurus omnem viventem*, cum ipse naturalis sensus & positus verborum id refutet. (5) Vanum autem est effugium, qvod *hoc saltem indicet DEus, hominis malitiam non amplius*

plius tantam vim habiturum, ut ipse propter hominem terram exsecretur, & omnem viventem percutiat, qvam malitiam non affirmet jam esse, aut omnino futuram, sed, si fuerit, non eam vim apud se habituram, qvam antea habuit. Nam hæc promissio ex *DEI gratia*, vel *misericordia*, non ex *futuri peccati inefficacia* desumitur, sicut clarissima verba docent; *vis peccati* semper eadem est, qvalis fuit ab initio, talis adhuc est, & talis etiam posthæc manebit, nim. excitat DEI gravissimam iram, & eum commovet ad pœnam; neq; fuit ante diluvium vis peccati major, neq; post diluvium cæpit esse minor. (6) Falsum est, qvod Jehova non loqvatur de *peccato præsente*, cum de *peccato cujusvis hominis à pueritia* sermonem faciat, qvale tum temporis etiam *Noa*, & *filiis*, ac ipsorum *uxoribus* præsens erat, unde communiter ab interpretibus observatur, qvod hoc loco non de *peccato actuali*, sed *originali* sermo sit. Confer. *B. Meisner d.l.* ubi *6. argumentis* idipsum demonstrat. (7) *Incommodum* qvod adducitur, nullum est, qvia peccatum *per se* causa fuit diluvii, sed peccatum *per se* non est causa amissionis pœnæ vel supplicii, sed hæc potius causa *sacrificiis, fide per Noam oblatis*, nim. per & propter Messiam, itemq; *DEI misericordiæ* & *promissioni gratuitæ* tribuenda venit, prout ex contextu liqvet.

17. (II) *Multa testimonia, ex Jobi historia desumta, afferri possunt, ut c. IV. 17. 18. 19. & XIV. 1. 2. 3. 4. c. XV. 14. 15. & XXV. 4. 5. 6. ubi dicitur hominem esse impurum in DEI conspectu, & ratio redditur, qvia ejus fundamentum sit è pulvere, & res sit frivola ac fragilis, & tanqvam putredo qvadam: qvæ ratio naturam hominis ob oculos ponit, & ab ipso ortu hominem impurum esse demonstrat, nempe ob malam cupiditatem, ei naturaliter inditam, propterea c. XV. 16. dicitur, hominem abominabilem, & inutilem, seu fœtidum, imbibere iniqvitatem, ut aqvas. Animadvertendum autem est in locis illis de impuritate qvadam hominis sermonem esse, qvæ in ipsis qvoq; angelis ex parte invenitur: Comparatur enim homo cum DEO, cujus respectu impurus dicitur, qvod qvidem de omnibus prorsus hominibus intelligendum est. At vero cum affirmatur, hominem bibere iniqvitatem, ut aqvam, id vel hyperbolice dictum censeri debet: vel certe non prorsus universe, sed generatim accipiendum est, idq; non ad hominis naturam, sed voluntarias actiones referendum. Est enim argumen-*

gumentum ab eo, qvod fit, non autem ab eo, qvod fieri fit necesse. Qvanqvam cum in libro Jobi in utramq; partem de qvibusdam rebus disputetur, non possunt temerè rationes in eo allatæ probari, præsertim cum à Jobi amicis afferuntur, qvi plerumq; non bonam causam defendunt. Non est autem Jobus, qvi loqvitur prædicto capite XV. sed Eliphaz, amicus ejus.

18. ℞. (1) Si loca ipsa verbis plenis adscribere liceret, ex perspicuitate verborum clarissima sententia nostra probata foret: nunc lectorem ad ipsum *Jobum* remittimus. (2) Qvod in *angelis* DEI reperta sit *stultitia*, *Job. IV. 18.* patet ex lapsu Diabolorum: loqvitur igitur *Jobus* de *lapsis* potius, qvam de *sanctis angelis*, qvando dicit: *Ecce inter servos ejus non manserunt fideles, & in angelis deprehensa est stultitia*: jam à *lapsis angelis* ad *sanctos*, argumentari non licet. (3) *comparative Jobus* loqvitur *in tantum*, non *in totum*, ut ex singulorum locorum inspectione liqvet: *cæli* non dicuntur *mundi*, magis respectu *nostri*, qvam respectu *sui*, cum ob peccatum hominis etiam reliqvæ creaturæ DEO non amplius placeant, sicut propter hominem ea prius ipsi placuerant, & propter eum conditæ fuerunt. (4) Verissimum est, qvod pleraq; *Jobi* loca, si non omnia sint universaliter de omnibus prorsus hominibus intelligenda, cum omnes homines sint peccatores. (5) *Hyperbole* fingitur, ex textu non deducitur in *c. XV. 16.* certum enim est, qvod *homo bibat iniqvitatem, ut aqvam*, tum respectu *peccati originalis*, qvod in ipsa conceptione, suiq; formatione, suscipit, tum respectu *peccati actualis*, qvia in omnibus actionibus aliqvid peccati conmiscere solet, idq; non tantum ex *mera electione*, sed ex *natura corruptione*, vel ex *corruptionis necessitate*. (6) licet in aliis disputetur nonnunqvam in utramq; partem, tamen hoc de *generali* hominum *corruptione* dici nec potest, nec debet, nec hic attendendum, an *Jobus*, an aliqvis amicorum hæc dixerit, cum reliqvis scripturis ea maxime consentiant.

19. (III) *Locus ille vulgo afferri solet: Ecce in iniqvitatibus conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea Psal. LI. 7. sed satis constare potest, figuratum esse istum loqvendi modum atq; hyperbolicum, ut illum etiam Psal. LIIX. 4. Abalienati sunt impii à vulva, erraverunt ab utero, loqventes mendacium. Similis locus est Esa. XLIIX. 8. qvibus loqvendi modis peccata exaggerantur, & efficacius vituperantur. Qvanqvam*

qvam verisimile est, Davidem potius ad excusandum peccatum suum ita locutum fuisse, & in humana fragilitate commemoranda, hyperbole ista fuisse usum, qvasi peccatum homini res qvædam plane naturalis sit, non autem, qvod ita sit revera: tametsi David non de homine, sed de seipso tantum loqvitur. Est qvidem in homminibus, nullo prorsus excepto, ad peccandum (ut sic loqvar) possibilitas, qvia nim. DEus voluntatem liberam & ad bonum, & ad malum dedit. Sed de mala illa cupiditate, & ad peccandum pronitate, licet in plerisq; sit, non tamen affirmare possumus, eam in omnibus prorsus esse.

20. ℟. (1) Tamdiu τὸ ῥητὸν, & proprius verborum sensus retinendus, donec vel *necessitas*, vel *rei absurditas*, vel *textus*, aut *contextus perspicuitas*, nos literæ proprietatem dimittere cogat: hic autem *Psal. LI.7.* nullam *figuram* concedimus, ubi maxime proprie locutum fuisse *Davidem* deprehendimus, & ex toto contextu perspicimus. (2) omnis *hyperbole* rei veritatem excedit, & speciem mendacii habere videtur: hoc certe *Davidi*, confessori peccatorum, h.l. tribuere nec possumus, nec debemus, cum eum ingenuum peccatorum confessorem conspiciciamus, ita, ut adulterium suum ipso *titulo Psalmi* præscripserit: nullo modo proinde veritati consentaneum est; eun. hyperbolicis sermonibus uti voluisse, cumprimis qvia non opus erat ulla *hyperbole*, ubi fundamentum peccatorum ipsa *natura corrupta* suppeditabat. Idem etiam de *reliqvis locis* judicium fieri debet. Hinc (3) notandum non opus *exaggeratione peccatorum* esse, cum eorum turpitudinem & abominationem detestabilem nec plane, nec plene satis describere qveamus, uti scriptura passim inculcat. (4) Falsum etiam, qvod *David* peccatum suum vel *excusare*, vel palliare, vel qvocunq; modo colorare voluerit, contrarium totus *Psalmi* contextus testatur, cum potius summam ejus abominationem agnoverit, horrendam & detestabilem ejus turpitudinem defleverit, & ad misericordiam DEI se receperit. (5) Qvod *peccatum originis* sit *res naturalis*, alibi probatur, non eqvidem *ex natura per DEum creatione*, sed *ex natura per lapsum corruptione* Confer. *Rom.V.12. Eph.II.3.* &c. (6) *David de se* loqvitur hic, sed *ut homine*, non *integro*, sed *corrupto* (7) Qvod in omnibus hominibus, nullo prorsus excepto, *possibilitas ad peccandum*, reperiatur, ex eo seqvitur, qvod omnino non pendeat solũ à *libera voluntate* pec-

catum, qvia infantes, & alii, liberam voluntatem non exercent, & tamen peccant. (8) Falsum, qvod *sola* ad *peccandum possibilitas* in omnibus reperiatur, cum ipsum peccatum in omnibus esse dicatur *Rom. V. 12.* (9) Ipsa *cupiditas* & *pronitas ad peccandum* etiam *peccatum* dicitur *Rom. VII. 7.* falsum autem, qvod in omnibus non inveniatur.

21. (IV) *Qvarto loco afferri potest* Rom. VII. *in qvo fateor ego, manifeste constare, de summa hominis ad peccandum proclivitate, manifeste agi. Sed considerandum est, Paulum non tam de natura hominis cujuscunq; loqvi, qvam de eo, qvod in plerisq; fieri contingit; nec hominem simpliciter considerare, sed qvatenus à lege afficitur. Namq; ostendit, si hominem (ut plerig; sunt) lex invenerit malæ cupiditati obnoxium, tantum abesse, ut eum vi sua & propria ab isto malo liberet, ut potius illud in ipso augeat. Cæterum cupiditas ista mala, qvæ cum plerisq; hominibus nasci dici potest, non ex peccato illo primi parentis manat, sed ex eo, qvod humanum genus, freqventibus peccatorum actibus, habitum peccandi contraxit, & se ipsum corrupit, qvæ corruptio per propagationem in posteros transfunditur. Etenim unum illud peccatum per se, non modo universos posteros, sed ne ipsum qvidem Adamum corrumpendi vim habere potuit. DEI verò consilio in peccati illius pœnam id factum esse, nec usqvam legitur, & plane incredibile est, imò impium id cogitare, DEum videlicet omnis rectitudinis auctorem, ulla ratione pravitatis causam esse, qvæ tamen pravitas, qvatenus, ut dictum est, per propagationem in hominem derivatur, peccatum proprie appellari neqvit. Nec Paulus prædicto cap. 7. Rom. peccati nomine verè pravitatem istam intelligit: sed figurata qvadam loqvendi ratione, personam, qvodammodo peccato tribuens, illud in homine nondum regenerato, & ab ipsa lege plane pendente, habitare dicit, id est, ejusmodi hominem, qvemadmodum à peccato abstineat, invenire non posse. Concludimus igitur, nullum, improprie etiam loqvendo, peccatum originale esse, id est, ex peccato illo primi parentis, nullam labem aut pravitatem, universo humano generi, necessario ingenitam esse, sive inflictam qvodamodo fuisse; nec aliud malum ex primo illo delicto ad posteros omnes necessario manasse, qvam moriendi omnimodam necessitatem, non qvidem ex ipsius delicti vi, sed qvia cum jam homo natura mortalis esset, ob delictum illud suæ naturali mortalitati à DEO relictus est; qvodq; naturale erat, id in delinqventis pœnam, prorsus necessarium est factum. Qvare qvi*

ex ipso nascuntur, eadem conditione omnes nasci oportet: nihil enim illi ademtum fuit, qvod naturaliter haberet, vel habiturus esset.

22. ℞. (1) adsumimus hoc, qvod *Socinus* fatetur h. l. de *summa hominis ad peccandum proclivitate* agi: hæc igitur *proclivitas* vel pendet *ex natura productione*, vel ex *natura constitutione*, vel ex *natura corruptione*: non *illud*, qvia DEus hominem rectum, & à peccatis immunem, non ad qvævis peccata proclivem condidit *Eccl. VII. 30.* nec *istud*, qvia homo constituitur materia & forma, vel corpore & anima, qvæ si considerantur essentialiter, naturales habent atq; positivas proprietates & operationes. Sed proclivitas ad peccandum non naturales vel proprietates, vel operationes, sed potius præternaturales tum à proprietatibus, tum ab operationib9, deviationes infert, manet igitur *hoc*, qvod verissimum. (2) Verum qvidem est, qvod *Paulus* non simpliciter de *natura hominis cujuscunq;*, vel per se, de eadem loqvatur, sed potius de *natura corrupta*, vel per *concupiscentiam deformata*, & qvatenus legi divinæ dicitur opposita. *Lex* inqvit v. 14. *Spiritualis est, ego*, v. corruptus homo, *carnalis sum, venundatus sub peccato:* Falsum autem est, qvod non de *omnibus hominibus corruptis* verba faciat. Nam qvod *Paulus* de se corrupto fatetur, illud etiam de qvovis corrupto profitetur. (3) Non loqvitur de *contingentibus accidentibus*, sed de *corruptis proprietatibus*, qvas prava concupiscentia contra legem DEI cunctis hominibus tribuit. v. 5. *Cum essemus IN CARNE, passiones peccatorum, qvæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti* &c; adeoq; non loqvitur de iis, qvæ vel ex *voluntate*, vel præter *voluntatem*, in plerisq; hominibus contingunt, sed qvæ per ipsam *carnem corruptam* omnibus hominibus insunt: nullam enim hic exceptionem facit. Nam lex non *aliqvos*, non *plerosq;*, sed *omnes homines* invenit peccatores, & pravis concupiscentiis obnoxios, qvia *omnes, judæi & Græci, sub peccato sunt, Rom. III. 9 seq. v. 19. 20* (4) Hinc *nascitur*, non cum *plerisq;*, sed cum *omnibus hominibus* hæc prava cupiditas, id qvod non tantum *scriptura*, sed etiam ipsa *natura*, prout hodie constituta, simulq; dierum omnium *experientia* monstrat, & hæc ex peccato illo primi parentis manat *Rom. V. 12.* non autem ex eo tantum, qvod humanum genus freqventibus peccatorum actibus studeat, & habitum peccandi contrahat, atq; seipsum corrumpat: nam lapsus pro-

jo pla-

roplastorum statim imaginis divinæ amissionem, & imaginis corruptæ conditionem secum habuit, qvemadmodum ex effectis, & aliis indiciis patet, adeoq; sic *Adamus* ipse corruptam naturam, vel pravam concupiscentiam, in posteros suos propagavit. Nam si, qvod *Socinus* fatetur, *corruptio per propagationem in posteros transfunditur apud alios, certe non potest negari*, qvod primus homo qvoq; corruptionem per naturalem propagationē in posteros transmiserit. (5) *Dist.* inter *actum nude externum*, & inter *actum plenarium* lapsus protoplastorum: non per se, tanqvam actus externus, vel *Adamum*, l. posteros corrumpere potuit, sed qvoad actum plenarium, qvatenus plenariam apostasian, & alia, simul inferebat. (6) *DEI judicium* & *naturæ corruptæ vitium*, non opponenda, nec disjungenda, sed conjungenda. (7) *Dist.* inter *DEI judicium*, & *DEum principium*: *DEI judicium* versatur circa *pravitatem*, sed *DEus, ut principium*, non operatur pravitatem. (8) Non omnia, qvæ vel cum, vel in natura propagantur, ad DEum referenda sunt: qvia DEus *causa prima*, non *secunda*: *huic*, non *illi*, defectus tribuendi. (9) *Concupiscentia congenita*, qvæ juxta *Socinum* intelligitur apud *Paulum*, & qvidem verè *peccati* nomine, non *improprie*, sed *proprie* peccatum dicitur, sicut ex verbis, scopo, contextu, & aliis liqvet. (10) Non tantum *moriendi necessitas*, sed etiam *mors ipsa*, ex primo homine ad posteros promanavit *Rom. V. 12.* & qvidem ut *pœna*, non *sine*, sed *cum culpa*, ut ibidem docet Apostolus &c:

23. (V) *Qvia sunt postremo, qvi dicant omnes homines tanqvam in uno illo primo homine inclusos peccasse, cum ille peccavit, ad idq; probandum afferunt Rom. V. 12. In qvo omnes peccaverunt, tanqvam IN QVO referendum sit ad Adamum, de qvo proxime verba facta fuerunt. Verum sciendum est, in græco esse ἐφ' ᾧ, qvod nihil aliud significat, qvam ut plerumq; solet* eo qvod, *vel* qvatenus. *Et sensus est, omnes homines morti penitus fuisse obnoxios*, eo qvod, l. qvatenus *omnes peccaverunt, stipendium enim peccati mors Rom. VI. 23.*

24. ℞. (1) licet hæc *particula causaliter* accipiatur, sicut etiam *B. Lutherus* reddidit, dieweil Sie alle gesündiget haben/ tamen sententia nostra confirmatur, qvia omnes peccaverunt, & de peccato participando, & peccaminosam naturam suscipiendo, & peccatum originis fovendo, &c: (2) *materialis*, vel *subjectivus sensus*, *priori* non est contrarius, qvia & in Adamo peccaverunt omnes, & vere qvoq; peccaverunt omnes. Plura nunc non addimus.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
EX ARTICULO III.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE

CHRISTO.

DISP. VI. R. M. FRIDERICUS Beck/Onoldo Francus.

QVÆSTIO PRIMA.

Num Incarnatio Christi verum articulum fidei constituat?

I.

HOrrenda sunt effata *Socinianorum* de *Mysterio Incarnationis*, qvod tamen maxime fundamentale fidei Christianæ dogma. Ipse *Socin.* in explic. part 1. cap. 1 Joh. p. 41. *incarnationis dogma figmentum* vocat & *fabulam*, *Crell. l. 2. de U. D. P.* sect. 2. p. 563. *sententiam, qvæ multa continet absurda*, p. 565. *vanum commentum*, *Volkel.* l. 5. de Ver. Relig. c. 11. p. 456 *opinionem, qvæ nec cum sanæ mentis ratione conveniat, nec ullo sanctarum literarum testimonio comprobari poßit*, *Smaltz.* contr. Franz. p. 155. *Incarnationem Christi figmentum adeo absurdum & blasphemum esse, ut is DEO multum detrahat, & rem, ut sanæ rationi, sic etiam sacris literis contrariam dicat, qvi de eo affirmare audeat, qvod incarnatus sit*, idem in refut. thes. Grauer. de incarnat. p. 3. blaspheme scribit, qvod illud dogma sit *absurdum, & in religione Christiana omnium ferè monstrosißimum, opinatio indigna, qvæ in vera Christi Ecclesia locum habeat, imò ejusmodi dogma, qvod ad fundamentum religionis evertendum, aptißimum & accommodatißimum* sit; item hom. 1. super init. c. 1. Joh. p. 1. *Contendunt* (nonnulli) *personam Filii (ut nonnulli barbare loqvuntur) incarnatam esse, vel humanam naturam assumsisse, & DEUM illum summum hominem esse factum affirmant. Qva in re qvam graviter hallucinentur, & qvam non tantum ipsi sanæ rationi, sed & qvod majus est, sacris literis contraria affirment, & qvam multa absurda sanctißimæ Christianæ religioni affingant, alibi à nostris prolixe demonstratum,*

 tum,

tum. Ostorod. Instit. c. 17. p. 96. qvod sit *purum putum figmentum temerariorum hominum*, die Menschwerdung Christi wird bey unsern Adversariis für gar ein grosses und tremendum mysterium, das ist / erschreckliches Geheimniß / bey uns aber für ein lauter Gedicht vorwitziger Menschen gehalten/ꝛc. Hæc & similia blasphema pronunciata *Socinus* cum asseclis *Incarnationis* dogmati fallaciter opponit, ut dubitationes in mentibus hominum curiosorum accendere possit.

2. Nos circa qvæstionem ipsam unum, vel alterum monemus (1) qvod *Incarnationis dogma* sit *fidei mysterium*, non *rationis principium*, non sit *secundum rationem*, sed *super omnem rationem*, juxta illud *Justini*, qvo dicitur ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν. (2) qvod *rationis axiomata* mysteriis fidei non sint opponenda, sed illis universa rationis placita sint submittenda, cum *Philosophia* sit *ministra*, non *magistra Theologiæ*. Hinc (3) dicimus, qvod *incarnationis dogma verum articulum fidei* constituat. Et licet plurima fundamenta nostræ theseos adducere possemus, tamen instar omnium impræsentiarum nobis erit emphaticum & accuratum oraculum *Pauli* 1. *Tim*. III. 16. ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, *Hoc omnium confeßione, vel consensione, magnum est pietatis mysterium, DEUS manifestatus est in carne*, vel uno verbo, *incarnatus* est.

3. Pro *negativa* militant *Sociniani*, qvi nihil minus concedere volunt, qvam *Incarnationem* dari, *vel articulum fidei Christianæ notare*. Nos hac vice potissimum verba *Smalzii hom. 5. in cap. 1 Joh. p. 89.* examinamus: *Credimus*, inqvit, *etiamsi non semel atq; iterum, sed satis crebro & apertissime scriptum extaret, DEUM esse hominem factum, multo satius esse, qvia hæc res absurda, & sanæ rationi plane contraria, & in DEUM blasphema, modum aliqvem dicendi comminisci, qvo ista de DEO dici poßint, qvam ista simpliciter ita, ut verba sonant, intelligere, & ita sanctissimam Jesu Christi religionem pro turpißima omnibus ridendam exponere*.

4. Sic igitur *Smalzius* negare dicitur *Incarnationem Christi* propter seqventes rationes (1) *Ob insufficientiam scripturæ*, qvia *non sufficit, ut aliqvid semel atq; iterum, imò satis crebro, idq; verbis apertissimis scri-*

ſcriptum ſit. R. (1) Ipſi *Sociniani* perpetuo communiter urgent τὸ ῥητὸν ſcripturæ, neceſſum igitur eſt, ut apertam ſcripturæ profesſionem & conſenſionem admittant, ſi nimirum aliqvid *clare ſatis*, & qvidem *ſemel* atq; *iterum*, imò *ſæpius* ſit annotatum. *Smalz.* contr. Franz. p. 24. *Quæ neceſſaria omnino ſunt ad ſalutem, iſta omnia in ſacris literis ut expreſſe ſcripta extent, neceſſe eſt.* p. 65. *omnia, ſine quibus ſalus æterna conſiſtere nequit, expreſſe in ſacris literis ſcripta eſſe debere, nemo ſanæ mentis negaverit. Oſter.* inſtit. c. 4. p. 28. Solch eine groſſe Sache/ die ſie für den Haupt-Artickel ihres Glaubens/ und für das rechte heilſame Erkäntniß GOttes halten / ohn welches Erkäntnüß man nicht könne ſelig werden/ muß nicht auff conſeqventiis, und Schluß-Reden / ſondern auff den hellen/ klaren und außgedruckten Wort GOttes gegründet ſeyn. Et hoc paſſim alibi profitentur: nos igitur ex clara litera myſterium incarnationis credendum eſſe pronunciamus, idq; confitentibus ipſis adverſariis. Hinc (2) opponimus *Smalzio Socinum* h. l. Sic enim *Socin.* in ſolut. ſcrupul. in Epil. pag. 53. *Si quid in V. & N. T. libris NON UNO TANTUM, aut ALTERO IN LOCO, neq; iis verbis, qvæ obſcuritatem aliqvam habere poſſunt, ſed ubiq; paſſim, idq; clariſſimis verbis conteſtatum deprehendimus, nihil prorſus eſt nobis dubitandum, quin id veriſſimum ſit, quicquid hujus ſeculi ſapientia nobis ſvadeat; alioquin ſi vel ex hominum autoritate, vel ex ſenſu noſtro, in rerum divinarum cognitione pendere ulla ratione voluerimus, ſicq; APERTISSIMIS SCRIPTURÆ TESTIMONIIS opponere, facile fiet, ut ſenſim in omnem pietatis neglectum prolabamur, divina oracula pro nugis, univerſam Sacram Hiſtoriam pro fabulis propemodum habeamus;* imò *Smalzium* ipſum opponimus *Smalzio*: ſic enim eodem lib. contr. *Franz.* p. 165. ſcribit: *Oſtendat nobis Franzius ex ſacris literis ſuas opiniones, & nos eas pro certis recipiemus, etiamſi rationem noſtram ſuperent.* Faciat idem hic *Smalzius*, & res omnis in vado verſabitur. (3) Notum eſt, qvod nullum aliud detur fidei Chriſtianæ principium, qvam ſcriptura ſacra: meritò igitur in conſtanti & continua ejus aſſertione nos acqvieſcere, neutiqvam vero dicendi modos, vel tropos in clariſſimis verbis ſæpius, vel aliqvoties iteratis, confingere debe-

L 2 mus.

mus. (4) Ipse præco conceptionis, Angelus, hoc mysterium incarnationis ex scripturis propheticis probavit *Matth. I. 23.* adducens dictum *Esa. VII. 14.* adeoqve sic *consensus angelicus, propheticus, Evangelicus & Apostolicus*, urgeri non tantum potest, sed etiam debet.

5. (II.) *Qvia hæc res est absurda, nimirum juxta Socinianos mysterium Incarnationis* absurditate laborat. Nullum autem absurdum credendum, vel pro articulo fidei habendum, cum fides non sit absurdorum, sed summorum mysteriorum. ℞. (1) *Dist.* inter *absurdum esse*, & *videri*, vel *dici*: non est hoc mysterium absurdum, licet tale videatur occæcatis & corruptis hæreticorum mentibus, aut dicatur falsis hæreticorum assertionibus. (2) Negatur, qvod hic absurditas ulla reperiatur, cum potius summa sit hujus mysterii sublimitas *1. Tim III. 16.* unde nec qvicqvam absurdi *Smalzius* adducit, imò nec salva veritate qvicqvam ejus adducere potest. (3) Maxima circa mysterium hoc est *Mosis, Psalmorum & Prophetarum*, item *Evangelistarum & Apostolorum*, & omnium *orthodoxorum confessorum* harmonia: jam ubi pulcherrima scripturæ totius & Ecclesiæ totius harmonia, ibi nulla prorsus est absurditatis *ἀσυμφωνία*, nec qvicqvam absurdi sic fingendum erit: plurima qvoqve mysteria svavissime cum incarnationis mysterio conspirant, non igitur aliqvid absurdi hic concedi potest.

6. (III.) *Qvod Incarnatio sanæ rationi plane sit contraria.* ℞. (1) *fides Christiana* non ex *humana ratione*, sed ex *divina revelatione* pendet: nihil igitur Incarnationis mysterium cum ratione commercii habet, unde neqve consonum eidem, neqve contrarium dicendum. (2) Falsum est, qvod *mysterium Incarnationis* sit *contra rationem*, cum potius sit *supra rationem*, videl. propter divinam sublimitatem & eminentiam: aliud enim est *contra rationem*, aliud *supra rationem* esse: qvod autẽ sit *supra rationem*, patet ex eo, qvia simpliciter & immediatè suum ortum habet à DEO, & supra cursum omnem naturæ positum. (3) *Dist.* inter *rationem sanam*, & *malesanam*: non *sanæ*, sed *malesanæ* hæreticorum rationi mysterium hoc est contrarium: cum ratio sana mysteria supra se veneretur, non autem ex se, vel secundum se scrutetur.

7. (IV.) *Qvod incarnatio sit in DEUM blasphema.* ℞. (1) *Accu-*
satio,

latio, non est *probatio*: blasphemum igitur est, qvod hoc mysterium blasphemiæ postulatur, imò Diabolica prorsus calumnia: (2) *blasphemum* est, qvod in DEUM injuriosum est: at misereri humani generis, itemqve creaturam ex infinita gratia honorare, non dicitur injuriosum in DEUM. Ergo nec pro *blasphemo* haberi poterit. (3) notum, qvod omnia divinæ voluntati consona sint, qvæ sæpius apertissimis verbis in scripturis Veteris & Novi Testamenti revelata sunt, adeoqve nullo modo *blasphema* dici poterunt: *mysterium* autem *incarnationis* sæpius apertissimis verbis in scripturis esse revelatum, ipse *Smalzius* negare non audet.

8. (V.) *Qvia multo satius sit, modum aliquem dicendi comminisci, quo ista de* DEO *dici possint, quam ista simpliciter ita, ut verba sonant, intelligere.* ℞. (1) *Dist.* inter *hominum commenta*, & DEI *mysteria*: talia *commenta* nos *Socinianis*, & aliis veritatis hostibus, relinqvimus, nos in aperto veritatis tramite subsistimus. (2) nos certè DEO sapientiores non sumus, unde nec aperta DEI verba in obscura, propria in impropria convertere debemus. (3) in articulis fidei τὸ ῥητὸν omninò dicitur urgendum, adeoqve tale *commentum troporum* minimè concedendum, sed potius apertissimum τὸ ῥητὸν retinendum.

9. (VI.) *Quia sanctissima Christi religio pro turpissima omnibus ridenda exponitur per hoc mysterium incarnationis.* ℞. (1) Dicitur hoc iterum ab homine *blasphemo*, sed nihil ejus probatur. (2) totus fideliũ cætus hactenus mysterium hoc veneratus, empæctas & Diaboli mancipia nos minimè curamus (3) ubi summa pulchritudo, nulla manat inde turpitudo: pulcherrimum est Incarnationis mysterium, qvod etiam Angeli venerantur & celebrant, qvemadmodum ex *Luc. II. 10. seqq.* manifestum, ex hoc igitur nulla turpitudo Christianæ religionis emanare potest.

10. (VII.) *Quia usi sint hac prudentia omnes Theologi in rebus, quæ multo minus, etiamsi propriè intelligerentur,* DEI *majestatem offenderent, ut cum de* DEO *legitur, eum irasci, eum dolere, eum descendere, per ἀνθρωποπαθῶς ea de illo dici docuerunt. Nec enim convenire ipsis videbatur, in* DEUM *hujusmodi perturbationes, aut motus cadere. Quomodo verò in* DEUM *proprie potest cadere id, quod ipsius non tantum qualitates*

verum etiam essentiam respicit, & necessariò mutat. ℞. (1) utrobiqve maxima disparitas, qvia *affectus* non dicuntur *essentialiter* esse in DEO. Sed humana natura dicitur esse non *essentialiter* sed *supernaturaliter* in DEO, non qvoad *essentiam*, sed qvoad *singularißimam gratiam.* (2) DEUS *irasci* dicitur, *dolere* &c. non *humano more*, sed *modo sibi convenienti*, partim per *essentiam*, partim per *efficientiam*, partim per *eminentiæ analogiam*, non autem per *aliquam perturbationem humanam.* (3) Falsum, qvod incarnatio mutet *DEI essentiam*, cum essentia filii DEI, sicut ante incarnationem fuit immutabilis, manserit etiam post incarnationem vere semper immutabilis, licet humanam naturam assumserit, cum assumtio hæc non qvoad *essentiam*, sed qvoad *unionis gratiam* facta sit, & non in *Deitate*, sed in *humanitate*, qvæ cæpit esse, & in persona τῷ λόγου subsistere, mutatio contigerit.

QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum in Christi persona duæ sint naturæ distinctæ?

1. Circa *quæsitum* paucis observamus (1) aliud esse, *divinam Christi personam* considerare *ante incarnationem*, ubi certe fuit *unius*, non *duarum naturarum*: aliud verò personam eandem considerare *post incarnationem*, ubi, juxta scripturam, non tantum *unius*, sed *duarum* creditur *naturarum*, secundum versiculum: *Sum, quod eram, nec eram, quod sum, nunc dicor utrumq;.* (2) *Distinguendum* est inter *personam* & *naturas* θεανθρώπου: *Personam unam* esse credimus, qvia tantum unus est Christus, unus Mediator DEI & hominum, Christus Jesus *1. Tim. II. 5. Naturas* verò *duas* confitemur, qvia Christus noster est *Immanuel Es. VII. 14. Filius DEI & Filius Mariæ Luc. I. 31.* vere θεάνθρωπος. (3) Non esse plures, vel pauciores duabus in Christi persona naturas: qvia non angelos, nec aliam naturam, sed *Abrahæ* semẽ assumsit *Heb. II. 16.* adeoq; *vere DEUS* & *verè homo* rectissimè dicitur. Hinc (4) Confitemur in una Christi persona duas esse distinctas naturas, *divinam* videl. & *humanã*. Nam juxta *Symbol. Athanasianum, hæc est recta fides, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus DEI Filius, DEUS & homo est, DEUS ex substantia Patris ante secula genitus, & Homo, ex substantia matris, in seculo natus.*

Per-

Perfectus DEUS, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.

2. Nos *Affirmativam quæstionis partem* multis probare possemus: nunc saltem unum vel alterum adducere placet, qvia constat Christum esse DEUM & Hominem (1) *è divinis & humanis appellationibus:* Vocatur enim, modo *DEUS, Dominus, Jehova* &c. modo *Semen mulieris, Filius hominis, Homo* &c. *Puer natus* & *Pater æternus Esa, IX. 6.* & multis aliis divinis & humanis *appellationibus* ejus vera *divinitas* & *humanitas* insinuatur. (2) *E nominibus propriis.* Dicitur *Jesus*, hoc est, *Salvator*, qvæ vox tam divinam, qvam humanam Naturam importat, illam, ut salvare *posset*, hanc, ut salvare *deberet*. Vocatur *Christus*, propter ungentem *divinitatem* & unctam *humanitatem*. Vocatur *Immanuel, nobiscum DEUS Esa. VII. 14.* qvod *Matt. I. 23.* disertis verbis de duabus naturis interpretatur, θεάνθρωπος, *Mediator, Redemtor* &c. (3) *è distincta generatione:* Genitus enim est ab æterno à Patre *Psal. II. 7.* natus ibidem in plenitudine temporis ex Maria virgine *Luc. II. duplex* autem hæc *generatio duplicem* in Christo *naturam* esse, constanter evincit. (4) *E proprietatum divinarum & humanarum attributione:* Positis proprietatibus, ponuntur naturæ: Sed utriusq; naturæ proprietates, videlicet divinæ & humanæ, Christo conveniunt; vere proinde DEUS & Homo erit. (5) *è solenni Patris cælestis testificatione:* *Pater* enim *cælestis* de Christo homine, à *Johanne* visibiliter in Jordane baptisato, solenniter voce cælitus missa, testificatus est: *Hic est Filius meus dilectus Matt. III. 17.* Confer. *c. XVII. 5.* Plures rationes produxit *Dn. D. Calovius in Socinism. proflig.* sect. χριστολ. subs. 1. contr 2 qvi probavit hanc thesin (1) *è Nominibus Christi* (2) *è Vaticiniis Veteris Testamenti* (3) *è luculentis Testimoniis Novi Testamenti* (4) *E vocibus distinctivis.* (5) *E proprietatibus divinis & humanis* (6) *è Mediatorio Officio Christi* (7) *è Communicatione Idiomatum.* (8) *E Socinianorum confessione*, qvia *Crellius* largitur, si Christus verus & summus DEUS sit, necessario credendam esse incarnationem, qvandoqvidem certum sit è scripturis, qvod Filius DEI sit summus DEUS & verus homo, certo tempore è virgine natus. Sic enim *l. 2. de Uno DEO Patre sect 2. c. 3. p. 563.* scribit: *Incarnationem coguntur omnes illi agnoscere, qvi Christum supremum*

DEUM

opponendus. Utrumq; enim vidit Dominus, & multam malitiam, & figmentum cordis omne tempore malum. Istud peccatum actuale, hoc originale: istud malos fructus, hoc malam arborem; istud diluvii causam proximam, hoc causam causæ significat. (3) *Qvoniam causa diluvii redditur, idcirco verba sic exponenda erunt, ut infantes non excludantur, qvandoqvidem & illi diluvio periere. At v. si per figmentum cordis malum, actualem tantum iniqvitatem intelligas, qvid hoc ad infantes? seqvitur ergo, vel causam communem, adeoq; naturalem labem simul involvi, vel infantes absq; omni culpa punitos esse, qvod impium. Proinde sic concludo: Diluvii causa fuit peccatum; Infantes periere diluvio. Ergo propter peccatum. Non autem actuale. Nam tale qvid ob negatum rationis usum committere non potuerant. Aliud ergo præterea, nimirum originale, concedendum erit.*

16. Ad locum *Gen. IIX.* R. (1) qvod facile concedamus, in *Hebr.* כִּי *qvia*, legi, non *enim*: sed *vocibus* magis, qvam *virtute* vel *illatione*, particulæ distinctæ sunt, qvia utraq; *causalis* est, id qvod etiam ex contextu patet, sic enim integer locus habet: *Noa obtulit holocausta super altare: odoratusq; est Dominus odorem svavitatis, & dixit Dominus ad cor suum: Neqvaqvam ultra maledicam terræ propter homines, qvia figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci; cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies, non reqviescent.* Ex qvibus apparet, qvod hæc verba sint DEI, per sacrificia placati, & ad novas promissiones excitati, qva ratione generis humani miseriæ recordatus, eiq; suam gratiam pollicitus est. (2) non opus est, ut vel *Est*, vel *Sit*, apud *Latinos* subintelligatur, cum plenus sit sensus, si dicatur, *qvia figmentum cordis humani malum ab adolescentia.* (3) rectius autem indicativus *Est*, qvam conjunctivus *sit*, subintelligitur, qvia juxta contextum omnino *ratio* subjicitur, qvare DEus posthæc usq; ad seculi consummationem mundo non velit amplius universaliter maledicere, qvod ipse textus innuit, & consensus Interpretum ostendit. (4) Hinc falsum est, qvod *non afferat DEus rationem, cur non amplius sit execraturus terram propter hominem, nec amplius percussurus omnem viventem*, cum ipse naturalis sensus & positus verborum id refutet. (5) Vanum autem est effugium, qvod *hoc saltem indicet DEus, hominis malitiam non amplius*

plius tantam vim habiturum, ut ipse propter hominem terram ex- ecretur, & omnem viventem percutiat, qvam malitiam non affirmet jam esse, aut omnino futuram, sed, si fuerit, non eam vim apud se habituram, qvam antea habuit. Nam hæc promissio ex *DEI gratia*, vel *misericordia*, non ex *futuri peccati inefficacia* desumitur, sicut clarissima verba docent; *vis peccati* semper eadem est, qvalis fuit ab initio, talis adhuc est, & talis etiam posthæc manebit, nim. excitat DEI gravissimam iram, & eum commovet ad pœnam; neq; fuit ante diluvium vis peccati major, neq; post diluvium cæpit esse minor. (6) Falsum est, qvod Jehova non loqvatur de *peccato præsente*, cum de *peccato cujusvis hominis à pueritia* sermonem faciat, qvale tum temporis etiam *Noa*, & *filiis*, ac ipsorum *uxoribus* præsens erat, unde communiter ab interpretibus observatur, qvod hoc loco non de *peccato actuali*, sed *originali* sermo sit. Confer. *B. Meisner d. l.* ubi *6. argumentis* idipsum demonstrat. (7) *Incommodum* qvod adducitur, nullum est, qvia peccatum *per se* causa fuit diluvii, sed peccatum *per se* non est causa amissionis pœnæ vel supplicii, sed hæc potius causa *sacrificiis, fide per Noam oblatis*, nim. per & propter Messiam, itemq; *DEI misericordia* & *promissioni gratuitæ* tribuenda venit, prout ex contextu liqvet.

17. (II) *Multa testimonia, ex Jobi historia desumta, afferri possunt, ut c. IV. 17. 18. 19. & XIV. 1. 2. 3. 4. c. XV. 14. 15. & XXV. 4. 5. 6. ubi dicitur hominem esse impurum in DEI conspectu, & ratio redditur, qvia ejus fundamentum sit è pulvere, & res sit frivola ac fragilis, & tanqvam putredo qvadam: qva ratio naturam hominis ob oculos ponit, & ab ipso ortu hominem impurum esse demonstrat, nempe ob malam cupiditatem, ei naturaliter inditam, propterea c. XV. 16. dicitur, hominem abominabilem, & inutilem, seu fœtidum, imbibere iniqvitatem, ut aqvas. Animadvertendum autem est in locis illis de impuritate qvadam hominis sermonem esse, qva in ipsis qvoq; angelis ex parte invenitur: Comparatur enim homo cum DEO, cujus respectu impurus dicitur, qvod qvidem de omnibus prorsus hominibus intelligendum est. At vero cum affirmatur, hominem bibere iniqvitatem, ut aqvam, id vel hyperbolice dictum censeri debet: vel certe non prorsus universe, sed generatim accipiendum est, idq; non ad hominis naturam, sed voluntarias actiones referendum. Est enim ar-*

gumentum ab eo, qvod fit, non autem ab eo, qvod fieri fit necesse. Qvanqvam cum in libro Jobi in utramq; partem de qvibusdam rebus disputetur, non possunt temerè rationes in eo allatæ probari, præsertim cum à Jobi amicis afferuntur, qvi plerumq; non bonam causam defendunt. Non est autem Jobus, qvi loqvitur prædicto capite XV. sed Eliphaz, amicus ejus.

18. R. (1) Si loca ipsa verbis plenis adscribere liceret, ex perspicuitate verborum clarissima sententia nostra probata foret: nunc lectorem ad ipsum *Jobum* remittimus. (2) Qvod in *angelis* DEI reperta sit *stultitia*, *Job. IV. 18.* patet ex lapsu Diabolorum: loqvitur igitur *Jobus* de *lapsis* potius, qvam de *sanctis angelis*, qvando dicit: *Ecce inter servos ejus non manserunt fideles, & in angelis deprehensa est stultitia:* jam à *lapsis angelis* ad *sanctos*, argumentari non licet. (3) *comparative Jobus* loqvitur *in tantum*, non *in totum*, ut ex singulorum locorum inspectione liqvet: *cœli* non dicuntur *mundi*, magis respectu *nostri*, qvam respectu *sui*, cum ob peccatum hominis etiam reliqvæ creaturæ DEO non amplius placeant, sicut propter hominem ea prius ipsi placuerant, & propter eum conditæ fuerunt. (4) Verissimum est, qvod pleraq; *Jobi* loca, si non omnia sint universaliter de omnibus prorsus hominibus intelligenda, cum omnes homines sint peccatores. (5) *Hyperbole* fingitur, ex textu non deducitur in *c. XV. 16.* certum enim est, qvod *homo bibat iniqvitatem, ut aqvam*, tum respectu *peccati originalis*, qvod in ipsa conceptione, suiq; formatione, suscipit, tum respectu *peccati actualis*, qvia in omnibus actionibus aliqvid peccati commiscere solet, idq; non tantum ex *mera electione*, sed ex *natura corruptione*, vel ex *corruptionis necessitate*. (6) licet in aliis disputetur nonnunqvam in utramq; partem, tamen hoc de *generali* hominum *corruptione* dici nec potest, nec debet, nec hic attendendum, an *Jobus*, an aliqvis amicorum hæc dixerit, cum reliqvis scripturis ea maxime consentiant.

19. (III) *Locus ille vulgo afferri solet: Ecce in iniqvitatibus conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea Psal. LI. 7. sed satis constare potest, figuratum esse istum loqvendi modum atq; hyperbolicum, ut illum etiam Psal. LIIX. 4. Abalienati sunt impii à vulva, erraverunt ab utero, loqventes mendacium. Similis locus est Esa. XLIIX. 8. qvibus loqvendi modis peccata exaggerantur, & efficacius vituperantur. Qvanqvam*

qvam verisimile est, Davidem potius ad excusandum peccatum suum ita locutum fuisse, & in humana fragilitate commemoranda, hyperbole ista fuisse usum, qvasi peccatum homini res qvædam plane naturalis sit, non autem, qvod ita sit revera: tametsi David non de homine, sed de seipso tantum loqvitur. Est qvidem in hominibus, nullo prorsus excepto, ad peccandum (ut sic loqvar) possibilitas, qvia nim. DEus voluntatem liberam & ad bonum, & ad malum dedit. Sed de mala illa cupiditate, & ad peccandum pronitate, licet in plerisq; sit, non tamen affirmare possumus, eam in omnibus prorsus esse.

20. ℟. (1) Tamdiu τὸ ῥητὸν, & proprius verborum sensus retinendus, donec vel *necessitas*, vel *rei absurditas*, vel *textus*, aut *contextus perspicuitas*, nos literæ proprietatem dimittere cogat: hic autem *Psal. LI.7.* nullam *figuram* concedimus, ubi maxime proprie locutum fuisse *Davidem* deprehendimus, & ex toto contextu perspicimus. (2) omnis *hyperbole* rei veritatem excedit, & speciem mendacii habere videtur: hoc certe *Davidi*, confessori peccatorum, h.l. tribuere nec possumus, nec debemus, cum eum ingenuum peccatorum confessorem conspiciciamus, ita, ut adulterium suum ipso *titulo Psalmi* præscripserit: nullo modo proinde veritati consentaneum est; eum. hyperbolicis sermonibus uti voluisse, cumprimis qvia non opus erat ulla *hyperbole*, ubi fundamentum peccatorum ipsa *natura corrupta* suppeditabat. Idem etiam de *reliqvis locis* judicium fieri debet. Hinc (3) notandum non opus *exaggeratione peccatorum* esse, cum eorum turpitudinem & abominationem detestabilem nec plane, nec plene satis describere qveamus, uti scriptura passim inculcat. (4) Falsum etiam, qvod *David* peccatum suum vel *excusare*, vel palliare, vel qvocunq; modo colorare voluerit, contrarium totus *Psalmi* contextus testatur, cum potius summam ejus abominationem agnoverit, horrendam & detestabilem ejus turpitudinem defleverit, & ad misericordiam DEI se receperit. (5) Qvod *peccatum originis* sit *res naturalis*, alibi probatur, non eqvidem *ex natura per DEum creatione*, sed *ex natura per lapsum corruptione* Confer. *Rom. V. 12. Eph. II. 3.* &c. (6) *David de se* loqvitur hic, sed *ut homine*, non *integro*, sed *corrupto* (7) Qvod in omnibus hominibus, nullo prorsus excepto, *possibilitas ad peccandum*, reperiatur, ex eo seqvitur, qvod omnino non pendeat solū à *libera voluntate* pec-

catum, qvia infantes, & alii, liberam voluntatem non exercent, & tamen peccant. (8) Falsum, qvod *sola* ad *peccandum possibilitas* in omnibus reperiatur, cum ipsum peccatum in omnibus esse dicatur *Rom.V.12.* (9) Ipsa *cupiditas* & *pronitas ad peccandum* etiam *peccatum* dicitur *Rom.VII. 7.* falsum autem, qvod in omnibus non inveniatur.

21. (IV) *Qvarto loco afferri potest Rom.VII. in qvo fateor ego, manifeste constare, de summa hominis ad peccandum proclivitate, manifeste agi. Sed considerandum est, Paulum non tam de natura hominis cujuscunq; loqvi, qvam de eo, qvod in plerisq; fieri contingit; nec hominem simpliciter considerare, sed qvatenus à lege afficitur. Namq; ostendit, si hominem (ut pleriq; sunt) lex invenerit malæ cupiditati obnoxium, tantum abesse, ut eum vi sua & propria ab isto malo liberet, ut potius illud in ipso augeat. Cæterum cupiditas ista mala, qvæ cum plerisq; hominibus nasci dici potest, non ex peccato illo primi parentis manat, sed ex eo, qvod humanum genus, freqventibus peccatorum actibus, habitum peccandi contraxit, & se ipsum corrupit, qvæ corruptio per propagationem in posteros transfunditur. Etenim unum illud peccatum per se, non modò universos posteros, sed ne ipsum qvidem Adamum corrumpendi vim habere potuit. DEI verò consilio in peccati illius pœnam id factum esse, nec usqvam legitur, & plane incredibile est, imò impium id cogitare, DEum videlicet omnis rectitudinis auctorem, ulla ratione pravitatis causam esse, qvæ tamen pravitas, qvatenus, ut dictum est, per propagationem in hominem derivatur, peccatum proprie appellari neqvit. Nec Paulus prædicto cap. 7. Rom. peccati nomine verè pravitatem istam intelligit: sed figurata qvadam loqvendi ratione, personam, qvodammodo peccato tribuens, illud in homine nondum regenerato, & ab ipsa lege plane pendente, habitare dicit, id est, ejusmodi hominem, qvemadmodum à peccato abstineat, invenire non posse. Concludimus igitur, nullum, improprie etiam loqvendo, peccatum originale esse, id est, ex peccato illo primi parentis, nullam labem aut pravitatem, universo humano generi, necessario ingenitam esse, sive inflictam qvodamodo fuisse; nec aliud malum ex primo illo delicto ad posteros omnes necessario manasse, qvam moriendi omnimodam necessitatem, non qvidem ex ipsius delicti vi, sed qvia cum jam homo natura mortalis esset, ob delictum illud suæ naturali mortalitati à DEO relictus est; qvodq; naturale erat, id in delinqventis pœnam, prorsus necessarium est factum. Qvare qvi*

ex ipso nascuntur, eadem conditione omnes nasci oportet: nihil enim illi ademtum fuit, qvod naturaliter haberet, vel habiturus esset.

22. ℞. (1) adsumimus hoc, qvod *Socinus* fatetur h. l. de *summa hominis ad peccandum proclivitate* agi: hæc igitur *proclivitas* vel pendet *ex natura productione*, vel ex *natura constitutione*, vel ex *natura corruptione*: non *illud*, qvia DEus hominem rectum, & à peccatis immunem, non ad qvævis peccata proclivem condidit *Eccl. VII.30.* nec *istud*, qvia homo constituitur materia & forma, vel corpore & anima, qvæ si considerantur essentialiter, naturales habent atq; positivas proprietates & operationes. Sed proclivitas ad peccandum non naturales vel proprietates, vel operationes, sed potius præternaturales tum à proprietatibus, tum ab operationib9, deviationes infert, manet igitur *hoc*, qvod verissimum. (2) Verum qvidem est, qvod *Paulus* non simpliciter de *natura hominis cujuscunq;*, vel per se, de eadem loqvatur, sed potius de *natura corrupta*, vel per *concupiscentiam deformata*, & qvatenus legi divinæ dicitur opposita. *Lex* inqvit v. 14. *Spiritualis est, ego*, v. corruptus homo, *carnalis sum, venundatus sub peccato:* Falsum autem est, qvod non de *omnibus hominibus corruptis* verba faciat. Nam qvod *Paulus* de se corrupto fatetur, illud etiam de qvovis corrupto profitetur. (3) Non loqvitur de *contingentibus accidentibus*, sed de *corruptis proprietatibus*, qvas prava concupiscentia contra legem DEI cunctis hominibus tribuit. v. 5. *Cum essemus IN CARNE, passiones peccatorum, qvæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti* &c; adeoq; non loqvitur de iis, qvæ vel ex *voluntate*, vel præter *voluntatem*, in plerisq; hominibus contingunt, sed qvæ per ipsam *carnem corruptam* omnibus hominibus insunt: nullam enim hic exceptionem facit. Nam lex non *aliqvos*, non *plerosq;*, sed *omnes homines* invenit peccatores, & pravis concupiscentiis obnoxios, qvia *omnes, Judæi & Græci, sub peccato sunt, Rom. III.9 seq. v. 19.20* (4) Hinc *nascitur*, non cum *plerisq;*, sed cum *omnibus hominibus* hæc prava cupiditas, id qvod non tantum *scriptura*, sed etiam ipsa *natura*, prout hodie constituta, simulq; dierum omnium *experientia* monstrat, & hæc ex peccato illo primi parentis manat *Rom. V. 12.* non autem ex eo tantum, qvod humanum genus freqventibus peccatorum actibus studeat, & habitum peccandi contrahat, atq; seipsum corrumpat: nam lapsus proto pla-

toplastorum statim imaginis divinæ amissionem, & imaginis corruptæ conditionem secum habuit, qvemadmodum ex effectis, & aliis indiciis patet, adeoq; sic *Adamus* ipse corruptam naturam, vel pravam concupiscentiam, in posteros suos propagavit. Nam si, qvod *Socinus* fatetur, *corruptio per propagationem in posteros transfunditur apud alios, certe non potest negari*, qvod primus homo qvoq; corruptionem per naturalem propagationē in posteros transmiserit. (5) *Dist.* inter *actum nude externum*, & inter *actum plenarium* lapsus protoplastorum: non per se, tanqvam actus externus, vel *Adamum*, l. posteros corrumpere potuit, sed qvoad actum plenarium, qvatenus plenariam apostasian, & alia, simul inferebat. (6) *DEI judicium* & *naturæ corruptæ vitium*, non opponenda, nec disjungenda, sed conjungenda. (7) *Dist.* inter *DEI judicium*, & *DEum principium*: *DEI judicium* versatur circa *pravitatem*, sed *DEus, ut principium*, non operatur pravitatem. (8) Non omnia, qvæ vel cum, vel in natura propagantur, ad DEum referenda sunt: qvia DEus *causa prima*, non *secunda*: *huic*, non *illi*, defectus tribuendi. (9) *Concupiscentia congenita*, qvæ juxta *Socinum* intelligitur apud *Paulum*, & qvidem verè *peccati* nomine, non *improprie*, sed *proprie* peccatum dicitur, sicut ex verbis, scopo, contextu, & aliis liqvet. (10) Non tantum *moriendi necessitas*, sed etiam *mors ipsa*, ex primo homine ad posteros promanavit *Rom. V. 12.* & qvidem ut *pœna*, non *sine*, sed *cum culpa*, ut ibidem docet Apostolus &c:

23. (V) *Qvia sunt postremo, qvi dicant omnes homines tanqvam in uno illo primo homine inclusos peccasse, cum ille peccavit, ad idq; probandum afferunt Rom. V. 12. In qvo omnes peccaverunt, tanqvam IN QVO referendum sit ad Adamum, de qvo proxime verba facta fuerunt. Verum sciendum est, in græco esse ἐφ' ᾧ, qvod nihil aliud significat, qvam ut plerumq; solet* eo qvod, *vel* qvatenus. *Et sensus est, omnes homines morti penitus fuisse obnoxios*, eo qvod, l. qvatenus *omnes peccaverunt, stipendium enim peccati mors Rom. VI. 23.*

24. R. (1) licet hæc *particula causaliter* accipiatur, sicut etiam *B. Lutherus* reddidit, dieweil Sie alle gesündiget haben / tamen sententia nostra confirmatur, qvia omnes peccaverunt, & de peccato participando, & peccaminosam naturam suscipiendo, & peccatum originis fovendo, &c: (2) *materialis*, vel *subjectivus sensus*, *priori* non est contrarius, qvia & in Adamo peccaverunt omnes, & vere qvoq; peccaverunt omnes. Plura nunc non addimus.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo III.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE
CHRISTO.

Disp. VI.
R. M. FRIDERICUS Beck/Onoldo Francus.

QVÆSTIO PRIMA.

Num Incarnatio Christi verum articulum fidei constituat?

I.

HOrrenda sunt effata *Socinianorum* de *Mysterio Incarnationis*, qvod tamen maxime fundamentale fidei Christianæ dogma. Ipse *Socin.* in explic. part 1. cap. 1 Joh. p. 41. *incarnationis dogma figmentum* vocat & *fabulam*, *Crell. l. 2. de U. D. P.* sect. 2. p. 563. *sententiam, qvæ multa continet absurda*, p. 565. *vanum commentum*, *Volkel.* l. 5. de Ver. Relig. c. 11. p. 456 *opinionem qvæ nec cum sanæ mentis ratione conveniat, nec ullo sanctarum literarum testimonio comprobari possit*, *Smaltz.* contr. Franz. p. 155. *Incarnationem Christi figmentum adeo absurdum & blasphemum esse, ut is DEO multum detrahat, & rem, ut sanæ rationi, sic etiam sacris literis contrariam dicat, qvi de eo affirmare audeat, qvod incarnatus sit*, idem in refut. thes. Grauer. de incarnat. p. 3. blaspheme scribit, qvod illud dogma sit *absurdum, & in religione Christiana omnium ferè monstrosissimum, opinatio indigna, qvæ in vera Christi Ecclesia locum habeat, imò ejusmodi dogma, qvod ad fundamentum religionis evertendum, aptissimum & accommodatissimum* sit; item hom. 1. super init. c. 1. Joh. p. 1. *Contendunt* (nonnulli) *personam Filii (ut nonnulli barbare loqvuntur) incarnatam esse, vel humanam naturam assumsisse, & DEUM illum summum hominem esse factum affirmant. Qva in re qvam graviter hallucinentur, & qvam non tantum ipsi sanæ rationi, sed & qvod majus est, sacris literis contraria affirment, & qvam multa absurda sanctissimæ Christianæ religioni affingant, alibi à nostris prolixe demonstra-*

 tum,

tum. Ostorod. Instit. c. 17. p. 96. qvod sit *purum putum figmentum temerariorum hominum*, **die Menschwerdung Christi wird bey unsern** Adversariis **für gar ein grosses und** tremendum mysterium, **das ist / erschreckliches Geheimniß / bey uns aber für ein lauter Gedicht vorwitziger Menschen gehalten/2c.** Hæc & similia blasphema pronunciata *Socinus* cum asseclis *Incarnationis* dogmati fallaciter opponit, ut dubitationes in mentibus hominum curiosorum accendere possit.

2. Nos circa qvæstionem ipsam unum, vel alterum monemus (1) qvod *Incarnationis dogma* sit *fidei mysterium*, non *rationis principium*, non sit *secundum rationem*, sed *super omnem rationem*, juxta illud *Justini*, qvo dicitur ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν. (2) qvod *rationis axiomata* mysteriis fidei non sint opponenda, sed illis universa rationis placita sint submittenda, cum *Philosophia* sit *ministra*, non *magistra Theologiæ*. Hinc (3) dicimus, qvod *incarnationis dogma verum articulum fidei* constituat. Et licet plurima fundamenta nostræ theseos adducere possemus, tamen instar omnium impræsentiarum nobis erit emphaticum & accuratum oraculum *Pauli 1. Tim. III. 16.* ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί, *Hoc omnium confessione, vel consensione, magnum est pietatis mysterium, DEUS manifestatus est in carne*, vel uno verbo, *incarnatus* est.

3. Pro *negativa* militant *Sociniani*, qvi nihil minus concedere volunt, qvam *Incarnationem* dari, *vel articulum fidei Christianæ notare*. Nos hac vice potissimum verba *Smalzii hom. 5. in cap. 1 Joh. p. 89.* examinamus: *Credimus*, inqvit, *etiamsi non semel atq; iterum, sed satis crebro & apertissime scriptum extaret, DEUM esse hominem factum, multo satius esse, qvia hæc res absurda, & sanæ rationi plane contraria, & in DEUM blasphema, modum aliqvem dicendi comminisci, qvo ista de DEO dici possint, qvam ista simpliciter ita, ut verba sonant, intelligere, & ita sanctissimam Jesu Christi religionem pro turpissima omnibus ridendam exponere.*

4. Sic igitur *Smalzius* negare dicitur *Incarnationem Christi* propter seqventes rationes (1) *Ob insufficientiam scripturæ*, qvia *non sufficit, ut aliqvid semel atq; iterum, imò satis crebro, idq; verbis apertissimis scri-*

scriptum sit. R. (1) Ipsi *Sociniani* perpetuò communiter urgent τὸ ῥητὸν scripturæ, necessum igitur est, ut apertam scripturæ professionem & consensionem admittant, si nimirum aliqvid *clare satis*, & qvidem *semel* atq; *iterum*, imò *sæpius* sit annotatum. *Smalz.* contr. Franz. p. 24. *Quæ necessaria omnino sunt ad salutem, ista omnia in sacris literis ut expressè scripta extent, necesse est.* p. 65. *omnia, sine quibus salus æterna consistere nequit, expresse in sacris literis scripta esse debere, nemo sanæ mentis negaverit. Ostor.* instit. c. 4. p. 28. **Solch eine grosse Sache/ die sie für den Haupt-Articel ihres Glaubens/ und für das rechte heilsame Erkäntniß GOttes halten / ohn welches Erkäntnüß man nicht könne selig werden/ muß nicht auff** consequentiis, **und Schluß-Reden / sondern auff den hellen/ klaren und außgedruckten Wort GOttes gegründet seyn.** Et hoc passim alibi profitentur: nos igitur ex clara litera mysterium incarnationis credendum esse pronunciamus, idq; confitentibus ipsis adversariis. Hinc (2) opponimus *Smalzio Socinum* h. l. Sic enim *Socin.* in solut. scrupul. in Epil. pag. 53. *Si quid in V. & N. T. libris NON UNO TANTUM, aut ALTERO IN LOCO, neq; iis verbis, qvæ obscuritatem aliqvam habere possunt, sed ubiq; passim, idq; clarissimis verbis contestatum deprehendimus, nihil prorsus est nobis dubitandum, quin id verissimum sit, quicquid hujus seculi sapientia nobis svadeat; alioquin si vel ex hominum autoritate, vel ex sensu nostro, in rerum divinarum cognitione pendere ulla ratione voluerimus, sicq; APERTISSIMIS SCRIPTURÆ TESTIMONIIS opponere, facile fiet, ut sensim in omnem pietatis neglectum prolabamur, divina oracula pro nugis, universam Sacram Historiam pro fabulis propemodum habeamus;* imò *Smalzium* ipsum opponimus *Smalzio*: sic enim eodem lib. contr. *Franz.* p. 165. scribit: *Ostendat nobis Franzius ex sacris literis suas opiniones, & nos eas pro certis recipiemus, etiamsi rationem nostram superent.* Faciat idem hic *Smalzius*, & res omnis in vado versabitur. (3) Notum est, qvod nullum aliud detur fidei Christianæ principium, qvam scriptura sacra: meritò igitur in constanti & continua ejus assertione nos acqviescere, neutiqvam vero dicendi modos, vel tropos in clarissimis verbis sæpius, vel aliqvoties iteratis, confingere debe-

mus. (4) Ipse præco conceptionis, Angelus, hoc mysterium incarnationis ex scripturis propheticis probavit *Matth. I. 23.* adducens dictum *Esa. VII. 14.* adeoqve sic *consensus angelicus, propheticus, Evangelicus & Apostolicus*, urgeri non tantum potest, sed etiam debet.

5. (II.) *Qvia hæc res est absurda, nimirum juxta Socinianos mysterium Incarnationis* absurditate laborat. Nullum autem absurdum credendum, vel pro articulo fidei habendum, cum fides non sit absurdorum, sed summorum mysteriorum. ℞. (1) *Dist.* inter *absurdum esse*, & *videri*, vel *dici*: non est hoc mysterium absurdum, licet tale videatur occæcatis & corruptis hæreticorum mentibus, aut dicatur falsis hæreticorum assertionibus. (2) Negatur, qvod hic absurditas ulla reperiatur, cum potius summa sit hujus mysterii sublimitas *1. Tim III. 16.* unde nec qvicqvam absurdi *Smalzius* adducit, imò nec salva veritate qvicqvam ejus adducere potest. (3) Maxima circa mysterium hoc est *Mosis, Psalmorum & Prophetarum*, item *Evangelistarum & Apostolorum*, & omnium *orthodoxorum confessorum* harmonia: jam ubi pulcherrima scripturæ totius & Ecclesiæ totius harmonia, ibi nulla prorsus est absurditatis *ἀσυμφωνία*, nec qvicqvam absurdi sic fingendum erit: plurima qvoqve mysteria svavissime cum incarnationis mysterio conspirant, non igitur aliqvid absurdi hic concedi potest.

6. (III.) *Qvod Incarnatio sanæ rationi plane sit contraria.* ℞. (1) *fides Christiana* non ex *humana ratione*, sed ex *divina revelatione* pendet: nihil igitur Incarnationis mysterium cum ratione commercii habet, unde neqve consonum eidem, neqve contrarium dicendum. (2) Falsum est, qvod *mysterium Incarnationis* sit *contra rationem*, cum potius sit *supra rationem*, videl. propter divinam sublimitatem & eminentiam: aliud enim est *contra rationem*, aliud *supra rationem* esse: qvod autē sit *supra rationem*, patet ex eo, qvia simpliciter & immediatè suum ortum habet à DEO, & supra cursum omnem naturæ positum. (3) *Dist.* inter *rationem sanam*, & *malesanam*: non *sanæ*, sed *malesanæ* hæreticorum rationi mysterium hoc est contrarium: cum ratio sana mysteria supra se veneretur, non autem ex se, vel secundum se scrutetur.

7. (IV.) *Qvod incarnatio sit in DEUM blasphema.* ℞. (1) *Accusatio,*

ſatio, non eſt *probatio* : blaſphemum igitur eſt, qvod hoc myſterium blaſphemiæ poſtulatur, imò Diabolica prorſus calumnia : (2) *blaſphemum* eſt, qvod in DEUM injurioſum eſt : at miſereri humani generis, itemqve creaturam ex infinita gratia honorare, non dicitur injurioſum in DEUM. Ergo nec pro *blaſphemo* haberi poterit. (3) notum, qvod omnia divinæ voluntati conſona ſint, qvæ ſæpius apertisſimis verbis in ſcripturis Veteris & Novi Teſtamenti revelata ſunt, adeoqve nullo modo *blaſphema* dici poterunt : *myſterium* autem *incarnationis* ſæpius apertisſimis verbis in ſcripturis eſſe revelatum, ipſe *Smalzius* negare non audet.

8. (V.) *Qvia multo ſatius ſit, modum aliquem dicendi comminiſci, quo iſta de DEO dici poßint, quam iſta ſimpliciter ita, ut verba ſonant, intelligere.* ℞. (1) *Diſt.* inter *hominum commenta*, & *DEI myſteria*: talia *commenta* nos *Socinianis*, & aliis veritatis hoſtibus, relinqvimus, nos in aperto veritatis tramite ſubſiſtimus. (2) nos certè DEO ſapientiores non ſumus, unde nec aperta DEI verba in obſcura, propria in impropria convertere debemus. (3) in articulis fidei τὸ ῥητὸν omninò dicitur urgendum, adeoqve tale *commentum troporum* minimè concedendum, ſed potius apertiſſimum τὸ ῥητὸν retinendum.

9. (VI.) *Qvia ſanctißima Chriſti religio pro turpißima omnibus ridenda exponitur per hoc myſterium incarnationis.* ℞. (1) Dicitur hoc iterum ab homine *blaſphemo*, ſed nihil ejus probatur. (2) totus fideliũ cætus hactenus myſterium hoc veneratus, empæctas & Diaboli mancipia nos minimè curamus (3) ubi ſumma pulchritudo, nulla manat inde turpitudo : pulcherrimum eſt Incarnationis myſterium, qvod etiam Angeli venerantur & celebrant, qvemadmodum ex *Luc. II. 10. ſeqq.* manifeſtum, ex hoc igitur nulla turpitudo Chriſtianæ religionis emanare poteſt.

10. (VII.) *Quia uſi ſint hac prudentia omnes Theologi in rebus, qvæ multo minus, etiamſi proprie intelligerentur, DEI majeſtatem offenderent, ut cum de DEO legitur, eum iraſci, eum dolere, eum deſcendere, per ἀνθρωποπάθειαν ea de illo dici docuerunt. Nec enim convenire ipſis videbatur, in DEUM hujusmodi perturbationes, aut motus cadere. Quomodo verò in DEUM proprie poteſt cadere id, quod ipſius non tantum qualitates*

Perfectus DEUS, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.

2. Nos *Affirmativam quæstionis partem* multis probare possemus: nunc saltem unum vel alterum adducere placet, qvia constat Christum esse DEUM & Hominem (1) *è divinis & humanis appellationibus:* Vocatur enim, modo *DEUS, Dominus, Jehova* &c. modo *Semen mulieris, Filius hominis, Homo* &c. *Puer natus* & *Pater æternus Esa, IX. 6.* & multis aliis divinis & humanis *appellationibus* ejus vera *divinitas* & *humanitas* insinuatur. (2) *E nominibus propriis.* Dicitur *Jesus,* hoc est, *Salvator,* qvæ vox tam divinam, qvam humanam Naturam importat, illam, ut salvare *posset*, hanc, ut salvare *deberet.* Vocatur *Christus,* propter ungentem *divinitatem* & unctam *humanitatem.* Vocatur *Immanuel, nobiscum DEUS Esa. VII. 14.* qvod *Matt. I. 23.* disertis verbis de duabus naturis interpretatur, θεάνθρωπος, *Mediator, Redemtor* &c. (3) *è distincta generatione:* Genitus enim est ab æterno à Patre *Psal. II. 7.* natus ibidem in plenitudine temporis ex Maria virgine *Luc. II. duplex* autem hæc *generatio duplicem* in Christo *naturam* esse, constanter evincit. (4) *E proprietatum divinarum & humanarum attributione:* Positis proprietatibus, ponuntur naturæ: Sed utriusq; naturæ proprietates, videlicet divinæ & humanæ, Christo conveniunt; vere proinde DEUS & Homo erit. (5) *è solenni Patris cælestis testificatione:* *Pater* enim *cælestis* de Christo homine, à *Johanne* visibiliter in Jordane baptisato, solenniter voce cælitus missa, testificatus est: *Hic est Filius meus dilectus Matt. III. 17.* Confer. *c. XVII. 5.* Plures rationes produxit *Dn. D. Calovius in Socinism. proflig.* sect. χριστολ. subs. 1. contr 2 qvi probavit hanc thesin (1) *è Nominibus Christi* (2) *è Vaticiniis Veteris Testamenti* (3) *è luculentis Testimoniis Novi Testamenti* (4) *E vocibus distinctivis.* (5) *E proprietatibus divinis & humanis* (6) *è Mediatorio Officio Christi* (7) *è Communicatione Idiomatum.* (8) *E Socinianorum confessione,* qvia *Crellius* largitur, si Christus verus & summus DEUS sit, necessario credendam esse incarnationem, qvandoqvidem certum sit è scripturis, qvod Filius DEI sit summus DEUS & verus homo, certo tempore è virgine natus. Sic enim *l. 2. de Uno DEO Patre sect 2. c. 3. p. 563.* scribit: *Incarnationem coguntur omnes illi agnoscere, qvi Christum supremum*

DEUM

DEUM esse statuunt. Dum enim eum natura hominem esse, & certo tempore ex virgine natum, ex sacris literis manifestissimum, necesse fuit, ut statuerint, eum, seu ejus naturam divinam ita assumsisse humanam, ut unitate personæ manente, DEUS simul esset & Homo. Nam si DEUS & Homo diversæ essent personæ, nec Filius DEI homo, nec Homo Filius DEI fuisset. Et *Smalzius* lib. de Divinit. Christ. c. 10. p. 45. Christo potestatem & potentiam divinam non ut *accidens*, sed ut *proprium* tribuit. Sic enim scribit: *Hoc addendum omnino est, qvod Jesu Christi divinitatem in hac parte omnium fere maximè arguit: Quod Jesus Christus non ut alii ante, vel post eum, hanc tantam potestatem ita possedit, ut illa ab eo abesse potuerit, tanquam accidens vagum: vel quod opus habuerit, ut alii omnes, qvicunq; miracula unquam fecerunt, illam potestatem precibus à DEO impetrare, & eandem perpetuo studio conservare: sed ut verus verorum DEI bonorum possessor, ITA EAM SECUM COMMUNICATAM HABUIT, UT IPSIUS PROPRIA effecta fuerit, & in eo perpetuò habitarit, adeo ut Jesus Christus nunqvam absq; ea fuerit, sed semper eam circumtulerit &c.* Jam si *divina potestas* ipsi propria fuit, & in ipso *perpetuo habitavit*, seqvitur, qvod non tantum *homo*, sed etiam *verus & quidem summus DEUS* sit, cum alius, præter *summum DEUM*, *divinam potestatem*, ut *propriam*, habere non possit. At verum prius. Ergò.

3. Negativa sententia *Socinianorum* est, qvi cum Christum essentia nudum hominem credant, dualitatem naturarum communiter impugnant. Nos hac vice *Catecheseos Racov. p. 54. 55.* argumenta potissimum examinabimus: Probat verò negativam hanc duplici genere fundamentorum I. *Ex Ratione*, & qvidem argumento duplici (1) **Weil solches der rechten Vernunfft zu wider ist / Erstlich also / daß zwey Wesen / die in den Eigenschafften eine der andern zu wider ist / keines weges in einer Person können vereinigt werden / als da sind / sterblich und unsterblich seyn / einen Anfang haben und ohne Anfang seyn.** R. (1) πρῶτον ψεῦδος aperte satis *Sociniani* manifestant, dum primum omnium hoc mysterium ex ratione probant, & rationis argumenta sic potiora scripturæ fundamentis judicant. (2) *Mysteria*

tia non ex *ratione*, ſed ex *revelatione* cenſenda: *rationem* tranſcendunt *capita fidei*, non ejus captum ſeqvuntur: non igitur ſunt *contra*, ſed *ſupra rationem*. (3) negamus, hoc *rationi* contrarium, *duas contrariarum proprietatum naturas in una perſona conjungi*: nam *anima hominis* immortalis eſt, *corpus* mortale, *anima* immaterialis, *corpus* materiale, *anima* incorporea, *corpus* corporeum, *anima* inviſibilis, *corpus* viſibile, *anima* illocalis, *corpus* locale, *anima* immutabilis, *corpus* mutabile &c. has tamen duas naturas in una cujusvis hominis perſona conjungi, non poteſt negari, niſi qvis totam naturam vel invertere, vel evertere, velit. Idem de *ferro* & *igne*, ut & de aliis dicendum. *Diſt*. igitur inter *completum* & *incompletum*: *completæ* naturæ in *eſſendo* nunqvam in *eadem eſſentia* conjunguntur, optimè tamen *incompletæ* naturæ: ſic etiam *completæ* naturæ in *ſubſiſtendo* nunqvam in una *ſubſiſtentia* conjunguntur. (4) Deniqve certum eſt, *unitatem perſonæ* cum *duarum naturarum diverſitate* non pugnare: *contradictio* ſecundum *idem* fieri debet: *diverſæ naturæ* non ſunt *una natura*, rectè tamen *una perſona* fieri poſſunt.

4 (II.) Darnach alſo / daß zwo Naturen / unter welchen eine iegliche eine Perſon macht / in einer Perſon nicht können vereinigt werden / denn ſonſten müſten ſie nicht eine Perſon / ſondern zwo / und alſo zweene Chriſti ſeyn. Es iſt aber bey iederman bekandt / daß nur ein Chriſtus iſt / und daß Er nur eine Perſon hat. R. (1) *Myſterium* hoc eſt, non *rationis conſultum*: non igitur ex *ratione*, ſed ex *revelatione* dijudicandum. (2) falſum, qvod hoc rationi ſit contrarium, duas perfectas *ſubſtantias*, vel etiam *abſolute conſiderata ſuppoſita*, *materialiter*, vel alio modo qvodam in *unum ſuppoſitum* coaleſcere. *Ferrum* eſt *ſuppoſitum*, & *ignis per ſe* peculiare *ſuppoſitum* eſt, & tamen unione ſuppoſitali conjunguntur, prout experientia qvotidiana docet. Si proinde creaturis hoc eſt poſſibile, creatori non erit impoſſibile, cum apud DEUM non ſit ullum verbum impoſſibile, nec ullum factum *Luc. I. 37.* (3) Falſum, qvod *unaqvælibet naturarum Chriſti perſonam conſtituat*: de *natura divina* concedimus id facile, cum λόγος ab æterno vera perſona realiter extiterit, ſed de *natura humana* neutiqvam

eadem facilitate tale qvid concedere possumus. *Humana natura*, divinæ personæ contradistincta, *per se* nunqvam fuit, nec adhuc est, nec in posterum futura dicitur vera, vel integra *persona*: sed à primo incarnationis momento non fuit *ἀνυπόστατος*, sed *ἐνυπόστατος*, non per se persona, sed in persona Filii DEI qvoad subsistentiam assumta, sic eqvidem ut per se non *propriam*, sed à *λόγῳ communicatam*, & in *λόγῳ* terminatam *subsistentiam* possideat. Hinc (4) *dist.* inter *substantiæ essentiam*, & *ultimatam* ejus *subsistentiam*, perfectam qvidem *substantiæ essentiam*, in humana Christi natura, qvoad *corpus* humanum, & qvoad *animam* rationalem (plures enim *partes essentiales*, præter *corpus* & *animam*, neqve natura, neqve ratio sana concedit) confitemur: sed *ultimatam subsistentiam* eidem tribuere nec possumus, cum nunqvam fuerit in se persona, nec debemus, cum in persona τῦ *λόγυ* subsistat.

5. II. *Ex scriptura*: qva ratione *Catechesis Sociniana* potissimum id urget, qvod *dualitas naturarum in Christo scripturæ sit contraria*, & cumprimis, qvod *divina natura Christo sit tribuenda*, scripturæ contrarietur (I) **Erstlich also / daß uns die heilige Schrifft nur einen / der von Natur GOtt ist / zeiget: und das ist allein der Vater unsers HErrn JEsu Christi.** ℞. (1) Scriptura docet, *DEUM unum esse*, sed *essentia*; docet eadem, *DEUM esse Trinum*, sed non *essentia*, verum *personis*; utrumqve *fidei mysterium*, utrumq; proinde firma fide credendum. (2) Nullibi scriptura disertis verbis docet, qvod *Pater Domini nostri Jesu Christi solus sit unus ille natura DEUS*, vel etiam, qvod *solus sit ille summus DEUS*, sed è contra docet, tres illas personas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unum esse *1. Joh V. 7* (3) *Patris* nomen sæpius *essentialiter*, in respectu ad creaturas, accipitur, ut sit toti Sacrosanctæ *Trinitati* commune, tunc igitur non *personæ, secunda* videlicet & *tertia*, sed *idola* cum *creaturis* à consortio divinitatis excluduntur: qvando verò *personaliter* accipitur, tunc non ratione *Deitatis* vel *essentiæ*, sed ratione *personalitatis*, vel *subsistentiæ*, *primam personam* inferre, vel à reliqvis duabus distingvere dicitur.

6. (II.) **Zum andern weil dieselbige Schrifft bezeuget / daß Christus von Natur ein Mensch sey / wie wir kurtz zuvor bewie-**

bewiesen haben / so benimmt sie ihm eben damit die Göttliche Natur. R. (1) *Mysteria Mysteriis* non sunt opponenda, sed potius inter se cōferenda, vel prout revelata sunt, simplici fide suscipienda: Christum salvatorem *hominem esse*, scriptura probat, sed eundem *DEUM esse*, propterea non negat, cum potius ex *divinis nominibus, proprietatibus, operibus, honoribus* &c. idem firmissimè stabiliat. (2) Scriptura, qvando Christum *natura hominem* esse dicit, eo ipso negat, Christum secundum *hanc naturam*, qva *homo* est, *natura DEUM* esse, non verò, secundum *aliam naturam DEUM* esse negat, cum Christus, ut ex aliis patet argumentis, duabus constet naturis. (3) *Dist.* inter *essentialia* & *personalia*: Christus homo non *essentialiter*, sed *personaliter*, adeoqve respectu prorsus alio, DEUS esse dicitur, qvod omnem tollit *contradictionem*.

7. (III.) Zum dritten bezeuget dieselbe Schrifft / daß alles/was Christus Göttliches hat/hat Er aus Geschenck seines Vaters *Matth. XXIIX. 19. Phil. II. 9. I. Cor. XV. 27.* R. (1) *Dist.* inter ea, qvæ Christo tribuuntur *ab æterno*, & qvæ accepit *in tempore*, vel inter *prædicata propria* & *communicata*; *illa* non ex donatione sed ex æterna Patris generatione secundum *Deitatem* possidet, at *generatio* non est *donatio*: sed *hæc* ratione *humanitatis*, omninò Christus ex Patris donatione possidere dicitur. Hinc (2) *dist.* inter *divinam* & *humanam naturam*: secundum *hanc* Christo *personaliter* omnia sunt à Patre donata, secundum *illam* verò nihil in tempore propter infinitam perfectionem accipere potuit. (3) *dist.* inter *dicta scripturæ*, qvæ loqvuntur de *χαρτηρίοις divinitatis*, & qvæ loqvuntur de *donariis Majestatis*: *priora* nullius *donationis* mentionem faciunt, cum Filius Patri sit ὁμοούσιος *Joh. V. 17. c. X. 31.* *posteriora* nihil *divinitati* præjudicare possunt, cum non ad *divinam*, sed ad *humanam* naturam, ejusq; *βελτίωσιν*, vel *exaltationem* pertinent, qvalia sunt in medium adducta, de qvibus ut in specie qvandam apologiam suscipiamus, non videtur modo necessarium.

8. (IV.) Endlich lehret uns dieselbe heilige Schrifft / daß diese Göttliche Natur vergebens / und ohne Ursach in Christo wäre: sintemahl sie zeuget / daß der HErr JEsus

Christus alle seine Göttliche Werck/ nicht ihm selber/ oder irgend seiner Göttlichen Natur/ sondern seinem Vater zugeschrieben hat. R. [1] posito, qvod omnia prorsus opera divina Patri Christus adscripserit, non tamen seqvitur, illa propterea Filio fuisse denegata, sed potius contrarium inde colligitur, qvia Patri Christus opera divina tribuit, ergo sibi qvoq; talia tribuit: rationem dat ipse, qvia *Joh. X. 31.* dicit: *Ego & Pater unum sumus. Dist.* igitur inter *attributionem absolutam* & *relativam, exclusivam* & *inclusivam*: sicut enim Pater & Filius unum sunt, ita similiter idem æqvaliter operantur *Joh. V. 19.* (2) *Dist.* inter *attributionis* οὐσίας & οἰκονομίας: *opera ad extra*, qvoad οὐσίας, toti sacrosanctæ *Trinitati* communia sunt, adeoqve sive uni, sive duabus, sive tribus personis adscribantur, nihil vel in ipsa re, vel in attributione, mutationis conceditur, sed qvod uni tribuitur, omnibus tribuitur: at qvoad *peculiarem* οἰκονομίας aliter *Patri*, aliter *Filio*, aliter *Spiritui sancto* tribuuntur, prout nimirum unaqvælibet persona vel operatur, vel sese manifestare dicitur: sicut igitur *Patri Filii missio*, juxta scripturam, tribuitur, sic etiam ejus *instructio*, ejus *exornatio* peculiariter ad Patrem refertur, & *Filius* etiam, ut *magnus Patris legatus*, ad *Patrem*, ceu mittentem, cuncta referre voluit. (3) Falsum, qvod scriptura, vel Christus omnia prorsus opera divina Patri tantum tribuerit, contrarium ex locorum scripturæ consideratione manifestum. *Opus creationis* citra dubium opus divinum, & hoc *Verbo*, seu *Filio* tribuitur *Joh. I. 2. Col. I. 16.* &c. divinum etiam *conservationis* opus est, & hoc sibi Christus ipse tribuit, & semetipsum Patri consortem & æqvalem facit, ut optime Judæi colligebant, qvando dicit *Joh. V. 17. Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Opus redemtionis* vere divinum est, illud Christo passim appropriatur *Joh. X. 12. Act. XX. 28. Opus vivificationis* etiam opus divinum: & hoc etiam Christo cum Patre commune dicitur *Joh. V. 21.* opus *resuscitationis*, juxta *Socinianos* ipsos, vere divinum; hoc itidem sibi Christus adscribit *Joh. II. 21. c. X. 18.* &c. Ex qvibus omnibus apertum, nullum solidum argumentum contra duas Christi naturas *Socinianos* afferre potuisse. Manet igitur Christus θεάνθρωπος, vere DEUS & vere Homo.

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

Num Humana in Christo Natura peculiaris persona sit, aut in se, vel per se peculiarem personam faciat?

1. Circa qvæstionem ipsam unum, vel alterum præmittere, non incommodum erit. (1) Non qværi de *Humanæ naturæ veritate*, cum certum sit, qvod, juxta fidem Catholicam, Christum verum hominem esse credamus, sicut *Augustana Confessio* dicit: *Ecclesiæ apud nos docent, qvod Verbum, hoc est, Filius DEI assumserit humanam naturam in utero B. Mariæ Virginis, ut sint duæ naturæ, Divina & Humana, in unitate personæ inseparabiliter conjunctæ, unus Christus, VERE DEUS & VERE HOMO. Et hæc est recta fides*, juxta Symbol. Athanas. *ut credamus & confiteamur, qvia Dominus noster Jesus Christus, DEI Filius, DEUS & HOMO: DEUS ex substantia Patris ante secula genitus, & HOMO ex substantia matris, in seculo natus; Perfectus DEUS, PERFECTUS HOMO, ex anima rationali & humana carne subsistens.* Et *Sociniani* veritatem humanæ naturæ confitentur adeo, ut Christum *solum* Hominem esse contendant.

2. (2) Neqve controversia movetur de *qvacunq; personæ competentia*, videl. *Annon Humana Christi natura certa qvadam personalitate gaudeat?* Nam cum vera sit *substantia*, qvod nec potest, nec debet negari, cujusvis autem *substantiæ veræ terminus*, atqve *proprietas* sit vera *subsistentia*; proinde manifestum, qvod nec de *veritate subsistentiæ* sit ullo modo dubitandum, cum certum sit, qvod *hypostasin* τ῀ *Λόγȣ communicatam* habeat. Nam omnis humana substantia certum *substantiæ fulcrum*, sive *terminum* reqvirit, cum substantia sine *subsistentia* existere non possit. *Disting.* autem inter *subsistentiam ipsam*, & *subsistentiæ modum*: *illa* necessaria, *hic* autem suo modo variationem admittit.

3. [3] Neqve de *nuda vel existentia, vel essentia Humanæ naturæ simpliciter*, vel *in se*, disputamus, nimirum *an tota vel essentia, vel etiam actualis existentia simpliciter, & in se Christi humanæ naturæ conveniat?* nam *essentia* conspicitur in *partibus essentialibus*, videlicet *anima* & *corpore*, de qvibus ex sacris literis qvam certissimi sumus: *existentia* vero *actualis* qvoqve satis certa, cum Salvator Christus actu natus, & in lucem editus, atqve cum hominibus per omnes vitæ communis annos conversatus sit.

4. [4] Sed potissimum qværitur de *Humana natura relate spectata, qvoad subsistentiam, num* videlicet *Humana natura in Christo per se peculiarem personam faciat, vel propriam personalitatem habeat?* Qva ratione dicimus, Humanam naturam per se neqve peculiarem personam facere, neqve propriam personalitatem habere, sed in persona τȣ̃ λόγȣ subsistere, & personalitatem communicatam possidere. Sic igitur *negativam qvæstionis* partem tuemur.

5. Sed *Affirmativa Socinianorum* est, qvemadmodum ex ipsorum scriptis passim videre licet. Hac vice potissimum *Smalzium in refut. Disput. B. Grauer. de persona Christi p.10.* contra nos disputantem audiemus, & ejus fundamenta paucis expendemus, cum directe se nostræ thesi opponat. *Hoc est, Grauere,* scribit, *qvod causæ vestræ prodit vitiositatem, nimirum, Naturam Humanam in Christo peculiarem, aut per se personam non facere, aut esse.* Verum aliud est *peculiarem personam habere,* aliud est *per se personam facere, vel esse.* Humana Natura *peculiarem personam habet* non *à se,* nec *in se,* nec *ex se,* sed in λόγῳ, vel in *ejus subsistentia,* qvia sibi peculiarem personam reqvirit, sed propterea personam *per se* non facit, nec *per se persona* dicitur esse. Deinde *peculiaris persona* duplici respectu Christo tribuitur, vel respectu *aliorum hominū,* vel respectu τȣ̃ λόγȣ, seu *personæ* τȣ̃ λόγȣ. qvod Christo tribuenda sit *peculiaris persona* respectu hominum aliorum, illud certissimum est, cum unusqvisqve hominum peculiarem habeat personam, & sic Christus cum aliis hominibus communem personam non habet, nec habere potest: sed si referatur ad λόγον, vel *ejus personam,* humana natura, certe nec potest, nec debet habere *peculiarem personam,* cum ea persona sit frustranea, siqvidem humana natura jam suam habet subsistentiam in λόγῳ: sit minus consentanea, cum humana natura sola minime sufficiat ad sustentationē mediatorii λύτρȣ, vel oneris, nec humana persona tantum onus sustinere valeat: necessum igitur fuit, ut humana natura fulcrum aliqvod infinitum conseqveretur, ut in eo prorsus immote subsistere, pondus omne peccatum & pænarum totius humani generis sustinere, simulqve hostes universos vincere, vel triumphum ex victoria reducere potuerit.

6. Probat suam antithesin (1) *Qvia si Christus verus homo est,* qvan-

qvomodo nō erit persona humana? qva ratione tale producit argumentum: Qvicunq; verus est homo, is etiam humana est persona, cum omnis homo sit humana persona. Sed Christus est verus homo: Ergo qvoqve humana persona. ℟. *(1)* Nulla datur *conseqventia*, qvia *subjectum* loqvitur de *essentia*, *prædicatum* loqvitur de *persona*, vel *subsistentia*: jam nec ab *essentia* ad *subsistentiam*, nec à *subsistentia* ad *essentiam* simpliciter, cumprimis in mysteriis, argumentari licet. Hinc (2) *subjectum* loqvitur de *re*, *prædicatum* de *rei statu*; non autem à *re* statim licet ad *rei statum* certum argumentari. Unde (3) sic corrigendum argumentum: Qvicunq; verus homo, ille est *vera persona*: cum à *veritate substantiæ*, ad *veritatem subsistentiæ* legitima sit consecutio: sed Christus est verus homo, Ergo qvoqve *vera persona*: sic *conceditur* totum argumentum: Sed à *vera persona* non licet ad *humanam personam* argumentari, qvia sic committitur *fallac. à dicto simpliciter ad secundum qvid*, cum plures personæ dentur, qvam humanæ. *(4)* Porro procedit hoc in *naturæ theatro*, non autem in hoc *pietatis mysterio*, in *hominibus vulgaribus*, non in hoc *homine singularissimo*. (5) Si Christus verus homo, vel erit *humana persona à principio intrinseco* subsistentiam habens, aut ab *extrinseco principio*, vel *supernaturali*, *subsistentiam communicatam* possidens; *hoc*, non *illud* sacris literis consentaneum, qvia *verbum caro factum est Joh. I. 14. & DEUS manifestatus ita in carne 1. Tim. III. 16. ut tota Deitatis plenitudo habitet in Christo σωματικῶς Col. II. 9.* vel in assumta carne, tanqvam proprio templo. Hinc (6) Dist. inter subsistendi rationem naturalem & supernaturalem.

7. (II.) *Qvia qvi illud de Christo prædicat* [eum nimir. verum hominem esse) *qvomodo non necessariò etiam hoc de illo prædicare tenetur? cum nulla scriptura, nulla figura, nullus loqvendi modus patiatur, ut is non sit persona humana, qvi homo est.* ℟. (1) *Tota scriptura Veteris* & *Novi Testamenti*, à capite ad calcem, testatur, qvod *Messias* sit *verus DEUS*, & *verus Homo*, qvodq; secundum Deitatem ab æterno divina persona fuerit, & qvod in plenitudine temporis in hujus personæ societate humana natura recepta sit illud pariter sufficienter exinde probari potest. *(2) figuris* hic non est opus, neq; confictis loqvendi modis, nos loqvendi, vel sermonis pvoprietatem in hoc mysterio simpliciter urgemus. *(3)* Certum, qvod *persona formaliter* sit

modus

modus subsistendi, qvi non necessario semper ex principio naturali vel ordinario promanat, cum etiam à principio superiori, supernaturali, vel extraordinario, suum ortum habere possit, & in hoc mysterio revera sic eam accipiat, atqve possideat.

8. (III.) *Qvia personâ homo est.* ℞. (1) Si vox *Personâ* sumitur in *ablativo*, falsum hoc est assertum, qvia *homo* non est *personâ*, sed *essentiâ*: *essentia* verò, & *persona*, vel *subsistentia*, sunt in creaturis diversa. Nam homo est per essentiam, hoc est, per essentiales partes, essentialiter unitas, non autem est, sed potius subsistit per ipsam personam: si verò sumatur in *Nominativo*, *Persona* est *homo*, luditur *æqvivocatione*, qvia vox *personæ* sumitur vel materialiter, sic persona homo dici potest; vel formaliter, sic *persona* non est ipse *homo*, sed *hominis modus*, vel *status*.

9. (IV.) *Qvia, qvi Christum veram humanam personam esse negat, is verum etiam hominem eum esse, ut neget, necesse est, & sic tantum non negat, Jesum esse Christum. Qvod istud est Satanæ in excogitando Filio DEI alio, præter & ante eum, qvi ex virgine Maria natus fuit, astutiæ & audaciæ plenum stratagema.* ℞. (1) *Diabolica* hæc *blasphemia* licet nulla responsione digna sit, tamen ex sacris literis certum, qvod & ante nativitatem ex *Maria* verè DEI Filius extiterit, prout ea de re plurima testimonia produci possent. Hac vice saltem urgemus illud, qvod Christus manifestis verbis dicat: *Antéqvam Abraham esset. Ego sum*: qvæ verba certa tam clara sunt, ut instar solis oculos adversariorum confundere videantur, unde se torqvent in varias formas, ut qvodammodo lucem veritatis, in his verbis exhibitam, obscurare possint, sed frustra: qvia detorsiones illæ textui per violentas explicationes obtruduntur, non autem è textu deducuntur: & qvia DEUS Pater in plenitudine temporis misit Filium suum, natum ex muliere *Galat. IV. 4.* certe talis præexistentia negari nec potest, nec debet, cum primis qvia tota scriptura cum Veteris, tum Novi Testamenti nobis illustrissima documenta de perpetua Messiæ existentia suppeditet. (2) *Jesum esse, Christum esse*, potius sunt *utriusqve naturæ*, qvam *unius* saltem nomina. (3) rursus ab *humanæ subsistentiæ negatione* ad *humanæ essentiæ negationem* procedit, & sic ex *negato formali materiale* tollere conatur, qvod minime concessum.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Artic. III.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE
CHRISTO

Disp. VII.
R. JOH. PHILIPPO SEVBOTHIO, Roteburgo-Francus.

QVÆSTIO PRIMA.

Num vera sit Idiomatum communicatio, num verò sit commentitia?

I.

CIrca *controversiæ statum* unum, vel alterum, præmittere placet. (1) qvod non sit in qvæstione, num terminus *communicationis Idiomatum* in Sacris literis inveniatur, & sic verbotenus ex scripturis deducatur: facile siqvidem largimur, qvod hic *terminus* non sit *biblicus*, sed *Ecclesiasticus*; licet enim *ἰσοδυναμοῦντα* passim in verbo DEI reperiantur, tamen ipsa verba *Communicationis Idiomatum*, qvoad *terminum complexum*, ibidem non inveniuntur.

2. (2) Nec qværitur directè, *de modo loqvendi*, num hic *loqvendi modus* ita sit necessarius, ut aliter hoc mysterium explicari neqveat? licet enim hic *terminus*, & *loqvendi modus*, Ecclesiæ civitate donatus, & propterea per multa seculorum intervalla, non sine fructu Doctoribus usurpatus, & ad planiorem ipsius rei declarationem, & pleniorem confutationem hæreticorum, in hac materia multa somnia mentis humanæ proferentium, valde necessarius sit, non tamen simpliciter is necessarius est, cum ipsum dogma fidei, verbis istis comprehensum, etiã in sacris literis sit expositum, etiamsi modus hic loqvendi non fuerit adhibitus: nisi falsi Doctores opinionum varietate & speciosa subtilitate doctrinam ipsam involverent, fideles Ecclesiæ Doctores in simplicitate fidei, verbi divini, ejusq; loqvendi modi, lubentur acqviescerent.

3. (3) Nec qværitur modò de *Communicationis Idiomatum qvalitate*, qvalis illa sit, qvæ communiter in doctrina de Christo statuitur, *Idiomatum Communicatio?* num sit *essentialis*, *accidentalis*, aut *alius conditionis*: nam disputare de *qvalitate*, *qvidditatem*, & *existentiam* rei præsupponit, cum *qvalitas qvidditatem* seqvatur: hic autem de *nuda* potissimum *existentia* soliciti sumus, num videlicet detur *Idiomatum communicatio?*

4. (4) Nec disqviritur de *communicationis Idiomatum qvantitate*, qvousq; videlicet hæc *Idiomatum communicatio* se extendat, respectu mysteriorum in *Christologia* notandorum, vel explicandorum, vel etiam ratione confessorum, num ab omnibus Doctoribus hæc *Idiomatum communicatio* concedatur? Notum enim est, qvod omnibus temporibus hæc doctrina veritatis hostes invenerit, qvemadmodum de *Patriarchis Socinianorum*, *Ebione* & *Cerintho*, notum. *Ignat.* Epist. ad *Philad.* scribit: ἐάν τις λέγῃ μὲν ἕνα θεὸν, ὁμολογεῖ δὲ καὶ χριστὸν ἰησοῦν, ψιλὸν δὲ ἄνθρωπον εἶναι νομίζῃ τὸν κύριον, οὐχὶ θεὸν μονογενῆ, καὶ σοφίαν καὶ λόγον τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος αὐτὸν μόνον εἶναι νομίζῃ· ὁ τοιοῦτος ὄφις ἐστὶν ἀπάτης καὶ πλάνης κηρύττων ἐπ' ἀπωλείᾳ ἀνθρώπων· καὶ ἔστιν ὁ τοιοῦτος πένης τὴν διάνοιαν, ὡς ἐπικαλεῖται Ἐβιῶν. Et *Iren. l. 3. c. 11.* docet, *voluisse Johannem per Evangelii annunciationem auferre eum, qvi à Cerintho inseminatus erat hominibus, errorem, & idcirco asseruisse λόγῳ communionem rerum omnium, visibilium & invisibilium, ac salutem hominum. Epiphan.* l. 1. tom. 2. hæres. c. 51. *Ubi Christum nudum hominem prædicavit Ebion & Cerinthus, illic Sanctum Johannem post ætatem senectam jussum esse à Spiritu S. prædicare & reflectere errantes in viam, ac proinde docuisse sanctum DEI Verbum, Filium DEI, Dominum nostrum JEsum non esse à temporibus Mariæ solum, neq; à temporibus Josephi solum, imò neq; ab eo tempore, ex qvo cœlum & terra facta sunt, neq; à qvo mundus fuit, sed in principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEum, & DEUS erat Verbum.* Idem *passim* alii *Patrum* attestantur.

5. (5) Sed qværitur de *Communicationis veritate*, num saltem *figmentum* sit, vel *commentum humanæ rationis*, an verò detur

detur in rei veritate, vel pendeat *ex divina revelatione*, vel *scriptura sacra?* Nos *posterius* affirmamus, sed argumentis ex scriptura petitis modo non confirmamus, ut eo citius ad partis adversæ sententiam accedamus, & *negativam Socinianorum* expendamus.

6. Nam *Socin. adv. Volan. p. 38. Communicationem Idiomatum rem ludicram & futilem* esse statuit, inqviens: *Vestram illam Communicationem Idiomatum, ad qvam, tanqvam ad sacram anchoram, tandem semper confugitis, pro RE LUDICRA & FUTILI habemus.* Idem in Explic. locor. sacræ script. p. 86. ad locum Joh. 3. 13. scribit: *Commentitia plane est ista idiomatum communicatio.* Conf: *Socin.* adv. *Erasm Johann. p. 97. de natura Christi p. 16. 19. contra Volan. p. 28. 256.* & passim alibi, qvod etiam alii *Socinianorum* in suis scriptis propugnant.

7 Nos hac vice Socini locum ad *Joh. III. 13. Et nemo ascendit in cælum, nisi qvi descendit de cælo, Filius hominis, qvi est in cælo,* potissimum examinabimus. Probare verò conatur *commentitiam Idiomatum* esse *communicationem* in respectu ad hunc locum. (I) Qvia talis *Idiomatum communicatio* nec per *tropum*, nec *sine tropo* commode declaratur, ut *Lutheranorum* doctrina de *duabus naturis* asseratur: *Aut in verbis istis*, scribit, *tropus agnoscendus est, aut non agnoscendus. Si agnoscendus est, nihil impedit, qvo minus ille adscensus in cælum, & iste descensus de cælo, & deniq; istud, Esse in cælo, figurate accipiatur, non minus, qvam adversarii velint, nomen illud Filii hominis figurate accipi debere, & inde duas in Christo naturas colligi; & cum utrumq; simul fieri neqveat, nihil potest hoc testimonium adversarios juvare. Sin autem nullus tropus hic est agnoscendus, nullo modo possunt adversarii hoc loco ad duplicem in Christo naturam probandam uti, cum id non nisi tropo agnito fieri possit, non nisi, inqvam, agnito, per Idiomatum Communicationem, qvam vocant, dictum fuisse de Filio hominis, qvod de cælo descenderit, & in cælo fuerit. Nam certe, vel neutrum revera de filio hominis, id est, de ipso homine dictum fuit, vel saltem alterutrum non fuit dictum, si duplex Christi natura hic colligenda est.*

8. R. (1) Posito, qvod nihil *directe* faciat ad *duarum naturarum* assertionem *Idiomatum communicatio*, non tamen pro-

pterea vel ipsa, vel omnis ejus usus negari debet, cum aliis usibus inservire posset. *Dist.* igitur inter *usum adæqvatum* & *inadæqvatum: usu adæqvato negato*, negatur utilitas alicujus rei, non *inadæqvato.* (2) Errat *Socinus*, qvia *scripturam*, & *phraseologiam* ejus ignorat: nam *adscendere in cœlum*, & *descendere de cœlo*, non tantum *localiter*, sed etiam *illocaliter* accipiuntur. DEUS *adscendere* dicitur & *descendere* non *κατ' ἐσίαν localiter*, qvia spiritus infinitus in loco non est, nec *localiter* movetur, sed *κατ' οἰκονομίαν*, qvando suam præsentiam *οἰκονομικῶς* manifestare deprehenditur. De *Cœlo Majestatis*, qvod DEUS, ceu *πῦ repletivum*, inhabitat, *descendere*, vel ad istud *adscendere*, non potest, cum prorsus sit infinitum & invariabile, sicut hoc ex ipsa ratione manifestum. Hinc etiam *adscendere in cœlum*, & *descendere de cœlo*, nec h.l. ratione *localitatis*, sed ratione *Majestatis* intelliguntur, ut ex contextu liqvet, & sic *Filius hominis* dicitur *Esse in cœlo*, ratione *communicatæ Majestatis*, qvia est *ἐν μορφῇ Θεοῦ*, ita ut ipsi sint *τὰ ἴσα Θεῷ Phil. II.6. descendit de cœlo*, ratione *evacuatæ majestatis*, qvia cum in *forma DEI esset, rapinam arbitratus non est, esse æqvalem DEO, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit seipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis v.6.7.8. adscendere in cœlum*, ratione *usurpatæ Majestatis*, qvia *DEus exaltavit illum, & donavit illi nomen, qvod est super omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingva confiteatur, qvia Dominus Jesus* Christus *in gloria DEI Patris* v.9.10 11. (3) Falsum est, qvod *Idiomatum communicatio vera*, seu *realis*. nihil faciat ad *duarum naturarum* confirmationem; cum enim *utriusq; naturæ proprietates* de *tota persona* dicantur, in hac persona *duas* esse *naturas*, videl. *immediata subjecta proprietatum* illarum, necessum est, cum certū sit, qvod *proprietates suis immediatis subjectis non egrediātur*. Qvod autem de *Christo* dicuntur & *humana*, & *divina proprietates*, ex apertissimus scripturis manifestissimum est, nec à *Socinianis* id salva veritate negari poterit. (4) Qvod attinet locum *Joh. III. 13.* non opus est *tropum* aliqvem admittere, si verba juxta *signifi-*

cati-

tationem & *usurpationem biblicam* accipiantur, licet alio respectu *tropus* unus, vel alter hic urgeri posset, qvi tamen *respectus extrinsecus* hic non est admittendus. (5) Ex sententia nostra *Filius hominis* hic *figuratè* nō sumitur, sed *proprie* supponitur, cum persona Christi per Filium hominis, secundum humanam naturam, designetur, qvi dicitur *esse in cœlo, descendere de cœlo, adscendere ad cœlum*, qvæ verè prædicari de eo non possent, si nudus Filius hominis, & non insuper DEI Filius esset. Et sic omninò duæ naturæ confirmantur: corruit igitur prius, qvod *tropus* sit in his verbis agnoscendus: & negatur *posterius*, qvod si nullus tropus hic agnoscatur, inde naturarum dualitas non stabiliatur: contrarium enim liqvido satis apparet. (6) Supponit, qvod *idiomatum communicatio* sit *tropus*, aut *modus loqvendi figuratus*, qvod itidem negamus, qvia certum, qvod omnia prædicata verè, proprieq; de Filio hominis dici qveant, prout in præcedentibus demonstratum.

9. (II) Qvia qvod *commentitia plane sit ista Idiomatum communicatio*, patet inde, *si ea ita accipiatur, ut qvod unius tantum naturæ est, alteri separatim tribuatur.* ℞. (1) falsum est, qvod *Idiomatum communicatio* se habeat ita, *ut, qvod unius tantum naturæ proprium est, alteri separatim tribuatur*; nam hic nullam *separationem*, nec ullam *separativam attributionem* concedimus, ubi *personalem unionem*, in omnibus respicimus, prout ipsa *Formul. Concord. p. 770.* docet inqviens: *Cum in Christo duæ sint distinctæ naturæ, qvæ essentiis & proprietatibus suis neq; mutantur, neq; confunduntur, utriusq; verò naturæ una tantam sit persona: ea, qvæ unius tantum naturæ propria sunt, alteri naturæ NON SEORSIM, QVASI SEPARATÆ, sed toti personæ qvæ simul DEus & Homo est) attribuuntur, sive DEus, sive Homo nominetur.* (2) *Dist.* inter *idomatum communicationem Lutheranam*, & *Calvinianam*: talem *seorsivam*, vel *separativam* communicationem *Calviniani*, non *Lutherani* docent. Hinc facilè largimur, qvod ea sit *commentitia communicatio Idiomatum*, qvæ se habet *ita, ut qvod unius naturæ tantum est, alteri separatim tribuatur*, sed in nostrorum Theologorum scriptis talem non inveniet *Socinus*. (3) *Dist.* inter *verborum sonum* & *sensum*: nonnunqvam unius naturæ tantum

sit

ſcripturam, ubi proprietate ſermonis myſteria propoſuit, *tropis* involvere, ſeu pervertere, nefas erit. (2) In *proprietatum communicatione*, qvæ reſpectu duarum naturarum de Chriſto traditur in Sacris literis, *tropis* non eſt opus, cum Spiritus Sanctus *verbis propriis* hoc myſterium propoſuerit. (3) Falſum eſt, qvod *tropus* ſit (*a*) in verbo; *Filius hominis*: nam propriiſſimè *Filius hominis* notat *Filium Mariæ*, *verum hominem*, licet *perſonaliter* notet *Filium hominis*, non *eſſentialiter*, adeoq; divinam naturam non excludat, ſed includat: (*b*) *adſcendere in cœlum* non intelligitur de *aſcenſione phyſica*, ſed *myſtica*, pro *ſubſtrata materia*, qvia *cœlum* hic *cœleſtem majeſtatem* deſignat, ſicut dicitur: *Pater noſter, qvi es in cœlis*: qvod verò ſit, *cœleſtium rerum veritatem indagare*; *Socinianum* illud commentum eſt, qvo fingitur, Chriſtum in cœlos adſcendiſſe, ibiq; myſteria regni cœlorum didiciſſe, ſicut mox prodit illud myſterium iniqvitatis *Socinus*, qvemadmodum ex *qvæſtione ſeqventi* patebit: ſed potius dicitur *in cœleſtem gloriam atq; majeſtatem venire*, qva ratione certè Chriſtus ſtatim in cœlum adſcendit, qvando per unionem perſonalem in *cœleſtis gloriæ* τ̃ *λόγȣ participationem* pervenit. (3) Sic etiam *Deſcendere de cœlo* non ſignificat *de iisdem rebus cœleſtibus edoctum fuiſſe*, ſed potius *de gloriæ cœleſtis throno ſe demittere*, & *ſtatum humiliationis adſumere*, ſicut id Paulus exponit *Phil. II. 6 ſeqq.* Nam *deſcendere de cœlo* ſignificat *cœlum relinqvere*, *gloriam cœleſtem non retinere*: ſed illi, qvi de rebus cœleſtibus, cumprimis in cœlo fuerunt edocti, certè non fiunt humiliores qvoad illam notitiam, ſed potius eam magis, magisq; perficiunt. (*d*) *Eſſe in cœlo* non ſignificat *easdem res cœleſtes probe tenere, ſive eas, tanqvam præſentes, inſpicere atq; intueri*: ſed qvi deſcendit de cœlo, rem vel ſtatum cœleſtem depoſuit, is certe res cœleſtes præſenter intueri neqvit: hinc potius *eſſe in cœlo* ſignificat *in cœlo, vel cœleſti gloria*, qvoad *actum primum, permanere*, ſed eam non uſurpare. Qva ratione Chriſto homini hæc o[illegible]nia con[illegible]r, ſed non *citra*, vel *extra*, ſed potius *propter divinam naturam*. Nam ſi, verus DEus, aut *proprius DEI Filius* non eſſet, nec *in cœlo foret*, nec *de cœlo deſcendere*, nec *in cœlum adſcendere* poſſet. Sed qvia *DEI Filius* eſt, ideo juxta ſuam humanitatem *eſt in cœlo*, h. e. gloriam cœleſtem, vereq; divinam, poſſidet;

det; *de cœlo* verò propter statum exinanitionis *descendit*, h.e. gloriam cœlestem non usurpavit: & *in cœlum adscendit*, h.e. gloriam cœlestem reassumsit, & cœlesti, vereq; divino modo talem post ascensionem usurpare cœpit.

QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum Christus sub auspicium Prophetici sui muneris in cœlum adscenderit, ibiq; à DEO informatus fuerit?

1. Nihil in aliis, nihil in religione qvoq;, tam absurdum, tam ineptum tamq; suspectum videtur, esse qvod suos non alicubi reperiat Patronos atq; defensores, prout vulgo notum; idem etiam de præsenti figmento *Socinianorum* dicendum. Hoc enim novum & inauditum prorsus, ante *Socini* tempora, commentum est: placuit tamen illud *Socino*, placuit ejus adhærentibus atq; defensoribus, licet tam absurdum sit, ut totum Christi propheticum munus vel invertat, vel etiam evertat.

2. Sed hunc *fictitium Christi Salvatoris adscensum*, Dn. D. *Calovius* in Socinism. proflig. subsect. 2. de *Christo*, contr. 1. multis argumentis refutavit *(1) qvod de ea altum sit in scripturis silentium, cum neq; de tali ascensione Christi ante adventum ejus qvicqvam in V. T. prædictum fuerit, nec ullum de ea in N. T. reperire sit testimonium. (2) qvod in scripturis saltem unica adscensio Christi in cœlum descripta extet, qvæ facta est post mortem & resurrectionem ejus Marc. XVI. Luc. XXIV. Act. I. (3) qvod Christus non debuerit gloriam suam ingredi, nisi per passionem & post eandem Luc. XXIV. 26. Unde colligere est, eum ante passionem suam minime in cœlum adscendisse, alioqvin gloriam suam ingressus fuisset ante passionem suam. (4) Si Christus, ceu Pontifex futurorum bonorum per proprium sangvinem in sanctum, hoc est, in cœlum ingredi debuit Heb. IX. 12. oportuit eum prius sangvinem suum effudisse, anteqvam cœlum ingrederetur. (5) Si Christus semel tantum in sanctum ingressus est, qvod h. l. docetur, falsum sit necesse est, qvod docent Sociniani, eum aliqvoties in cœlum esse ingressum. (6) Accedit, qvod Christus prius descenderit in partes inferiores terræ, qvam adscendit Eph. IV. 9. Qvi ergo Sociniani invertunt hoc, contendendo eum prius in cœlum adscendisse. (7) Testatur insuper Petrus Act. II. 32. Christum demum post resurrectionem adscendisse in cœlum*

lum, & consedisse ad dextram DEI; nulla itaq; alia est adscensio, qvam ea, qvam antecessit resurrectio, & secuta est sessio ad dextram DEI. (8) *Confirmat id series articulorum fidei, perpetuò in sacris scripturis observata, juxta qvam consequuntur sese Passio, Mors, Sepultura, Resurrectio, Adscensio in cœlum, Sessio ad dextram DEI Ps. LXIIX. Marc. XVI. Luc. XXIV. Act. II. Eph. I. c. IV. qvæ etiam in Symbolo Apostolico pari ratione observatur, nulla facta mentione antecedaneæ cujusdam adscensionis in cœlum.* (9) *qvid qvod Christus non opus habuerit ideò in cœlum adscendere, ut illis informaretur, qvandoqvidem in ipso reconditi fuerint omnes cognitionis thesauri Col. II. 3. ipseq; noverit omnia, ceu sapientia DEI Prov. IIX. 29. Luc. XI. 49. Ioh. XVI. 10. c. XXI. 17. ut Filius unigenitus, qvi nunqvam non est in sinu Patris Ioh. I. 18. imò unum est cum Patre Ioh. X. 30. extra qvem nemo Patrem novit Matt. XI. 27.* (10) *Ne dicam Christum eo, qvo fingunt, tempore in cœlis non fuisse cœlesti gaudio delibatum, qvandoqvidem illo ipso tempore per tot dies in deserto fuerit, ibiq; jejunarit, cum feris extiterit, & à Diabolo tentatus sit Matt. IV. 2. Luc. IV. 2.* (11) *ut deniq; taceam, scripturam sacram nullam aliam glorificationem corporis Christi ante passionem ejus agnoscere, qnam qvæ in monte facta est Matt. XVII. Unde concidit Socinianum commentum de glorificatione ejus in raptu illo in cœlum, de qva Smalzius de divin. Christ. c. IV. p. 12.*

3. De hoc fictitio *Christi adscensu* prolixe *Smalz.* d. l. p. 11. 12. 13. & 14. disserit, & alibi passim ejus mentionem *Sociniani* faciunt, nos hac vice potissimum *Socinum* ipsum in Explic. locor. sacræ script. p. 87. seq. audiemus, ubi de loco *Ioh. III. 13.* verba facit, & suam de hac re sententiam tum ex h. l. tum ex aliis, confirmatam reddere conatur (I) *Qvia sic sine ullo tropo verba Ioh. III. 13. intelliguntur, dum nihil aliud in iis dicitur, nisi ut filium hominis, sive hominem illum, & vere & proprie jam tum & de cœlo descendisse, & in cœlo fuisse dicamus, qvod nos non modo libenter concedimus, sed etiam plane contendimus.* R. (1) qvomodo locus iste sit intelligendus, præcedenti qvæstione satis luculenter expositum: hic actum agere nolumus. (2) *tropis* hic non est opus, qvia verba *materialiter* accipiuntur, sed juxta scripturam, non extra scripturam, qva ratione qvid sit *adscendere in cœlum*, qvid *descendere de cœlo*, qvid *esse in cœlo*, jam superius est declaratum. (3) *dist.* inter *sensum localem* & *phy-*

ficum, & inter *ſenſum doctrinalem* atq; *myſticum*: phraſes non *phyſice* ſunt accipiendæ, qvia de *objecto phyſico* non adhibentur, ſed potius *myſticè* declarantur, qvia de *objecto myſtico* notantur.

4. (II) *Qvia nullo modo dubitandum, qvia ſi Paulus, anteqvam moreretur, ad tertium usq; cœlum raptus fuit, IEſus ipſe Nazarenus, ejus Magiſter & Dominus, in cœlo fuerit, ibiq; aliqvandiu ante mortem ſuam, præſertim verò, anteqvam munus ſuum in terris obi et, commoratus fuerit.* ℞. (1) Qvod concernit hunc *adſcenſum Chriſti*, communis eſt *Socinianorum* ſententia, qvod ſtatim poſt baptiſmum, tempore commorationis in deſerto, videl. ante prophetici muneris exordium, contigerit. Sic enim *Smalz.* l. d. p. 13. ſcribit: *Qvod ad tempus attinet, plane veriſimile eſt (qvod nonnulli inter alios Theologos etiam obſervarunt) illud tunc temporis factum eſſe, cum Dominus Ieſus jam baptizatus, & Spiritu Sancto donatus qvidem eſſet, munus verò ſuum nondum obire cæpiſſet, cum ſcil. qvadraginta dies & totidem noctes, jejunus in deſerto conſumſit. Qvemadmodum enim Moſes tot dies & noctes, absq; cibo etiam à DEO conſervatus fuerat, anteqvam legem per eum daret: ſic credibile eſt, Dominum Ieſum, illo cibo cœleſti, qvi eſt commercium & conſpectus DEI, ita fuiſſe recreatum, ut nullo naturali alimento, per totum illud tempus, opus habuerit. Tunc enim credibile eſt, eum Patrem ſuum vidiſſe, & ab eo doctum fuiſſe, qvod de ſe utrumq; Dominus prædicat. Qvæ ſi cui minus probantur, is hoc ſaltem conſideret, nihil à nobis affirmari in hac re, qvod cum analogia fidei Chriſtianæ pugnet: nobis autem id plane ſe ita habere, perſvaſiſſimum eſt, & hoc myſterium nobis à DEO per ſacras literas revelatum eſſe, plurimum gaudemus.* Jam autem notum eſt, qvod tres Evangeliſtæ *Matthæus c. IV. 1. ſeqq. Marc. I. 12. ſeqq. Luc. IV. 1. ſeqq.* Hiſtoriam deductionis in deſertum, & commorationis ejus deſcripſerint, ſed altum ubiq; de nugis iſtis Socinianis ſilentium: cumprimis *Marcus* emphatice totam hiſtoriam deſcribit: *ET STATIM*, inqvit (nim. poſt ſolennem inaugurationem de cœlo, Patrisq; cœleſtis memorabilem proclamationem: *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui*, adeoq; ſine omni interjecta mora, ſine omni raptu in cœlum) *Spiritus expulit eum in deſertum: & ERAT* (videl. illo tempore poſt expulſionem illam Spiritus) *IN DESERTO* (non in cœlo) *qvadraginta diebus, &* (nim. toto illo

illô tempore) *tentatatur à Satanâ*: ERATQVE (nimirum totô illô tempore) *cum bestiis*. Sic etiam *Lucas* v. 1. dicit: *IEsus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Iohanne, & agebatur in Spiritu in desertum diebus qvadraginta, & tentabatur à Diabolo, & nihil manducavit in diebus illis, & consummatis illis, postea esuriit*. Sic igitur qvadraginta diebus fuit in *deserto*, non in *cælo*, sub *tentatione Diaboli*, non sub *informatione DEI*, absq; *cibo terrestri*, sed non cum *cibo cælesti* &c: qvæ si rectius expendantur, per se commentum *Socinianum* corruit. (2) ab exemplo *Pauli* non licet ad exemplum *Christi* colligere: nam *Paulus* fuit minister, *Christus* Magister, *Paulus* nudus homo, *Christus* DEus & Homo, *Paulus* humana scientia præditus, *Christus* omniscientia divina clarus, *Paulus* hac informatione opus habuit, *Christus* eadem non indiguit, de *Paulo* disertis verbis id dicitur *II. Cor. XII. 2. Veniam ad visiones & revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos qvatuordecim (sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, DEus scit,) raptum hujusmodi usq; ad tertium cælum. Et scio hujusmodi hominem, (sive in corpore, sive extra corpus nescio, DEus scit) qvoniam raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, qvæ non licet homini loqvi*; De *Christo* verò, vel ejus *adscensu*, nihil prorsus tres Evangelistæ, historiam illam omnibus circumstantiis describentes, tradiderunt. Jam autem magis necessarium fuisset, ut hæc *adscensio Christi* consignaretur, qvam *Pauli*. (3) *Paulus* non *anteqvam moreretur*, sed potius sub initio suæ prædicationis in cælum raptus est, (4) *IEsus plenissime* donatus est Spiritu Sancto, & eo *plenus Luc. IV. 1.* deductus est in desertum, qvia *non ad mensuram* Spiritum accepit *Ioh. II. 34.* adeoq; frustranea talis informatio fuisset. (5) Christus tum temporis ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, tabernaculum suum posuit inter nos, & in terris degit *Ioh. I. 14.* non autem in cælum ad DEum adscendit, ut ibi certam aliqvam informationem acciperet.

5. (III) *Qvia inde fit, ut qvicqvid de descensu Christi de cælo, de exitu ipsius à Patre, de antecedente ejusdem visibilem adscensum in cælum, ipsius ibidem commoratione in sacris legitur, qvod tantopere contra nos adversarii urgere solent, id nihil plane sit.* ℞. (1) Qvod Christus de *Sadducæis* dicit: *Erratis, nescientes scripturas Matt. XXII. 29.* illud etiam hic de *Socinianis* dicendum est: nam *phrases illæ*

non juxta *naturam*, sed juxta *scripturam* explicandæ veniunt: nos hic prolixe de singulis agere nolumus (2) Scriptura tantum *unum* novit Christi *realem adscensum*, *geminum* autem nuspiam tradit, ideoqve nos etiam unum tantum admittere possumus. (3) *Commoratio Christi corporalis in cœlo*, vel *tempore tentationis in deserto*, vel *tempore conversationis in mundo*, prorsus ἄγραφος est, adeoq; nulla ratione probari vel potest, vel debet.

6. (IV) *Qvia hinc efficitur, ut adversarii nostri* (nim. Socinianorum) *qvi nos, tanqvam interpretationibus nostris à litera ipsa longa recedentes, accusare solebant, a nobis meritò hoc eodem nomine accusentur: qvippe qvi qvod scriptura vel illi filio hominis, vel simpliciter, supposito illi, ut vocant, qvod IEsus Christus est, aperte tribuit, divinæ cuidam à se somniatæ naturæ, sive essentiæ, tribuere non vereantur.* R. (1) à *proprietate literæ* omnino recedendum non est, nisi vel *rei absurditas*, vel *textus perspicuitas*, vel *analogiæ fidei conformitas*, vel alia, idipsum urgeant: qva ratione certe *Sociniani* graviter suis interpretationibus incommodis, peccare dicuntur. (2) *Dist.* inter *literam grammaticam*, & *Theologicam*, vel *Biblicam*: non *grammaticam*, vel etiam *vulgatam significationem* nude respicere debemus, sed potius accurate considerandum est, qvid *phraseologia biblica*, *analogia Theologica*, vel ipsa *substrata materia*, reqvirat: nam si de vulgatis rebus non est sermo, nec applicatione, vel significatione vulgari voces explicandæ veniunt, sed potius pro conditione mysteriorum termini sunt applicandi. (3) Falsum est, qvod nos *Lutherani* talia, qvæ h. l. *Filio hominis* tribuuntur, *divinæ naturæ* vendicemus, cum ut præcedenti qvæstione declaratum, hæc omnia prædicata, nimirum *adscendere in cœlum, descendere de cœlo, esse in cœlo, proprie* vel *immediate* de *Filio hominis*, vel *Christo secundum humanam naturam*, intelligantur. Qvid *Calviniani* faciunt, nos minime moramur, cum hæc sententia Calvinianorum passim à nostratibus refutetur. (5) Falsum est, qvod *divina essentia Christi* sit *somnium*, cum sit *verum pietatis mysterium I. Tim. III. 16. Ioh. I. 14.* &c: (5) Nec etiam in h. l. explicatione literali sibi constat *Socinus*, qvia mox addit paucis lineolis interjectis: *Postremo non est omittendum propter primam horum verborum partem illam, qvam adversarii ipsi figurate accipere coguntur:*

Et

Et nemo adſcendit in cœlum, *omninò concludendum videri, totum locũ ſigurate accipiendum eſſe. Vix enim invenies unqvam qvo modo ſine tropo aliqvo dici potuerit, ſolũ Filium hominis in cœlum adſcendere. Cum jã Elias eò adſcendiſſet, ut aperte ſcriptura teſtatur, & idẽ de Enocho affirmari poſſe videatur.* Hic igitur antea notata *de propria interpretatione* corruit gloriatio. Sed & hic neſcit ſcripturæ phraſin *Socinus*, qvæ hoc loco non de τȢ *Beatorum*, in qvod *Elias* & *Enochus* perveniſſe dicuntur, ſed de τȢ, *vel cœlo majeſtatis divinæ*, in qvod nec *Elias*, nec *Enochus*, nec ullus alius hominum unqvam adſcendit, vel adſcendere potuit. Unde fruſtra qvoq; cautelam hanc addit Socinus: *Animadvertendum eſt, ſi in loco noſtro ſine tropo, ea ratione, qva dictum eſt, Chriſti verba accipere velimus, non* Qvi eſt in cœlo, *ſed* Qvi erat *in cœlo, legendum ſit. Nam participium illud græcum, ὁ ὢν, ut etiam Eraſmus & alii annotarunt, non minus,* Qvi erat, *qvam* Qvi eſt, *verti poteſt.* Nam hæc omnia proficiſcuntur ex peregrina hujus loci interpretatione. Si genuinam retineamus interpretationem, curioſis illis obſervationibus & animadverſionibus non eſt opus.

QVÆSTIO TERTIA.

Num Chriſto conveniat Sacerdotium proprie ſic dictum?

1. Circa *Statum controverſiæ* non inconveniens erit, ſi vel unum, vel alterum, hic minime controverſum, præmittamus: (1) qvod hic loci non qværatur: *annon Sociniani vel officium Chriſto Sacerdotale, vel etiam munus triplex adſcribant?* nam paſſim in ſcriptis ipſorum invenitur, qvod & officium Sacerdotale, ſimulqve triplex munus ipſi tribuant, ſicut legimus apud *Socin. in theſ. de Offic. Chriſt. p. 3. theſ. 3. Id munus, qvô Chriſtus functus fuit in mundo, eſt Propheticum, qvô fungitur in cœlo, Regium & Sacerdotale. Smalz.* de divin. Chriſt. cap. 4. p. 10. *munus Chriſti triplex eſt, ut ſacræ literæ teſtantur, & omnes hac in re conſentiunt Theologi Chriſtiani, Propheticum, Regium & Sacerdotale. Qvorum primum Chriſtus, dum in terris fuit, perfecit: ad reliqva verò duo aditus ei a DEO paratus fuit. Volkel.* l. 3. de Vera Relig. c. 2. p. 41. *Triplex Chriſti munus eſt, Propheticum, Regium, & Pontificium. Qvæ omnia unico Chriſti, ſive Uncti, nomine continentur, propterea qvod olim tum ſacerdotes, vatesq;, tum reges per unctionis religionem atq; ceremoniam muneribus ſuis inaugurabantur.*

 1. (2)

2. (2) Nec qværitur: *Annon alicubi in scripturis sacris de Sacerdotio Christi figuratè sermo fiat?* cum enim Sacerdotium Christi sit officina non tantum, sed etiam medicina nostræ salutis, propterea non uno modo DEus hanc saluberrimam doctrinam nobis in verbo suo proponere voluit modo *perspicuis* & *propriis*, modo verbis *involutis* & *figuratis*, ut omnem inde sumere possemus occasionem, omnibus modis in hoc mysterium inqvirendi. Sed ex *figuratis propria* loca non sunt vel neganda, vel obscuranda, sed potius figurata sunt ad loca cardinalia, maximeq; perspicua, revocanda, & ex iis exponenda.

3. (3) Non qværitur de *Sacerdotio Levitico*: siqvidem qvod illud varias habuerit umbras & involucra sacrificiorum à nemine nostrum negatur. (4) neq; de *Sacerdotio nominali*: num aliqvo modo dici possit, aut debeat sacerdos? qvia nomina sine re nihil esse dicuntur. (5) neqve de *Sacerdotio cum munere Regio conjuncto*, qvæ pariter communis est *Socinianorum* hypothesis: *Primum omnium*, inqvit Smalz. de Divin. Christ. c.23. p. 134. *per Iesu Christi sacerdotium aliud nihil significari, qvam qvod Christus nostri curam gerere velit, & gerat. Et hoc tantùm à regno ejus differt, qvod Christus, qvatenus Rex est, potest nostri curam gerere: qvatenus verò Pontifex, gerere etiam (ut diximus) vult & gerit.* *Socin.* in thes. de Offic. Christ. p. 13. th. 47. *Qvod ad munus Christi Sacerdotale attinet, id qvidem non reipsa, sed tamen per viam intellectus à regio ipsius munere distingvitur.*

4. (6) Sed qværitur de *Sacerdotio distincto, eoq; propriè sic dicto. Num Christo distinctum, idq; propriè sic dictum Sacerdotium conveniat?* Nos *affirmativam* tum ex *proprietate nominis*, tum ex *proprietate Synonymorum*, tum ex *proprietate muneris*, tum ex *relatione typorum*, tum ex *proprietate actuum*, tum ex *proprietate effectuum*, tum ex *proprietate attributorum*, tum ex *proprietate beneficiorum*, aliisq; multis juxta scripturam demonstrare possemus, sed modo illa dimittimus.

5. *Sociniani negativam* defendunt sententiam. Sic enim *Socin.* in thes. de Offic. Christ. p.13.th.48. *Dum Pontificem esse, seu Sacerdotem intelligimus (QVOD tamen FIGURATE ACCIPITUR) solicitam curam, qvam nostri gerat, ob oculos nobis ponimus, & hac ratione incredibilem animi consolationem percipimus.* *Ostor.* in Instit. c. 40. p.

382.

382. So ist nun das Hohe Priesterthumb Christi anders nicht / den die administration / oder Verwaltung seines geistlichen Reichs / so ferne die unsere Wohlfahrt und Seeligkeit angehet: welches also **figürlicher Weise** geheissen wird / damit anzuzeigen / daß Christus nicht allein uns helffen kan / wie ein grosser mächtiger HErr und König / sondern das ers auch thun wolle.

6. Nos causam hanc potissimum ex *Smalz.* lib. de Divin. Christ. c. 23. p. 134. 135. expendemus. Sic autem ille: *Considerandum etiam est, TOTAM HANC REM, quæ per SACERDOTII vocabulum IN CHRISTO describitur, esse FIGURATAM:* loqvitur igitur in his verbis (1) de ipso *Sacerdotio,* (2) de Sacerdotio *qvoad rem,* (3) de *tota re Sacerdotii,* (4) de re tota, qvatenus per *sacerdotii vocabulum* describitur, vel exprimitur. (5) de *tota re Sacerdotii,* qvatenus *in Christo* reperitur, vel Christo Sacerdoti tribuitur, adeoq; nobis directe contradicit, qvod nimirum res ipsa sacerdotii non sit propria, sed potius figurata.

7. Probare videtur suam sententiam (I) *Qvia per hoc sacerdotium explicantur ea, qvæ sub veteri fœdere olim extabant. Qvemadmodum enim sub veteri fœdere DEus Pontifices esse voluit, qvi causam populi apud DEum agerent: sic etiam, qvia Iesus Christus causam populi divini in cœlo agit, ideo ipse sacerdos, & hoc opus illius Sacerdotium appellatur.* ℞. (1) Verum est, qvod per Sacerdotium Christi *explicentur* ea, qvæ sub prisco fœdere qvondam *implicabantur*, adeoq; fuerunt olim *involuta*, qvæ nunc per Christum sacerdotem *evoluta* sunt: verum hac ratione poti9 contrariũ infertur, qvod talia nõ sint *figuratè*, sed *propriè* intelligenda, qvia nunc non amplius *typum rei*, vel *figuram*, sed *rem ipsam, corpus ipsum, naturam ipsam* habemus. (2) præsupponit *falsam hypothesin*, qvod Christus, tanqvam Sacerdos, causam nostram coram DEO *demum in cœlis* egerit, qvod gratis sumitur, vel supponitur, cum Christus sit Sacerdos æternus secundum ordinem Melchisedech *Psal. CX. 4.* & non per sangvinem hircorum aut vitulorum, ut prisci fœderis Sacerdotes, sed per proprium sangvinem ingressus sit in sanctum sanctorum æterna redemtione inventa *Heb. IX. 12.* (3) Christus & ratione *satisfactionis*, vel

sacri-

sacrificii, & ratione *interpellationis*, est noster *Sacerdos*, cum his duabus partibus sacerdotale munus Christi constituatur, prout alibi probatum. (4) Si Veteris Testamenti fuerunt veri sacerdotes, multo magis Christus verus, proprieq; sic dictus Sacerdos appellandus erit.

8. (II) *Qvia hoc totum ex eo potest apparere, si consideretur, in sola qvodammodo Epist. ad Hebr. Christi, qvatenus sacerdos est, & sacerdotii ejus, mentionem fieri; & tamen impossibile est alios Apostolos in suis scriptis, rei tam insignis, sine qva Christi dignitas consistere neqvit, ullam mentionem facere. Qvod igitur ipse Christus, cum adhuc mortalis esset, promisit, se futurum cum suis singulis diebus usq; ad consummationem seculi, Matt. 28. 20. se eos non relicturum orphanos, Ioh. 14. 18. se eis daturum os & sapientiam Matt. 10. 20. cui nemo potest resistere. Et qvod idem ex mortuis resuscitatus dixit Iohanni: Ne metuas &c: Ecce ego vivo in secula seculorum Apoc. 1. 17. & D. Paulo Act. 18. 9. 10. Ne metuas, sed loqvere, & non tace, qvia ego tecum sum. Qvod deniq; apud Apostolos est, Iesum Christum caput esse Ecclesiæ, & Ecclesiam esse ejus corpus Eph. 1. 22. 23. Ecclesiam ab eo foveri Eph. 5. 29. Christum nos liberare a futura ira 1. Thess. 1. 10. hoc est autori Epist. ad Hebr. Iesum Christum Pontificem nostrum esse &c:* ℞. (1) Scriptura cum scriptura conferenda: qvod in uno loco non dicitur, illud in aliis reperitur. (2) Falsum, qvod Christus alibi *Sacerdos* non dicatur, nec ejus Sacerdotium describatur: contrarium ex *Psal. CX. 4. Esa. L III. 4. seqq. Ioh. I. 29. &c.* manifestum. (3) ex illis actibus potius *sacerdotii res*, qvam *figura* probatur. (4) ab his actibus *sacrificium* præsupponitur, qvod proprie ad sacerdotium pertinere dicitur. Sed hic à *Smalzio* negligitur: id qvod etiam ex seqventibus Smalzii verbis colligitur, qvæ nunc adducere non licet.

9. (III) *Qvia figurate pro nobis dicitur apud DEum interpellare, qvod nisi plane figurate de Christo diceretur, illud omnino impium esset, qvia sic non haberet potestatem omnia faciendi, qvæcunq; ad regnum ipsius qvoqvo modo pertinent &c:* ℞. (1) Christus proprie dicitur noster *Advocatus I. Ioh. II. 1.* noster *interpellator Rom. IIX.* (2) *Dist.* inter *rem* & *rei modum*: non interpellat *humiliter*, sed *sublimiter*, non *gratuitum obtinendo*, sed *meritum ostendendo*. (3) & pro nobis intercedit, & cuncta ex potestate regia facit, qvæ certe opposita non sunt.

QUÆSTIONES ANTISOCINIANÆ
EX ARTICULO IV. AUGUSTANÆ CONFESSIONIS

DE

JUSTIFICATIONE

QUÆSTIO PRIMA.

Num è scriptis etiam Veteris Testamenti justificatio fidelium in Novo Testamenti cognosci, vel confirmari posit?

DISP. VIII.
R. GEORG LEONHARDUS RUCKER, Rotenburgo Francus.

1.

SOcinianí licet in universum *Vetus Testamentum* non rejiciant, parum tamen *auctoritatis, necessitatis, utilitatis, valoris* & *certitudinis*, illi relinqvunt in articulis fidei, vel religionis Christianæ cognoscendis & probandis. Ipsa *Catech. Racov. p. 1.* in *genere asserit, Christianam religionem in solis Novi Testamenti libris extare. Smalz.* contra Franz. p. 5. *Nos solos Apostolos pro fidei Doctoribus agnoscimus.* In *specie* parum *auctoritatis* ipsi tribuitur, qvando *Socin. lib. de autor. script. p. 16.* scribit: *Qvod pertinet ad auctoritatem Veteris Testamenti, ea non est hic magni facienda. Smalz. Refut. monstr. p. 79. Parum curandum est, qvid dicat de cultu DEI propheta Veteris Testamenti. Necessitatem* ejus infringunt, qvando *Socin. d. l. p. 36.* inqvit: *Utilis qvidem ob plures causas est lectio Veteris Testamenti iis, qvi Novum recipiunt, id est, hominibus Christianæ religionis, sed non tamen necessaria.* Sic *utilitatem* Veteris Testamenti labefactat *Smalz. lib. de div. Christ. c. 10. p. 49. Parum vetus fœdus prodesse potest, ad Judæos ad Christum convertendos, cum necesse sit omnia fere, qvæ ibi de Christo scripta esse credimus, alio sensu, qvam verba præ se ferunt, nempe mystico, accipere, qvem scil. Apostoli nobis aperuerunt.* Sic etiam *valorem* & *certudinem* evertunt, qvando *Theop. Nicolaides adv. Mizeboz. p. 68.* dicit: *Recipitur qvidem hoc testimonium prophetæ, sed plus valuisset, si Apostolus dixisset.*

P

nisset. Smalz. adv. Franz. in præfat: *Qvicqvid ex Veteri Testamento ad Christianam religionem affertur, id non tam ad confirmandam eam, qvam ad illustrandam & commendandum eam facit.*

2. Qvod igitur in genere de *religione Christiana* dicunt, eam ex V. T. libris solide vel tractari, vel probari non posse, illud de præcipuo Christianæ religionis articulo, vid de *justificatione* pariter fingunt, ut legimus apud *Socin. de justific. pag. 15. Ea potissimum sunt afferenda, qvæ ad nos spectant, id est, qvæ in Novo Testamento habentur. Vel si sunt in vetere, aut prædictiones sunt ejus, qvod futurum erat sub novo fœdere, aut ejusmodi sunt Testimonia, qvæ perpetuam vim habere constet, & ad utrumq; fœdus peræqve spectare. Nam de justificatione nostra, id est, nostrum, qvi sub novo fœdere sumus, non autem illorum, qvi sub vetere fuerunt, hoc loco agendum est. pag. 16. Vel ea tantum in medium producenda sunt, qvæ ad justificationem nostram sub Novo Testamento pertinent, vel si ea qvoq; proferuntur, qvæ ad Testamentum Vetus sunt referenda, diligenter prius inter utrumq; fœdus in hoc justificationis negotio distingvendum est, aut certè diserte monendus lector, ea ideo afferri, ut appareat, etiamsi non omninò eodem modo utrobiq; homines justificentur coram DEO, tamen hoc perpetuum esse, ut nemo coram DEO justificetur, nisi cui DEUS gratuitò peccata remittat, id autem nemini contingere, nisi ei, qvi resipiscat, Deoq; in futurum se obedientem præstet.*

3. Ex his notamus circa *statum controversiæ*, qvod non sit in qvæstione (1) *Num è solis libris Veteris Testamenti, sepositis scriptis Novi Testamenti justificatio vera peti debeat?* qvæ modernorum *Judæorum* est sententia, qvi *Novi Testamenti* libros rejiciunt, solos *Veteris* recipiunt, & hac ratione sibi veram *justificationem* & *salutem* promittunt. (2) *Num è libris V. T. primò justificatio fidelium in N. T. sit asserenda, vel demonstranda?* Nam facile largimur, qvod justificatio fidelium in Novo Testamento primò sit è libris N. T. addiscenda, cum Novum Testamentum, vel ejus scripta, potissimum ad tempora novissima, sint accommodata (3) *Num æqve plane, æqve plene, æqve bene, justificatio fidelium in N. T. demonstretur è libris V. T. sicut ex libris N. T. traditur & cognoscitur?* nam *comparativam perspicuitatem, plenitudinem,* &

& commoditatem, Novi Testamenti scriptis præ libris V. Testamenti tribuimus, cum certum sit, qvod longè major claritas in Novo, qvam in Veteri Testamento reperiatur, plenitudo qvoq; circumstantiarum, & applicationum perfectior in eodem deprehendatur, & sic etiam commodius ex Novo, qvam ex Veteri, doctrina justificationis tradatur, ac facilius & felicius inde cognoscatur. (4) Sed potius qværitur de reipsa: *Num ipsa justificatio nostra non possit etiam ex libris Veteris Test. cognosci?* Hoc est qvod *affirmamus*, *negativam Sociniani*, prout audivimus, tuentur.

4. *Affirmativam* nostram multis confirmare possemus, sed hac vice lectorem ad *Venerandi Dn. D. Calovii Socinism. proflig. art. 3. de justif.* remittimus, ubi contr. 1. *XII. rationes* pro nostra sententia recitat, & qvod justificatio nostra non solum è N. sed etiam è V.T. peti possit, probat (1) *è rationis defectu, cum nullam causam afferre possint, cur prophetica scripta hic excludenda sint* (2) *à scripturæ Veteris Testamenti elogio. II. Tim III. 15. 16. 17.* (3) *è spe vitæ æternæ. Rom. XV. 4.* (4) *è Christi testificatione* Joh. V. 39. (5) *è demonstratione Apostolica Rom. IV. 6.* (6) *è justitiæ fidei confirmatione Rom. X. 6. Deut. XXX. 12.* (7) *E demonstratione justificationis per fidem in Christum Rom. X. 11. seq. ex Esa. XXIIX. 16.* Joel II. 32. (8) *E loco classico V.T. Habac. II. 4.* (9) *ab exemplis sanctorum V. T. Ebr. XI.* (10) *à justificatione Abrahæ Rom. IV. 11.* (11) *Ex identitate modi justificationis in V. & N.T. Act. XV. 10.* (12) *à probatione ipsius Socini, qvi lib. de servatore Christ. p. 4. c. 4. p. 330. ab exemplo Abrahæ demonstrare conatur, nobis Christi justitiam non imputari in justificatione nostra.*

5. *Argumenta Socinianorum* ipsa verba *Socini th 2.* producta suppeditare videntur (I) *Qvia ea potissimum afferenda sunt, qvæ ad nos spectant, id est, qvæ in N.T habentur* Ry. (1) *Unum* est DEI *verbum*, ac proinde Vetus cum Novo, Novũ, cum vetere, Testamentũ est simpliciter unum DEI verbum: & qvod DEUS conjunxit, homo *Socinianus* separare nec debet, nec potest. (2) *Vetus* & *Novum Testamentũ* non *contrariè*, *sed relative opponuntur*, qvia ad se mutuò referuntur cum *Vet9* sit *novi fundamentũ*, *Novũ Veteris complementum*: vel si *materiã* respiciamus, non sunt *opposita* sed, *Coordinata*,

qvia DEUS & *Vetus* & *Novum Testamentum* revelare voluit. (3) *Ad nos spectant* ea, qvæ in N. T. habentur, non *exclusive* sed *inclusive*, qvia Veteris Testamenti libri qvoq; spectant ad homines N. T. & usibus ipsorum inserviunt *Joh. V. 39. Luc. XVI. 29. Rom. XV. 4. II. Tim III 16 II. Pet. I 19* &c: cumprimis qvia tota Christianorum Ecclesia superædificata non tantum super scripta Apostolorum, sed etiam Prophetarum *Eph. II 20*.

6. (II) *Qvia si qvædam, qvæ spectant ad nos, sunt in vetere, aut prædictiones sunt ejus, qvod futurum erat sub Novo Fædere, aut ejusmodi sunt testimonia, qvæ perpetuam vim habere constet, & ad utrumq; fædus peræqve spectare.* Rz. (1) Qvod multa, qvæ reperiuntur in V. T. pertineant ad Christianos in N. T. patet ex consideratione mysteriorum fidei, qvæ luculenter satis in V. T. proposita sunt, sicut egregiis documentis Patres, & alii Doctores id demonstrarūt. Hinc (2) *dist.* inter *fidei*, vel *doctrinæ substantiā*, & circumstantiā; *illa* communis utriq;, *hæc* propria cuilibet Testamento (3) adsumim, id, qvod fatetur *Socinus*, qvod *in Veteri Testamento prædictiones fuerint ejus, qvod futurum erat*: jam uti *bonum promissum*, etiam est *verum bonum*, ita qvoq; *bonū salutis* & *justificationis promissum vere bonum* est. hinc *Theologi* distingvunt inter ἐπαγγελίαν & εὐαγγέλιον, inter *Messiam promissum* & *exhibitum*, inter *meritū promissum & præstitū*: qvæ sunt in prædictionibus, illa verè sunt, cum non Entis nulla sit dictio, nulla prædictio, nulla promissio, cumprimis si de *divinis prædictionibus* & *promissionibus* sermo fiat, qvæ vere sunt & Amen II Cor I. 20. (4) Si dantur *ejusmodi Testimonia, qvæ perpetuam vim habere constat, & ad utrumq; fædus peræqvè spectant*, seqvitur qvod illud maxime de *justificatione hominis peccatoris* sit asserendum, cum in ea fæd. Dei in genere peccatoribus communicetur; nam peccatores & in *Veteri*, & in *Novo Testamento* socii fæderis fieri debuerunt, ut ex conspiratione cum Satana transirent ad confæderationem Jehovæ, qvod non potest aliter fieri, nisi per remissionem peccatorum, veramq; justificationem, unde recte colligunt Apostoli *Act. XV. 10.* qvod eadem Domini nostri JEsu Christi gratia justificemur nos, qvemadmodum illi fideles in V.T. salvati sunt.

7. (III)

7. (III) *Qvia de justificatione nostra, id est, nostrum, qvi sub novo fœdere sumus, non autem illorum, qvi sub vetere fuerunt, hoc loco agendum est.* R. [1] *una* tantum est *justificatio*, nim. per remissionem peccatorum, qvæ communis est Veteri & Novo Testamento, qvemadmodum *Paulus Rom. IV. 1. seqq.* multis idipsum demonstrat. [2] Licet *Sociniani diversam fidem justificantem* in Veteri & Novo Testamento fingant, sicut *Smalz. contra Frantz. p. 103.* scribit: *Longe diversa fuit fides illa, qva olim justificabantur, ab ea, qva nos hodie sub Evangelio justificamur. Hodie enim salus nulla est absq; fide in Christum, cui fidei tunc locus nullus erat, & qvæ tunc à nemine reqvirebatur:* tamen *Heb. XI* contrarium catalogo prolixo fidelium V.T. demonstratur: fingunt præterea, fideles in V.T. remissionem peccatorum esse consecutos, etiamsi in Christum non crediderint, apud *Socin. de justif. p. 107.* sed contrarium testantur Apostoli *Act. XV. 10.* qvod eadem gratia Domini nostri JEsu Christi remissionem peccatorum & salutem conseqvantur fideles V. & N.T. [3] *disting.* inter *objectum & subjectum*; *subjecta* qvidem suo modo *diversa* sunt, cum in V.T. Israelitis potissimum gratia justificationis contigerit, in N.T. gentibus universis dispensetur: *beneficium* tamen *justificationis unum* est & manet *objectum*. Et hoc ostendit etiam *Paulus Gal. III. 6. seq.* qvi communem *Abrahæ* cum posteris, & gentibus tempore N.T fidem tribuit: *Scriptum est; Abraham credidit DEO, & reputatum est illi ad justitiam. Cognoscite ergo, qvia qvi ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ. Providens autem scriptura: qvia ex fide justificat gentes DEUS, prænunciavit Abrahæ, qvia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qvi ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

8. [IV] *Qvia tantum ea sunt in medium producenda, qvæ ad justificationem nostram sub Novo Testamento pertinent: Ergo non ex V.T. libris justificatio demonstranda venit.* R. [1] præsupponitur iterum *falsa hypothesis*, qvasi *justificandi ratio* sit *alia in N. alia in V.T.* cum tamen *una* tantum sit *justificatio*. [2] petitur *principium*, qvod tantum ea producenda sint, qvæ ad justificationem nostram in N.T. pertineant, cum ea rectissime producantur, qvæ faciunt ad fidelium Veteris Testamenti justificationem, sicut ex-

exemplo suo probat *Paulus Rom. IV.1.seq. Heb XI.1 seqq. Praxis enim Apostolorum est praxis fidelium Doctorum.* [3] Phrasis, *pertinere ad iustificationem nostram sub Novo Testamento*, vel intelligitur *cum oppositione*, qvod sic ea producantur, ut justificationi fidelium in V.T. opponantur, qvæ sententia *Socinianorum*; vel *cum collatione*, ut nostra justificatio, per illustria fidelium ex V. T. exempla declaretur, & cum iis conferatur, qvæ doctrina orthodoxorum in S.L. fundatissima.

9. [V] *Qvia si ea qvoq; proferuntur, qvæ ad Testamentum Vetus referenda sunt, diligenter prius inter utrumq; fœdus in hoc iustificationis negotio distingvendum est, aut certe diserte monendus lector, ea ideo afferri, ut appareat, etiamsi non omnino eodem modo utrobiq; homines iustificentur coram DEO, tamen hoc perpetuum esse, ut nemo coram DEO iustificetur, nisi cui DEus gratuito peccata remitit, id autem nemini contingere, nisi ei, qvi resipiscat, Deoq; in futurum se obedientem præstet.* R. [1] ad Vetus Testamentum referuntur alia, qvæ sunt *circumstantialia*, & faciunt ad *fidelium*, vel *iustificandorum παιδαγωγίαν*, alia qvæ sunt *substantialia*, & faciunt ad *fidei*, vel *iustificationis ὑσίαν*; *illa* sunt diversa, sed *hæc* in utroq; Testamento sunt eadem, qvemadmodum ipse *Socinus* verbis ultimis fateri cogitur. Sic igitur doctrina de *substantia*, vel *essentia iustificationis* etiam in V. T. reperitur, adeoq; convenienter ex libris V.T. deducitur. [2] *dist.* inter *modum formalem* & *accidentalem*, vel *essentialem* & *ceremonialem*, inter *modum essendi* & *conferendi*: *iustificatio* qvidem non *omnino eodem modo utrobiq; hominibus confertur*, qvoad *modum accidentalem*, vel *ceremonialem*, utrobiq; tamen idem *modus formalis*, vel *essentialis* invenitur. [3] *Dist.* inter *iustificationem coram DEO*, & *coram Ecclesia*: *illa* semper in utroq; Testamento eadem est, & in gratuita peccatorum remissione consistit, prout ipse *Socinus* concedit, hæc verò certam aliqvam variationem admittit. Cum igitur ipse *Socinus* largiatur, in remissione peccatorum gratuita substantialem modum justificationis consistere, eamq; Veteri Testamento communem esse, patet inde, qvod justificatio *formaliter* in V.T. reperiatur, & inde rectissime deducatur, cognoscatur, stabi-

stabiliatur atq; defendatur, ideo nunc in fine suffragium ipsius *Socin. lib. de Christo Servat part. 4. c. 4. p. 330.* adscribimus: *Imputationis*, inqvit, *in ea salute, qvam nobis DEUS per Christum dedit, expresse meminit Paulus cap. 4. Epist. ad Rom. ubi ea, qva de imputatione, qvam Abrahamo obtigisse, ex Mose affirmat, ab ipso scripta fuere, omnia ad nos accomodanda sunt, & tanqvam de imputatione, qva nobis per Christum obtingat, dicta censeri debent, ut ex ipsius Apostoli verbis manifesto liqvet: qvi rationem justificationis Abrahami per imputationem cum justificationis nostra ratione comparat: qvam similiter in imputatione consistere asseverat, & alteram alteri parem facit &c.*

QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum absoluta gratia, qva nullo merito, vel precio satisfactionis moveatur, sit causa primaria nostra justificationis?

1. Circa *qvastionis statum* observandum, qvod h.l. sermo non sit de eo [1] *Num aliqvo modo sic loqvi possimus, qvod absoluta DEI gratia sit primaria causa nostra justificationis?* hoc enim termino nonnulli contra *Calvinianos hypotheticos* utuntur, licet tutius sit ab eodem abstinere, qvam eum adhibere: hæc autem ipsum mens est, qvod DEUS non sub hypothesi voluerit omnes salvos, *si credant*, sed absolutè, hoc est, sine tali hypothesi. Sed *à posse* ad *esse* non valet conseqventia.

2. [2] Non est qvæstio, de *absoluta gratia, ratione ordinis*, qva DEUS ordine prius voluisse dicitur hominum salutem ex mera misericordia, qvam meritum hominibus redimendis destinaret, unde juxta qvosdam etiam missio Filii, vel constitutio Mediatoris, hujus *gratia, pracise spectata*, dicitur *effectus*: hæc tamen gratia rectius προηγουμένη, qvam *absoluta*, nuncupatur.

3. [3] Nec agitur de *absoluta gratia*, ratione *obiecti*, annon hæc gratia *cuncta peccata* absolute respiciat, & sic ad omnium peccatorum remissionem sufficiat? Nullum enim peccatum est, qvod gratiam DEI prorsus infinitam superare qveat, cum gratia DEI exuberet super omne peccatum Rom. V. 20. 4.

4. [4] Nec agitur de *absoluta gratia* ratione *subjectorum*, num ad certos homines restricta sit gratia justificationis ita, ut ad omnes homines, etiam gravissimos peccatores, absolute se non extendat? Non enim possumus probare illud *Smalz. contra Frantz. p. 55. Non nitendum fiducia misericordiæ DEI ulla, nisi ei, qvi ex animo, & qvantum eius fieri potest, perfecte DEO obediens fuerit. Misericordia enim Domini magna, sed super timentibus eum.* Verum *dist.* inter *misericordiam generalem*, qvæ respicit *à priori* peccatores omnes, & inter *specialem*, qvæ respicit à posteriori DEum timentes.

5. (5) Nec agitur de absoluta gratia ratione *modi*, annon DEus *plane*, vel *omnimode*, & sic qvodammodo *absolutè* & *complete* peccata nobis condonet, & sic per hanc omnimodam remissionem peccatorum homines justificet? sic enim *Socinus in c. 5. Matth. p. 10.* scribit: *Misericordia DEI sine dubio est plena peccatorum remissio. Tunc enim DEUS, à qvo misericordia ista ut proficiscatur necesse est, vere mortalium miseretur, qvando illis omnia adversus legem & voluntatem suam admissa delicta* PLANE CONDONAT. Sed hæc gratia potius *perfecta*, qvam absoluta, nuncupatur.

6. (6) Nec qværitur de *absoluta gratia*, ratione *mediorum*, an *gratia DEI sic absoluta sit, ut prorsus omnia media justificationis & remissionis peccatorum*, videl. *verbum* & *sacramenta ex parte DEI*, & *fidem* ex *parte nostri*, prorsus excludat: Licet enim *Sociniani Sacramentis* nihil, *verbo DEI* parū in negotio justificationis tribuant, & fidem justificationis si non prorsus evertant, multis modis tamen pervertant, tamen nō omnia media justificationis simpliciter inficiātur.

7. (7) Nec qværitur de *absoluta gratia*, ratione temporum, an gratia justificationis una sit & eadem ratione *temporum omnium*, an vero restricta sit ad certum tempus? Nam etiamsi *Sociniani* diversam suo modo fingant *justificationem in V. & N. T.* & sic ratione temporum gratiam justificantem restringant, nec eam à temporum intervallis absolutam sincere statuant, tamen ea de re modo neutiqvam in hac controversia disputamus.

8. (8) Sed de eo potissimum qværitur, *An gratia justificans ratione meriti, vel satisfactionis, ita sit absoluta, ut prorsus omnis satisfactio meritoria excludatur?* Hoc enim est, qvod Sociniani contra divinā revela-

revelationem affirmant. Sic enim *Socinus p. 3. de serv. Christ. p.* *330. Nihil fere magis impium excogitari potest, quam sentire, à Deo peccata non remitti, nisi pro illis plene satisfiat.* lib. de justif. p. 11. *Quod ad DEum attinet, nihil DEum movet ad nos pro justis habendos; nihilve, ut tantum bonum conseqvamur, in DEO esse necesse est, præter gratuitam voluntatem, sponteneumq; decretum, in quo nihil nisi seipsum, suamq; bonitatem DEus respicit: Et qvia justi aliter haberi non possumus, qvin à reatu peccatorum nostrorum coram ipso absolvamur, nulla alia ratione, qvod ad ipsum decretum DEI attinet, absolutionem istam conseqvimur, nisi qvod DEus sponte, & plane gratuitò nobis peccata remittit.* p. 3. *DEus pro summa & SOLA sua bonitate olim decrevit omnibus resipiscentibus,* & *in posterum mundanis cupiditatib9 valere jussis sobrie ac pie in præsenti seculo viventibus, omnia peccata condonare* &c: Schmalz. lib de satisfact. p. 155. *Redemtio, passio & mors, sine satisfactione esse non tantum potuit, sed etiam debuit, ob idipsum, qvia summa DEI misericordia in ista redemtione, passione & morte commendatur.*

8. Nos hac vice potissimum ea, juxta scripturæ canonem, examinabimus, qvæ *Socin. instit. brev. Christi Rel. p. 80.* profert: *Unde constat,* qværit p. 79. *DEum à Christo minimè placatum fuisse, sed ipsum prorsus sponte se nobis in illo placatum exhibuisse?* Respondet: (1) *Id satis ex eo constat, qvod nusqvam in sacris literis istius placationis, à Christo factæ, fiat mentio.* ℞. (1) licet non omnes loqvendi modi verbis explicitis in verbo DEI legantur, tamen satis evidentes, & ad mysteria divina cognoscenda sufficientes in eò reperiuntur, unde vulgo distingvi consvevit, inter ea, qvæ κατὰ τὸ ῥητὸν, & qvæ κατὰ τὴν διάνοιαν in verbo DEI traduntur. (2) Ipse *Socinus p. 81.* fatetur, qvod *apud Paulum Apostolum sæpius legatur de reconciliatione per Christum facta:* licet autem hanc phrasin apostolicam omni studio pervertere contendat, tamen ex natura vocum proprie nihil aliud, qvam ejusmodi placationem importat: nam si nostra reconciliatio per Christum facta, seqvitur, qvod DEus nobis in Christo sit placatus, sicut canit Ecclesia: *DEus homo factus est, DEus jam placatus est nobis peccatoribus:* unde juxta scripturam omne beneplacitum DEI in Christo funda-

tur Matt.III.17. Coloss.I. 19. 20. (3) *Scriptura* tota nihil aliud est, qvam *continua placationis* illius *historia*! nam in paradiso cæpit *placationis* illius *revelatio*, qvod semen mulieris caput serpentis contriturum, adeoq; tum omnem culpam, tum pœnam à nobis coram DEO sublaturum sit *Gen.III.15. V.24.* in V. T. variis Sacrificiorum typis hæc *placatio* per Christum facta *præfigurata*: tempore vero N.T. demum *consummata* dicitur, sicut ipse Christus in ara crucis illud *Consummatum* est pronunciavit *Joh. XIX.* 30.

9.(II) *Qvia ibidem I. Joh. IV. 10 legimus, DEum propterea, qvia dilexit nos, Christum in mundū misisse*, ex qvo colligitur, DEum jam dilexisse homines, anteqvam Christum miserit. ℞.(1) argumentum foret tale: Si DEus propterea, qvia dilexit nos, Christum in mundum misit, seqvitur, à Christo minime placatū fuisse, sua prorsus sponte se nobis in illo placatum exhibuisse. At verum prius. Ego. Hic male vel *sejunguntur*, vel *opponuntur*, qvæ *conjunctissima* sunt, & se mutuo respiciunt. Nam *dilectio* & *placatio* non sunt opposita, sed *relata* & *coordinata*. *Sic DEus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qvi credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat* Joh. III. 16. non enim sumus in alio, nisi in dilecto, vel in Christo dilecti *Eph. I. 6. Dist.* igitur inter *dilectionem absolutam* & *relativam*, *dilectio* DEI non est *absoluta* sine *Christo*, sed potius relativa *in Christo*, qvod passim scriptura tradit. (2) Hinc manifesta textus allegati corruptio, qvia locus integer sic habet v. 9. *In hoc apparuit charitas DEI in nobis, qvoniam Filium suum unigenitum misit DEus in mundum, ut vivamus per eum*: ne qvis autem inde *dilectionem absolutam* fingeret, ideo v. 10. manifestam *exegesin* addit. *In hoc est charitas, non qvasi nos dilexerimus DEum, sed qvoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum PROPITIATIONEM PRO PECCATIS NOSTRIS.* Et hoc inculcat *Johannes* in omnibus capitibus; *c.I.7 Sangvis JEsu Christi Filii DEI emundat nos ab omni peccato.* c.II.1. *Si qvis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, JEsum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* c.III.16. *In hoc cogna-*

cognovimus charitatem DEI, qvoniam Christus vitam suam pro nobis posuit &c:

10. (III) *Qvia Luc. I. 78. dicitur, Christum visitasse nos in visceribus misericordiæ DEI, aliaq; complura, ex qvibus aperte colligitur, DEum jam placatum & benevolum erga genus humanum fuisse, anteqvam Christus munus suum obire cœperit.* ℞.(1) *non judicandum de sensu legis, nisi perspecta tota lege*, dicitur vulgo: *Socinus* ergo totum *Zachariæ* canticum in timore Domini perlegere debuisset, sic citra dubium aliud de his verbis judicium tulisset: nam in ipso statim exordio cantici sui declarat, qvalem *visitationem* intelligat. Sic enim Spiritu Sancto plenus v. 67. canticum exorditur: *Benedictus Dominus DEus Israel, qvia VISITAVIT ET FECIT REDEMTIONEM plebi suæ, & erexit CORNU SALUTIS nobis in domo David pueri sui &c*: ex qvibus apparet, qvod *Messiæ visitatio* non sit *nuda revelationis*, vel *prædicationis*, sed *vera redemtionis*, ut non *auro, vel argento, sed precioso sangvine agni immaculati & incontamnati redimeremur I. Pet. I. 19.* qvia *Christus est agnus DEI, qvi tollit peccata mundi Joh. I. 29.* (2) *Dist.* inter *viscera misericordiæ absoluta*, & *relativa*, ad meritum atq; redemtionem, vel satisfactionem Christi relatæ; non de iis *Zacharias*, sed de *his* loqvitur. (3) *Dist.* inter *missionis decretum* & *actum*: dilexit eqvidem DEUS homines ante missionis actum *Joh. III. 16.* sed non ante decretum, nisi cum respectu ad decretum satisfactionis. (4) Hinc etiam dicuntur *viscera misericordiæ DEI NOSTRI*; *DEus noster* autem in sacris literis vel *Immanuel* est, & ipse *Messias*, vel respectu *Messiæ* talis dicitur, cum extra Christum non sit *DEus* & *Pater noster*, sed *inimicus* & *judex noster*.

11. (IV) *Qvia ipse Christi præcursor jam baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum anunciaverat, unde apparet, nihil opus fuisse, ut Christus DEum placaret, ut inde scilicet postmodum existeret DEI decretum de peccatis populo remittendis, ejusve decreti promulgatio.* ℞.(1) Malè *Christus ipse*, & *præcursor ejus* inter se contra scripturam *opponuntur*, qvi semper ad se mutuo *referuntur*, ut ex *vaticiniis prophetarum, concionibus Johannis Baptistæ præcursoris, & aliis testimoniis*, est apertum: nihil *Johannes sui*, sed omnia

Christi nomine fecit, nihil ad *seipsum*, sed ad *Dominum* contra retulit. *Vox clamantis in deserto* fuit: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus ut* Matt. III. 3. Joh. I. 29. *ex Esa. XL. 3.* de semetipso testimonium dicit. Paravit autem Domino viam per ipsum *pœnitentiæ praconium, baptismi pœnitentialis usum, & remissionis peccatorum beneficium*, ut exponit Angelus *Luc. I. 15. seqq. Erit puer hic magnus coram Domino, & multos filiorum Israel convertet ad Dominum DEum ipsorum, & ipse præcedet ante illum* (Messiam) *in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum PARARE DOMINO plebem perfectam*: & Pater *Zacharias* v. 76. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, PARARE VIAS EJUS, ad dandum scientiam salutis plebi ejus in remissione peccatorum.* (2) Sicut in V. T. DEUS *intuitu Messiæ* peccata remisit *Esa. XLIII. 25.* & per sacrificiorum typos Israelitis sub umbra obtulit, ita qvoq; *Johannes baptista* cunctos ad *Messiam* remisit, & ejus nomine peccatorum remissionem annunciavit, sicut ipse DEus Pater cœlitus in baptismo Messiæ testatus est, qvod in hoc sit omne beneplacitum ejus *Matt. III. 17.* (3) Rursus confundit *Socinus decretum æternum, & decreti temporalem eventum*, vel *executionis modum*: non *DEI decretum* demum post *Johannem* & actualem placationis consummationem factum est, sed extitit ab æterno, verum *œconomia temporalis executionis*, juxta DEI sapientiam arcanam, hunc ordinem exigebat.

12, (V) *Qvia Christus ipse, cum ad se pertinere confirmat Luc. IV. 21. vaticinationem illam Esa. LXI. 1. in ipso initio manifeste nos docet, sui muneris non fuisse, DEum ulla ratione placare, ut sic videlicet remissionem peccatorum conseqvi nos possemus, sed contra, in ipso sui muneris obeundi initio, captivis remissionem & annum acceptum Domini, id est Jehovæ DEI prædicare.* Rx. [1] *unius positio, non est alterius remissio.* Christus & *officium propheticum* & *pontificium* gessit: ratione *pontificii muneris* noster *sacerdos* fuit non tantum, sed etiam nostrum *sacrificium*, qvia semetipsum pro nostris peccatis obtulit, ut esset propitiatio pro peccatis nostris *I. Joh. II. 2.* sed ratione *prophetici muneris præco* tanti beneficii fuit,

&.

& ipse pœnitentiam atq; remissionem peccatorum prædicavit *Matt. IV.17. Luc. XXIV.47.* [2] In ipsis verbis *vaticinii* non tantum ut *nuncius*, sed etiam ut *medicus* introducitur, qvia testatur, se missum esse, *sanare contritos corde:* sanat autem & mundat suo *sangvine I. Joh. I.7.* [3] Et certè hic *annus acceptus Domini* prædicari, vel anunciari non potuisset, nisi *Dominus placatus* fuisset: non potuisset verò placari, nisi justitiæ satis factum fuisset. Hinc [4] omnia verba vaticinii illius *secundum substratam materiam* intelligenda veniunt, hoc sensu, nimirum ut salutis nuncium ad salutis meritum referretur, & inde remissionis peccatorum præconium deduceretur, atq; sic ex officio sacerdotali propheticum munus penderet. *Non entis* enim alias *nulla* debet fieri *prædicatio* vel *promulgatio*.

13 (VI) *Qvia nihil aliud erat Marc. I.14. Evangelium regni DEI prædicare, qvod statim cum docere incepit, Christus. Hinc in prædicatione regni cœlorum, non in placatione DEI Christi munus consistit.* ℞. (1) hæc intelligenda sunt de *officio prophetico*, respectu cujus *præco regni cœlorum* fuit, non respectu *muneris sacerdotalis*, respectu cujus *placationem* nostram præstitit. Male proinde nunc iterum *opponuntur*, qvæ vel *subordinata*, vel *coordinata* esse dicuntur. (2) *Marcus* hæc de Christo refert, cum, *v. 11.* solennem Patris de Christo testificationem è cœlis datam, recitasset: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui, ἐν ᾧ εὐδόκησα, in qvo complacui*, ut ipse sit *fundamentum omnis complacentiæ*, & qvidem talis, qvæ fiat per *reconciliationem in sangvine*, sicut Spiritus S. hanc Patris in Christo complacentiam *Col. I. 19. 20.* exponit: *in ipso* (Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sangvinem crucis ejus per ipsum, sive qvæ in terris, sive qvæ in cœlis sunt.* (3) *dist.* inter *præconii pœnitentialis complementum*, & inter *ejus fundamentum:* de *illo Marcus* verba facit, sed hoc ex officio Christi mediatorio & meritorio præsupponit.

13. (VII) *Qvia Christus ad prædicationem remissionis peccatorum iis, qvi pœnitentiam egissent, se missum esse, testatus est, Luc. IV. 43,* ℞.


(1) *unius affirmatio non est alterius negatio*: qvando Christus testatus est, *se missum esse ad prædicationem remissionis peccatorum*, non negavit, *se constitutum esse Mediatorem ad placandum iratum DEum.* (2) Ex hoc præconio pœnitentiali remissionis peccatorum nostra potius sententia confirmatur, qvia propter infinitam justitiam Deus peccata remittere noluisset, nisi satisfactum eidem fuisset: Christus autem, tanqvam *Mediator*, omnium optime remissionem peccatorum annunciare potuit. (3) Christus l. d. testatur, *oportet me evangelizare regnum DEI, qvia ideò missus sum*, sed non dicit, oportet me *tantum* evangelizare, vel ideo *tantum* missus sum, ut evangelizarem regnum DEI, vel ideo *non missus sum*, ut DEUM placarem, & genus humanum à peccato liberarem. (4) ut verò Christus h.l. *missus* dicitur ad *evangelizandum*, sic alibi dicitur *missus ad salvandum Ioh. VII. 17. Non misit DEus Filium in mundum, ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum: ad redimendum Gal. IV. 4.* qvia *DEus in plenitudine tempore misit Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qvi sub lege erant, redimeret, & nos adoptionem filiorum DEI conseqveremur.*

14. (IIX) *Qvia pœnitentiam à Christo prædicatam statim ab initio fuisse, diserte Evangelistæ testantur Matt. IV. 17. Marc. I. 17.* ℞. (1) ut Evangelistæ testantur *ab initio* Christum pœnitentiam prædicasse, sic *in fine* Christum passum esse, non pro peccatis propriis, qvæ nulla fuerunt in ipso *Ioh. IIX. 46.* sed *pro populo c. XI. 50.* Nec igitur *initium fini*, nec *finis initio* dicitur opponendus, sed potius *initium cum fine*, & *finem cum initio* conferre oportet. (2) Evangelistæ pariter *ab initio* testantur de *salute per Christum reparata Matt. I. 21.* qvod ejus nomen *IEsus* vocari debeat, qvia *populum suum salvat à peccatis suis c. III. 15. Sic oportet nos omnem justitiam implere v. 17. Hic est filius meus dilectus, in qvo mihi complacui &c. Marc. I. 11. Tu es filius meus dilectus*, inqvit cœlestis Pater, *in quo complacui Luc. I 46.* inqvit Maria: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo.* Zacharias v. 26. *Benedictus Dominus DEus Israël, qvia visitavit & FECIT REDEMTIONEM plebi suæ, erexit cornu SALUTIS nobis in Domo David, pueri sui*: c. II. 10. Angelus præco nativi-

nativitatis: *Annuncio vobis gaudium magnum, qvod erit omni populo, qvia natus est vobis hodie SALVATOR, qvi est Christus Dominus in civitate David.* Chorus militiæ cœlestis de hoc puero canit. *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax, hominibus beneplacitum* v. 14. Simeon v. 29. *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, qvia viderunt oculi mei SALUTARE TUUM, qvod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Hanna v. 38. *confitebatur Domino, & loqvebatur de illo omnibus, qvi expectabant REDEMTIONEM Ierusalem.* Joh. I. 4. dicitur *vita & lux hominum* v. 8. *lux vera, qvæ illuminat omnem hominem venientem in mundum* v. 14. *plenus gratiæ & veritatis* v. 17. *qvod gratia & veritas per Christum facta sit* v. 29. *qvod sit agnus DEI, qvi tollit peccata mundi &c:* Et sic in exordiis Evangelistarum pro nostra sententia multa satis argumenta cumulari possent.

15. (IX) *Qvia qvando Paulus Apostolus sæpius agit de reconciliatione per Christum facta, illud nihil aliud est, qvam qvod DEus per Christum nos reconciliaverit 2. Cor. 5. 21. qvemadmodum ipse Paulus loqvitur, nec usqvam legitur, Christũ nobis DEum reconciliasse. Unde apparet, hanc per Christum factam reconciliationem nihil aliud fuisse, qvam nos, qvi DEI inimici, ut idem Paulus ait Rom. V. 10. adhuc eramus, eo adducere, ut DEI amici esse vellemus, id est, ab eo offendendo desistere, & sic oblatum nobis ab ipso DEO peccatorum remissionem adipisci, & in ejusdem gratiam recipi* R. [1] Sive dicatur, qvod *DEus per Christum nos reconciliaverit*, sive qvod *Christus DEum nobis reconciliarit*, in hoc certe mysterio nihil diversitatis infert, cum *ex parte DEI* propter peccatum *offensi*, & ex parte *hominis offendentis* reconciliatio talis necessaria fuerit, si de *reipsa* sermo fiat, licet ratione *modi* processus aliter instituendus veniat, nimirum ut inter partem offensam & offendentem reconciliatio fiat, illud omnino necessum, si prorsus inimicitia tollenda sit: non igitur Spiritui Sancto, vel sapientiæ divinæ præscribere, qvomodo mysteria regni cœlorum exponenda sint, nostri muneris est, sed grata mente potius in modo revelationis acqvi-

acqviescere debemus. [2] Scriptura gravi consilio loqvitur ita, qvod *nos DEO reconciliati simus*, non autem *nobis DEus reconciliatus sit*, qvia non est *offensæ partis ad* reconciliationem se variis mediis accommodare, sed potius *offendentis partis*: nam reconciliationis *votum*, *initium*, & alia, merito fiunt ratione *partis offendentis*: sicut Christus in humanis etiam casibus & offensis fratrem lædentem fratri læso reconciliari præcipit *Mat. V. 23.* unde rectissime *denominatio reconciliationis* fit ab *offendente* parte, cum nulla sit causa, qvare *pars offensa* præter jus & æqvum reconciliationem postulare, impetrare, tentare, & onus *denominationis* portare debeat, præsertim si *pars offensa* prorsus omnis culpæ sit expers, qvod omnino de DEO propter peccata nostra graviter offenso dicendum est: non enim DEus offendit hominem, sed homo potius offendit DEum, & qvidem nulla prorsus culpa DEO potest imputari, unde nec scriptura *denominationem reconciliationis ex parte DEI* potissimum instituere voluit, licet nec ex *parte DEI* talem negaverit. [3] Cum igitur *pars offendens* reconciliationem tentare debeat, ex parte verò *nostri* nec voluntas, nec facultas, multo minus activitas reconciliandi possibilis fuerit, ideò *Mediator* has partes suscepit, & nos, videl. peccatores, DEO reconciliavit, imò DEus per infinitam misericordiam non tantum hanc reconciliationem permisit, sed etiam voluit, & per Christum promovit, ita qvidem ut cum adhuc inimici DEI essemus, nos DEO reconciliati simus, sicut inqvit Paulus *II. Cor. V. 17. seqq. Ecce facta sunt omnia nova: omnia autem ex DEO, qvi NOS reconciliavit, sibi per JEsum Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: qvoniam qvidem DEus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.* [4] Falsum autem, qvod in nobis reconciliandi voluntas extiterit, aut ita simpliciter esse potuerit, si nullum reconciliationis fundamentum adsit, in qvo pars offensa acqviescere, & reconciliationem admittere possit.



QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo IV.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS.
DE
JUSTIFICATIONE.

Disp. IX. Resp. MICHAEL PAWLOWITZ, Turocenô-Hungarus.

QVÆSTIO TERTIA.
Num justitia divina λύτρον satisfactionis reqvisiverit pro totius humani generis peccatis?

I.

Circa *qvæstionem* ipsam primum omnium certas qvasdam *Hypotheses* præmittimus (1) qvod *primi homines revera peccaverint*, & legem divinam, sub mortis comminatione propositam, transgressi sint, id qvod ipse *lapsus protoplastorum* abunde satis attestatur, præter alia, qvæ sæpius in sacris literis inculcantur fundamenta.

2. (2) Qvod *lapsus protoplastorum* non tantum *personale peccatum* fuerit, & primos tantum parentes, instar *vitii moralis*, extrinsecus affecerit, sed qvod potius *totam protoplastorum naturam corruperit*, & à parentibus primis *in posteros*, mediante corrupta natura, *transferit*, secus atq; docent de utroq; *Sociniani*: nam qvoad *prius* in Catech. Racov. c.10. p. 250. scribunt: *Lapsus Adæ cum unus actus fuerit, vim eam, quæ depravare ipsam naturam Adami posset, habere non potuit*: qvoad *posterius Socin.* in lib. svasor. cap. 5. p. 57. inqvit *Pronitas ad peccandum, quæ in homine conspicitur, sicut ab ipsa prima creatione ortum non habet (nam ut dictum est, Salomone teste, DEus fecit hominem rectum) sic neq; à primo illo peccato, sive ab uno illo primi hominis peccandi actu statim exorta est, sed, continuatis post peccatum illud aliis peccandi actibus, peccandi habitum paulatim homines contraxerunt, seq; ipsi corruperunt. & sic corruptionis istius semina per propagationem ad posteros transmiserunt.*

3. (3) Qvod ex hoc *lapsu protoplastorum* omnes homines facti sint *natura filii iræ Eph. II. 3.* ubi notandum, qvod homines non *active*, sed *passivè*, dicantur *Filii iræ*, non qvod *ipsi DEO irascantur*,

ſed qvod potius DEUS *ipſis*, ut peccatoribus *iraſcatur.* Gloſſam eqvidem hanc affert *Socinus*, *nos perhiberi Filios iræ*, *non qvod DEus nobis iratus ſit*, *ſed qvod nos iraſcamur* DEO: ſed reſpectu noſtri verè valet illud vulgatum: *vana eſt ſine viribus ira*: & hæc gloſſa nec *textui*, nec *fidei* dicitur analoga, multisq; pariter *abſurdis* obvia, qvæ nunc adducere non placet: hoc ſaltem urgemus ex *ſcripturæ phraſeologia*: ſicut *Filius mortis*, aut *vir mortis* dicitur, non qvi alterum morti adjudicat, ſed qvi ſupplicio mortis adjudicatur, prout inqvit *Nathan Davidi II. Sam. XII. 5. Vivit Dominus, qvoniam Filius mortis eſt vir*, *qvi fecit hoc*: ſic etiam *Filius iræ* dicitur non, qvi *alteri iraſcitur*, ſed qvi *dignum alterius ira ſe præſtat*: qva ratione *filii iræ* dicuntur, qvibus DEus graviter ab peccatum iraſcitur.

4. (4) Qvod homines in peccato propter *iram* DEI *morti fuerint obnoxii*, & *perire* neceſſum habuerint, idq; propter lapſum protoplaſtorum, & qvia de peccato per corruptam generationem participarunt, ſecus atq; ſtatuunt *Sociniani*. Nam *Socin.* de ſervat. Chriſt. l. 3. c. 8: p. 40. ſcribit: *Tametſi omnes ab Adamo prognati, morti perpetuæ ſunt obnoxii, id non ideò fit, qvod ipſis Adami delictum imputetur; ſed qvia ab eo progeniti ſunt, qvi morti perpetuæ divino decreto fuit addictus, & ita non propter peccati imputationem, ſed propter generis propagationem, id illis contigit*: hanc tamen propagationem minime corruptam, & peccato commaculatam, fingunt, ſicut ſcribit *Smalz.* contr. Franz. p. 45. *Non negamus, propter ipſam propagationem, qvam omnes habent ex Adamo, eos etiam morti æternæ obnoxios, etiamſi non peccarint*: qvod directe verbis Apoſtoli contrariatur *Rom. V. 12. Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ſic mors in omnes homines pertranſiit, in qvo omnes peccaverunt.* De *poſteriori Socinus* inqvit de ſtat. prim. hom. contr. Pucc. p. 287. *Qvomodo ſine propria culpa perire potuit humanum genus, qvod ne perire qvidem potuit, cum adhuc non eſſet.* Et paulò poſt: *Fateor, poſſe qvodammodo dici, periiſſe univerſum humanum genus, cum Adamus propter peccatum periit. Sed certè tamen non periit, cum verè nondum eſſet, qvare nec ulla injuria ei fieri potuit.*

5. (5) Qvod *juſtitiæ divinæ* peccatum maximè ſit contrarium: nam qvod *juſtum* eſt, illud ἔννομον, & legi divinæ conſen-

taneum, sed qvod *injustum*, illud ἄνομον, & legi divinæ contrarium, cum lex divinæ justitiæ regulæ regula sit: jam autem ἡ ἁμαρτία ἡ ἀνομία, peccatum est, qvod legi divinæ, vel justitiæ contrarium est: adeoq; DEus justus, ut juste peccatis irascitur, sic etiam justè peccata punire dicitur, nec potest impunita peccata dimittere: notamus igitur iterum *Socinianorum* errorem apud *Socin*. de servat. Christ. part. 3. c. 1. p. *227*. *Falsum est, necesse esse, si DEus justus futurus sit, ut delinqventium peccata exacte puniat: qvia scilicet justitia omnino reqvirat, ut suum cuiq; tribuatur, delinqventibus autem punitio debeatur.* It. p. 224. *Nulla in* DEO *est justitia, qvæ omnino peccatum punire debere dictitet.*

6. (6) Hinc deniq; seqvitur, qvod omnino satisfactio pro totius humani generis peccatis necessaria fuerit ob infinitam DEI justitiam, & qvod hæc justitia λύτρον satisfactionis jure reqvisiverit, nec salva justitia jure suo renunciare potuerit, qvod universa testatur scriptura, fidei Christi analogia, & communis Ecclesiæ, vel orthodoxorum Doctorum, harmonia, secus atq; docent *Sociniani*. *Nihil est*, inqvit *Socin*. p. 3. de servat. Christ. c. 1. p. 224. *propter qvod DEus libere, cui velit, nulla satisfactione accepta, peccata jure condonare non possit.* Et iterum l. d. *Nulla in* DEO *est justitia, qvæ omnino peccatum punire debere dictitet, & cui ipse renunciare non possit.*

7. Ut autem eo propius ad præsentem causam accedamus, circa *controversiæ statum* qvædam observamus (1) Qvod hic non qværatur, *An DEus aliter, qvam citra satisfactionem, vel etiam citra Christi satisfactionem, homines peccatores liberare, vel dimittere potuerit?* De hoc respondet *August*. lib. de Agon. Christi c. 11. *Stulti sunt, qvi dicunt, non poterat aliter sapientia DEI homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Qvibus dicimus, poterat omninò, sed si aliter fieret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.* Et iterum l. 13. de Trinit. c. 10. *Eos, qvi dicunt, itane defuit modus alius, qvo liberaret homines à miseria mortalitatis hujus, ut unigenitum Filium DEI, sibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam, & carnem, mortalemq; factum mortem perpeti, parum est, sic refellere, ut istum modum, qvo mox per Mediatorem* DEI *& Dominum Iesum Christum DEus liberare dignatus, auferamus bonum, &*

divinæ congruum dignitati: verum etiam ut ostendamus, non alium modum possibilem DEO defuisse, cujus potestati cuncta æqvaliter subjacent, sed nostræ miseriæ sanandæ convenientiorem alium non fuisse, nec esse oportuisse? Non hic de *potentia*, sed de *justitia* DEI soliciti sumus; & monendum hic esse ducimus, qvod *potentia DEI* non *absolute*, vel ratione *juris absoluti*, vel ratione *facti absoluti*, sit consideranda, sed potius, qvalis illa sit, ad reliqva DEI attributa relata, cum certum sit, DEum non tantum esse *infinite potentem*, sed pariter *infinitè justum* esse dicendum. Jam posse *non justum*, non est *potentiæ*, sed *impotentiæ* dicitur Unde minime probare possumus *Fausti Socini* sententiam l. 3. de Serv. Christi, p. 1. c. 1. p. 11. POTUISSET *DEus, & qvidem* IURE *homines, licet* PECCANTES, *morti æternæ non mancipare: postqvam autem eos morti mancipavit, ex illius imperio eximere, & qvidem* IURE, *sua* SOLA VOLUNTATE *potest.*

8. (2) Non etiam qværitur, *an DEus ex infinita misericordia peccatoribus absolute tum culpam, tum pænam remittere voluerit?* Hæc eqvidem *Socinianorum* itidem est sententia, sed hoc loco *formaliter* illam non attendimus, qvam tamen *materialiter* non excludimus. Sic enim *Socin.* d. l. p. 3. c. 2. p. 236. *Si modo pænitentia adsit, DEum pro ingenti bonitate sua nulla vera satisfactione accepta, nobis peccata remittere* VOLUISSE *in novo fœdere, qvod nobiscum per Christum percutere dignatus est, constanter affirmo, & nunc potissimum contendo. Qvomodo enim propitius fuisset DEus iniqvitatibus nostris, si cum eas nobis, nulla satisfactione interveniente, remittere posset, pro ipsis sibi plenissime satisfieri curasset? aut qvomodo peccatorum nostrorum non recordatus fuisset, si ab humana natura in Christo, ipsorum omnium tam rigidè & exactè pænas repetiisset? Vel potius, qvid mirum est, eum iniqvitates nostras nobis imputare, & peccatorum nostrorum non amplius recordari, si jam ei uberrimè satisfactum pro sceleribus nostris fuit, & jam eorum ita recordatus est, ut ne minimum qvidem impunitum reliqverit? Qvænam hæc est ipsius, qvam tantopere prædicat, munificentia ac liberalitas, si de jure suo ne tantillum qvidem remittere voluit? Verum absolutam* ejusmodi *misericordiam* in salutis nostræ negotio prorsus ignorat scriptura, qvia *sic dilexit DEus mundum, ut filium suum unigenitum daret Ioh. III. 16.* & *dilecti sumus non nisi in dilecto Eph. I. 6.* DEus ut *infinite misericors* est, sic etiam *infi-*

infinite justus, nec qvicqvam misericordiæ DEI tribuendum, qvod infinitam ejus justitiam vel invertere, vel prorsus evertere possit.

9. (3) Nec qværitur de *justitia dispensatrice, Num DEus in certis qvibusdam casibus specialibus nonnunqvam vel ex misericordiæ affectu, vel ex æqvitatis studio dispensaverit*, & à peccatoribus non adeò scrupulosè vel rigorosè singula reqvisiverit? Hoc enim suo modo non inficiamur, cum talia dispensationum exempla non raro sacris in literis inveniantur; qvemadmodum dispensavit in *polygamia veterum*, circa primam conjugii legem, in lege *circumcisionis*, qvamdiu fuerunt *Israëlitæ* in deserto &c: Nam hæ leges speciales fuerunt, adeoq; specialem dispensationem admittere potuerunt: & hic, qvando DEum non ut *benevolum Patrem*, sed ut *iratum judicem* consideramus, nihil dispensationis ab eodem expectare possumus. Lapsus enim protoplastorum non adeò leve peccatillum est, ut facilem admittat *dispensationem*, nec in *legem* aliqvam *humanam*, sed *divinam*, non *partialem*, sed *totalem*, non *specialem*, sed *generalem*, non aliqvo modo, sed omni modo deliqvit, dum *apostasia* turpissima peccator à DEO defecit, totamq; naturam suam corrupit, imaginem DEI pulcherrimam amisit, & abominabilem Diaboli larvam admisit, & ipsam DEitatem rapere constituit, adeoq; propter horrendam & detestabilem sui conditionem & abominationem, nullius dispensationis immediatæ capax esse potuit; cum ea dispensatio sit prorsus admirabilis, & nunqvam digne satis vel æstimari, vel prædicari possit, qvod DEus nobis miseris peccatoribus alium, nim. Filium suum unigenitum surrogaverit, qvam *surrogationem* ipse Crellius de satisfact. resp. ad c. 9. part. 1. p. 451. sic explicat, qvod *subrogatio hæc, de qva agimus, nihil sit aliud, qvam substitutio unius in locum alterius. Et cum ad personas restringitur, commutatio est personæ, re aut statu, sive loco, in qvem persona altera reponitur manente eodem. Hoc si ad perpessiones transferatur, is dicetur pro altero subrogatus, qvi id, qvod alteri ferendum erat, ipse sustinet, altero interea ab illa perpessione liberato.* Addit insuper, *hoc ipsum significare solere, cum qvis vice, aut loco alterius, qvippiam perpessus dicitur, & sic hoc significatu dicatur, Christum pro nobis subrogatum*, aut vice & loco nostri passum, *Socino vere contradici*: neq; minor

 est

est in eo *dispensatio*, qvod DEus nostram in Christum *culpam* & *pœnam* transtulit, ut vere dicatur *agnus, qvi tollit peccata mundi Ioh.I.29.* in qvem *DEus omnium nostrum iniqvitates conjecerit Esa. LIII.5.* imò *peccatum* ipsum fecerit *II. Cor. V. 20.* ita ut vere dicatur *mortuus peccato Rom.VI.20. pro peccatis Rom. IIX. 3. I. Cor. XV. 3. Hebr.X.25. & propter peccata nostra Esa. LIII.5.* adeoq; multum *dispensationis* etiam in eo reperitur, qvod Christus pœnas pro nobis exsolvit, dum pœnas, omnibus omnium hominum peccatis promeritas, sustinuit, & nos ab illis liberavit: & deniq; multum *dispensationis* in *acceptilatione satisfactionis Christi pro nobis* invenitur, si nim. *acceptilatio* non sensu *judiciali*, sed *vulgari*, vel non *juridico*, sed *generali* & *grammatico*, sumatur: nam alias hanc *acceptilationem* exagitat *Socinus* part. 4. de Serv. Christ. c. 2. inqviens: *Qvomodo potest unqvam acceptum ferri id, qvod revera solvitur. Qvid aliud apud ICTOS, unde hæc loqvendi formula sumta videtur, Acceptum ferre significat, qvam pro soluto habere, licet vere solutum non sit? Qvid aliud est acceptilatio, qvam per sola verba obligationis liberatio?* Et porrò; *Satis est in acceptilatione per sola verba debitorem liberare. Qvod si vel ipse, vel alius pro eo revera solvat, acceptilationi nullus est locus.* Verum *acceptilatio* qvidem in *jure*, aptatur ad *jus crediti*, non ad *pœnas*: sed h.l. *generaliter*, vel secundum alios *impropriè* sumitur, & nihil aliud significatur, qvam imputari nobis satisfactionem Christi, & perinde nostris adscribi rationibus, ac si nos ipsi eandem præstitissemus: qvomodo certe non pugnat illa acceptilatio, si nim. hoc sensu supponatur, cum solutione, vel satisfactione. Qvod si enim alius pro alio solvat, eaq; solutio per creditorem admittatur, & rationibus ejus, qvi solvere tenebatur, transscribatur, non adeo convenienter id, qvod solutum est alteri, acceptum ferri ei, pro qvo solutum est. Unde *Socinus* l.d. id etiam fateri cogitur, dum inqvit: *Potest alicui acceptum ferri, si non propria, saltem impropria significatione, qvod alius solvit.*

10. (4) Nec qværitur de *immediata reqvisitione satisfactionis, Num DEus simpliciter ab homine peccatore satisfactionem propriam & immediatam ita reqvisiverit, ut ipse DEO satisfacere debuerit, non autem satisfactionem ab alio præstitam admittere, vel respicere potuerit? Injustum*

ſtum & immane eſt, ſcribit *Socin.* part. 3. de Serv Chriſt. cap. 3. p. 251. *qvod ne homines qvidem, qvantumvis barbari & truculenti faciunt, de innocentibus nocentium loco, ipſis nocentibus ſponte dimiſſis, pœnas ſumere. Atqvi DEus injuſtus & immanis non eſt. Ergo à Chriſto innocente noſtro loco pœnas non ſumſit*, ſed potius tales à peccatoribus ipſis reqviſivit: cumprimis qvia urget hoc, *nulla lege, aut conſvetudine receptum unqvam fuiſſe, ut unus pro altero, alterius qvaſi vice & loco moreretur, nec etiam mortem unius alterius mortem effici poſſe.*

11. (5) Sed agitur hic de *juſtitia* DEI *infinita*, eaq; *vindicatrice*, qvæ certe nec in peccatis acqvieſcere, nec peccatores impunitos dimittere, nec citra ſatisfactionem aliqvam, cujuscunq; tandem illa fuerit, veniam peccatorum concedere vel potuit, vel debuit, ſive voluit. Non *voluit*, qvia ſic injuſtitiæ, non juſtitiæ ſtuduiſſet: non *debuit*, qvia rationi propriæ defuiſſet, & juri ſuo derogaſſet; non *potuit*, qvia non potentiæ, ſed impotentiæ potius illud fuiſſet. Unde merito, juxta ſcripturam cannonicam, fidem catholicam, & communem Doctorum conſenſum, aſſerimus, qvod juſtitia divina λύτρον ſatisfactionis, vel ipſam ſatisfactionem, pro totius humani generis peccatis reqviſiverit.

12. Ipſe *Socinus* hic adverſum tenet paſſim in ſcriptis ſuis, hac vice differentem eum audiemus ex *Inſtit. breviſſ. Chriſt. Relig.* p. 76. ubi qværit: *Numqvid juſtitia divina non reqvirit, ut omnino peccata noſtra puniantur, vel ſit, qvi pro ipſis ſatisfaciat? Imò*, reſpondet, *nulli homini cordato & pio iſtud in mentem venire unqvam deberet.* Verum omnis *ſcriptura* nobis exempla virorum piorum & cordatorum, i.e. Patriarcharum, Prophetarum, Evangeliſtarum & Apoſtolorum, ac aliorum religioſorum virorum, ſuppeditat, qvibus illud in mentem venit, qvia ſalutaris hæc doctrina per ſancti Spiritus illuminationem ipſis revelata, mentibus ipſorum inſpirata, & impulſu Spiritus literarum monumentis conſignata fuit. Tota *hiſtoria Eccleſiaſtica* talia nobis exempla ſuggerit: *Eccleſia Catholica* non alios in ſui conſortium admittit. Et ipſe *Socinus* infinitam eorum multitudinem optime novit, qvibus hoc ex divina revelatione, vel ſcripturis ſacris, in mentem venit, & hoc non obſtante tam

te tam audacter pronunciare audet, qvod hoc nulli prorsus cordatorum & piorum in mentem venire possit, aut potius debeat.

13. Ne qvid autem gratis asseruisse videretur, verbis paucis rationes multas, & non ab hominibus, sed ab ipso DEO petitas, primo loco statim urgere voluit, ut hanc causam suspectam eò plausibiliori prætextu rudioribus, vel incautioribus obtruderet; hinc sententiam suam probare conatur (1) *ex DEI potentia*, qvia *hoc potentiæ DEI aperte & plurimum derogaret*: unde p. 3. de Serv. Christ. c. 1. p. 224. scribit: *Nihil est, propter qvod DEus libere, cui velit, nulla satisfactione accepta, peccata IURE CONDONARE NON POSSIT.* Et alibi non rarò DEum impotentiæ postulat, si tale qvid præstare non valeat. ℞. (1) *Potentia* vere *infinita* DEO tribuenda venit. & *ratione objecti*, qvia nullum Ens, qvod Entitatis, bonitatis & perfectionis rationem habere potest, hic excipitur, sed in universum Ens omne potentiæ divinæ subjicitur; & *ratione modi*, qvia DEus infinite prorsus agere potest, super omnem nostrum conceptum & intellectum; & *ratione scopi*, qvia DEus admirando modo potest universa non tantum, sed & singula tam gloriose dirigere, ut ex omnibus omnia possit elicere, imò non tantum bona, sed etiam mala sic ordinare novit, ut bonum ex iis finem eliciat: interim non dicitur *infinita*, ratione *contradictionis immediatæ*, qvasi semetipsum *Non-DEum* facere qveat: vel ratione *contradictionis materialis*, qvasi *Non-Entia* qvoq; pura, vel simpliciter talia, sibi pro certis objectis vendicet: *Non-Entia* siqvidē sunt & manent *non-objecta*, adeoq; nec potentiæ divinæ vel objiciuntur, vel subjiciuntur: neqve ratione *contradictionis formalis*, qvasi DEus etiam circa *mala*, *qva talia*, sua potentia versari possit, cum *mala*, *qva talia*, sint potius *defectus*, qvam *effectus*, potius *privationes*, qvam *effectiones*, vel *positiones*, potius *impotentiam*, qvam *potentiam*, respiciant: ratione *contradictionis collateralis*, qvasi *DEI potentia* sic *infinita* dici qveat, ac si possit omnia, qvæ *reliqvis attributis* sint *contradictoria*, & contraveniant *DEI sanctitati*, *justitiæ*, *perfectioni*, *veritati &c*: nam qvæ *contradictoria* sunt *horum attributorum*, ipsius *DEI contradictoria*, sunt, cum *materialiter* hæc attributa sint ipsa *DEI essentia*. (2) *Dist.* inter *absolutam potentiam ad extra*, qva DEUS

omnia

omnia Entia dicitur extra se posse, & inter *absolutam potentiam ad intra*, qvæ certe non concedenda, cum ipsa DEI attributa sint inter se conferenda, non autem sibi mutuo per qvandam eversionem opponenda. (3) *Dist.* inter *judicium rationis* & *fidei*: *ratio* qvidem, cum ignoret *peccati* nostri *magnitudinem* atq; *turpitudinem*, & *pœnarum multitudinem* ac *æternitatem*, impetu cœco judicat, DEum talia posse: sed *fides*, qvæ juxta scripturam in timore Domini hæc omnia considerat, ac œconomiam divinorum consiliorum accuratè ponderat, talem potentiam DEO non affingit, sed in DEI revelatione lubens acqviescit. (4) Accedit huc, qvod hoc argumentum ex *analogia Magistratuum Politicorum* urgeatur, qvod illi contra leges dispensare possint; adeoqve multo magis DEO dispensandi, vel absolute remittendi peccatum potentia sit concedenda, cum tamen dispensatio, vel relaxatio pœnarum, Magistratui politico non *in totum*, sed *in tantum*, ratione *legum mutabilium*, non *immutabilium* tribuatur, aut plerumqve non *de jure* concedatur, sed, *de facto* potius assumatur.

14. (II) *Qvia pariter auctoritati DEI apertè & plurimum derogatur*: nimirum qvia juxta *Socinianos jus absolutissimum* DEO contra *scripturam*, & DEI *naturam affingitur*, sicut scribit *Socin. p. 1. de Serv. Christ. c. 1. p. 11. Potuisset DEus, & qvidem IURE, homines licet peccantes, morti æternæ non mancipare: postqvam autem eos morti mancipavit, ex illius imperio eximere, & qvidem IURE, sua SOLA VOLUNTATE potest: & Volckel. l. 2. de Ver. Relig. c. 12. p. 23. vehementer eos errare, qvi putant, sacrificia illa DEO pro peccatis satisfecisse. Nam nec remissio peccatorum cum vera satisfactione consistere, nec Deo qvippiam revera dari ac solvi pro peccatis potest: cum omnia sint ipsius IURE DOMINII ABSOLUTI. Vid. Psal. L. 8. seqq.* R. (1) *auctoritas* DEO competit (a) *essentialis*, qvæ DEO, tanqvam *Enti summo per se*, vel etiam ratione *sui*, competit, *qva DEus est*, (b) *causalis*, qvæ DEO, tanqvam *causæ summæ*, vel *autori primo*, ratione creationis, vel omnium creaturarum competit, *qua creator est*, (c) *legalis*, qvæ DEO, tanqvam *summo legislatori*, *vel Domino* competit ratione gubernationis, qvatenus ut *supremus Dominus* omnes creaturas gubernat, & ad justitiæ leges cumprimis homines revocat, eosq; præceptis suis obligat.

 (d) obe-

(d) obedientialis, vel *reverentialis*, qvæ DEO competit, ut *supremo Numini*, qvod religiose variis honoribus divinis colendum est. *(e) judicialis*, qvæ DEO competit, ut supremo judici, qvatenus judicare dicitur universam terram: sed hæc *auctoritatis* divinæ vel elogia, vel genera, neutiqvam sacris literis, vel etiam mysteriis divinis aut ejus attributis, justitiæ cumprimis, opponenda. (2) DEO competit *jus absolutum*, vel *dominium*, qvod universa *jura, leges*, vel etiam *dominia*, hominum transcendat, sed qvod vel *DEI veritati*, vel ejus *sanctitati*, vel *ejus justitiæ* contrarietur, neutiqvam ei tribui debet: posse autem JURE homines peccantes æternæ morti non mancipare, & qvidem citra satisfactionem, contrariatur *DEI veritati*, qvia dictum erat *Gen. II. 17. qvocunq; die comederis ex arbore scientiæ boni & mali, morte morieris*: *Sanctitati*, cui peccatum omne prorsus contrarium; *justitiæ*, qvæ non potest peccata non punire. (3) *Psal. L. 5.* agitur de *jure absoluto*, respectu *creaturarum*, non agitur de *jure absoluto*, respectu *divinorum attributorum*, sicut ex circumstantiis textus apertum.

15. (III) *Qvia bonitati & misericordiæ DEI aperte ac plurimum derogaret*. Sic enim *Socinus* inqvit *p. 3. de Serv. Christ. c. 2. p. 230. nihil ferè magis impium excogitari potest, qvam sentire, à DEO peccata non remitti, nisi pro illis plene satisfiat*, & p. 235. *Nisi velimus, Deum eo tempore, qvod in divinis literis gratiæ & benignitatis appellatur, restrictiorem fuisse, qvam eo, qvod præ illo severitatis atq; iræ appellari potest: concludendum prorsus videtur, in salute nobis, divina providentia per Christum parta, nullam veram pro delictis nostris satisfactionem à qvoqvam accipere DEum voluisse, sed liberalissime ea universa nobis pœnitentibus ac resipiscentibus condonasse: imò remissionem peccatorum & satisfactionem Smalzius pro contrariis* venditat *Exam. 157. Error. err. 80. p. 24. Qvis*, inqvit, *nisi mentis inops, non agnoscat, contraria illa esse, REMISSIO PECCATORUM & SATISFACTIO pro peccatis? Nam ubi remissio peccatorum est, ibi necesse est, ut nec is, qvi peccaverat, qvicqvam det, nec is, in qvem peccatum erat, qvicqvam accipiat, sive ab eo, qvi peccaverat, sive ab alio. Nam si aliqvid accipiat, à qvocunq; tandem id fiat, remissio non erit: At ubi est satisfactio, sive ab eo, qvi debebat, sive ab alio profecta, jam remissioni locus nullus relinqvitur.* R. (1) *Bonitas & misericordia*, cumpri-

primis qvoad mysterium nostræ *justificationis* & *salutis* non *fine*, sed ex *scripturis*, consideranda veniunt: nihil igitur hic valent vel rationes, vel comparationes, qvotqvot prudentia carnis suppeditat, qvia *prudentia carnis inimicitia est adversus DEum Rom. IIX. 7.* (2) *Summæ bonitatis* est, qvod Pater cœlestis omnia nobiscum communicavit, & nihil sibi soli reliqvit, cum *omne bonum sit communicativum*: communicavit enim nobis *cor paternum Hos. XI. 8. Quomodo dabo te, Ephraim, protegam te Israel? quomodo dabo te, sicut Adama, ponam te ut Seboim? conversum est in me* COR MEUM, *simul exarserunt in me miserationes meæ, non faciam furorem iræ meæ, non vertam me, ut disperdam Ephraim, quoniam DEus ego, & non homo, in medio tui sanctus:* communicavit nobis ex bonitate & misericordia *Filium unigenitum*, ut *redemtorem* & *Salvatorem*: *Sic enim DEus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qvi credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat*: communicavit nobis ex bonitate & misericordia *Spiritum suum*, ut *sanctificatorem*, qvia *non accepimus Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepimus Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater Rom. IIX. 15.* (3) Hinc *dist.* inter *misericordiam* & *bonitatem DEI absolutam* & *relativam*, vel *ordinatam*: *hanc*, non *illam*, in negotio salutis locum habere, scriptura sæpius revelavit. (4) *liberalissime* fingit nostra peccata remitti, sed notum est, qvod ea demum *liberalitas* vocetur, qva de *dominio*, vel *credito* nostro cedimus: cum verò impunitas conceditur, non *liberalitas*, sed *clementia* dicitur, qvam *lenitatem* dicunt superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis: hinc *liberalitatis* terminus, qvem *Sociniani* tam libenter in hoc negotio solent usurpare, minime conveniens est; nam *liberalitas* est proprie *ita dare aliquid, ut danti pereat*, vel *ad accipientem transeat*: sed scriptura nuspiam *clementiam* hanc DEI vocat ἐλευθεριότητα, vel *liberalitatem*, sed nec hoc termino, vel in aliis rebus, qvæ dari, aut accipi solent, de DEO utitur. Et licet *Crellius* contr. *Grot.* c. 2. p. 200. seqq. demonstrare contendat, qvod apud *Latinos* scriptores interdum sic vocabulum *liberalitatis* extendatur, ut *clementiá* complectatur, tamen hæc significatio potius *impropria*, qvam *propria*, vel etiam *analogica* dicenda, qvatenus videl. clementia de jure suo cedit, &

sic benigne facit alteri, *proprie* tamen *liberalitas* non est in remittendis peccatis, & sic à jure dominii, aut crediti vere distingvitur.

16. (IV) *Qvia non factum est hactenus, ut qvis alicujus satisfactionis vi liber sit apud DEum a pœnis peccatorum suorum.* ℞. (1) per *satisfactionem* coram omni judicio reus liber esse potest, ergo qvoq; liber esse potest coram judicio divino: nam ex *judicii divini conditione*, vel etiam *constitutione* promanat, ut in omni judicio vero satisfactio qvædam reqviratur. (2) Contrarium probat ipsum *Protevangelium*, qvod cum homo DEO satisfacere, pœnasq; sustinere, vel à se removere non potuerit, semen mulieris id præstiturum & caput serpentis contriturum *Gen. III. 15.* vel opera Diaboli dissoluturum sit 1. Joh. III 8. Confer. *Esa. LIII. 4. seqq.* (3) Fide salvantur omnes justi *Habac. II. 4* qvemadmodum id etiam catalogus sanctorum docet *Heb. XI.* Fides autem nititur satisfactione Christi, qvam omnes peccatores apprehendere tenentur, si vere coram judicio divino consistere velint. *Rom. III. 21.*

17. (V) *Qvia nec fieri potest, ut qvis alicujus satisfactionis vi liber sit apud DEum à pœnis peccatorum suorum, qvia hæc duo sibi invicem adversantur, liberari apud DEum a pœnis peccatorum suorum, & pro ipsis peccatis divinæ justitiæ satisfieri. Qvia nulla alia ratione divinæ justitiæ satisfieri pro peccatis potest, qvam si is, qvi peccavit, pœnas det peccatorum suorum; liberari autem a suorum peccatorum pœnis, & eorundem peccatorum pœnas dare, nemo non videt, sibi invicem penitus adversari.* ℞. (1) *dist.* inter *contrarietatem veram*, & *apparentem*: hic vera *contrarietas* non invenitur: multò minus in illis vera *contradictio* reperitur. (2) Qvod liberari apud DEum à pœnis peccatorum suorum, & pro ipsis peccatis divinæ justitiæ satisfieri, nihil contradictionis inferat, illud patet (a) qvia *liberari a pœnis*, respicit DEI *misericordiam*, sed *justitiæ divinæ satisfieri*, respicit DEI *justitiam*, (b) *liberari à pœnis* respicit *peccatorem ipsum*, *satisfacere justitiæ divinæ* respicit *Christum*. (c) *liberari a pœnis* respicit *effectum*, sed *satisfacere justitiæ* respicit *meritum*. (d) *liberatio peccatorum à pœnis* est *peccatorum hominum*, vel *personarum*, vel ipsorum *subjectorum*, *satisfacere divinæ justitiæ* potius est *objectorum*, vel *peccatorum medium*. &c: (3) *Qvod qvis per alium facit, per se fecisse putandus est*, dicitur in axioma-

te communi: jam satisfactio sive fiat à peccatore, sive à Mediatore, vera tamen satisfactio censeri debet.

18. (VI) *Qvia neqvaqvam alius pro alio pœnas istas dare potest, qvemadmodum alius pro alio solvit pecuniam, qvam qvis debet. Non enim sicut unius pecunia alterius fieri potest, sic unius pœnæ alterius fieri possunt. Est siqvidem pecunia, ut ICti loqvuntur, reale qviddam, & idcirco ab alio in alium transferri potest: pœnæ verò, de qvibus hic loqvimur, & qvæ peccatis hominum ex lege DEI debentur, sunt qviddam personale, & propterea ejusmodi, qvæ illi ipsi, qvi eas dat, perpetuo adhæreant, nec in alium qveant transferri.* ℞. (1) Qvod alius pro alio, vel etiam cum alio pœnas dare possit, sacra scriptura passim testatur, etiam in ipso Decalogo *Exod. XX. 5. Ego sum,* inqvit Dominus & justissimus Legislator, *Dominus DEus tuus fortis Zelotes, visitans iniqvitatem Patrum in filios, in tertiam & qvartam generationem eorum, qvi oderunt me.* (2) *Dist.* inter *satisfactionem ipsam*, & *satisfactionis modum*: licet non omnes modi hic possint accommodari, tamen propterea non ipsa satisfactio neganda venit. (3) Qvæ ex *Scholis ICtorum* huic mysterio solent applicari, non *in totum*, sed *in tantum* accommodari debent, & qvidem non juxta *communem*, sed *eminentem analogiam*: jam *analogia eminentiæ* prius omnia, qvæ *materialia*, vel *concretiva*, vel *communia* sunt, præscindit, qvam veram, mysteriisq; debitam analogiam concedit. (4) *pœnæ* sunt *personales* respectu *subjecti*, non respectu *sui*, *certo modo*, non *omni modo*: cumprimis qvia notum est, qvod multi nobiliorum *Politicorum* & *ICtorum* pœnarum irrogationem ad *justitiam commutativam* referre soleant.

19. (VII) *Qvia DEus ipse disertè vetuit, ne alius pro alio occidatur Deut. XXIV. 16. II. Reg. XIV. 6. sit qvantumvis conjuncta persona.* ℞. (1) *Deut. XXIV. 16.* dicitur: *Non occidentur Patres pro filiis, nec filii pro patribus: sed unusqvisq; pro peccato suo morietur:* qvibus verbis loqvitur DEus de *legibus forensibus* qvoad *ὁσίας*, non autem loqvitur de *justitia divina* qvoad *οἰκονομίας*. (2) in satisfactione Christi non *commune*, sed *singulare*, qvoddam exemplum reperitur, non *vulgare Senatus consultum*, sed potius *peculiare mysterium* deprehenditur: lex proinde generalis hic non convenienter applicatur.

(3) *II. Reg. XIV. 6.* dicitur, qvod *Amazias, Rex Judæ, percusserit servos suos, qvi Patrem ejus, Regem Joas, occiderunt, filios autem eorum, qvi occiderant, non occidit*, juxta legem hanc *Mosis Deut. XXIV. 16.* similis igitur hic militat responsio.

20. (IIX) *Qvia DEus apertissimè testatus est Ezech. XIII. 20. seipsum minimè id facturum, ut alius pro alio occidatur.* ℞. (1) DEUS apud *Ezechielem* loqvitur de *pœnis ordinariis* & *communibus*, non autem de *pœnis extraordinariis* & *singularibus*, qvales in judicio divino Christo convenire dicuntur: adeoqve locus hic *ἀπροσδιονύσως* urgetur. (2) notum est, qvod hujus loci variæ dentur *limitationes* & *explicationes*, non igitur *simpliciter* hic applicari vel potest, vel debet. (3) *Anima, qvæ peccaverit, ipsa morietur, absolutè*, non *comparatè*, qvoad *jus rigorosum*, non qvoad *jus misericordia temperatum*, qvoad *peccatorum* & *pœnarum ὁσίας*, non qvoad *pœnarum οἰκονομίας.* (4) DEus illud non facit *a priori*, nim. ut alius pro alio vel occidatur, vel puniatur, interim si alius pro alio se paratum ad satisfaciendum offerat, hoc certe simpliciter non vult impedire, sed suo modo concedere: cum igitur ipse DEI Filius se paratum ad satisfactionem obtulerit, ideò propter infinitam suam misericordiam DEus Pater ejus promtitudinem impedire noluit, cumprimis qvia per infinitam sapientiam totam *satisfactionis œconomiam* sapientissime DEus Filius disposuerit.

21. (IX) *Qvia, etiamsi alioqvi id fieri posset, ipsi tamen justitiæ divinæ repugnare, ut qvis pœnas peccatorum qvibus mors potissimum continetur, pro altero det, tantum abest, ut hac ratione divinæ justitiæ satisfieri pro peccatis possit.* ℞. (1) *justitia divina* dupliciter consideratur, vel *absolutè*, qva ratione peccator ipse, non alius punitur, & ab eodem pœnæ *judicialiter* urgentur; vel *comparatè*, qva ratione justitia cum misericordia conjungitur, & per hanc lenitur, ut *rem ipsam* qvidem, videl. *pœnam* & *satisfactionem* urgere qveat, *modum* tamen adeò rigorosè non exigat, sed in *reipsa* benigniter acqviescat, non attenta ratione, sive peccator ipse, sive qvidam alius pro eo satisfaciat. Hinc (2) *dist.* inter *justitiam meram* & *temperatam*, *nudam* & *misericordia vestitam*, non *illa*, sed *hac*, in mysterio præsenti venit attendenda. (3) *Dist.* inter *media-*

diatorem succumbentem & *prævalentem*: si mors à qvodam Mediatore sucumbente pro peccatis alterius susciperetur, illud suo modo tam facile justitia divina non admitteret; sed qvia talis se pro nobis obtulit redemtor, qvi **λύτρον** satisfactionis præstare, mortem in se derivare, & de morte, Satana, vel aliis hostibus, triumphare potuit, ideo justitia divina misericorditer in tali Mediatore lubens acqviescere voluit.

22. (X) Qvia *secundum* & *tertium argumentum* ulterius urgeri potest, qvod nim. *DEI vel majestati, vel benignitati derogaretur, si necesse esset apud ipsum aut peccata nostra puniri, aut pro ipsis satisfieri, qvia manifeste hinc seqveretur, DEum vel non posse, vel nolle nobis peccata remittere, & liberaliter condonare. Neq; enim remittitur, liberaliterve condonatur peccatum, qvod vel punitur, vel non sine satisfactione impunitum dimittitur. Id qvod DEus id facere non possit, id est, jure neqveat nobis peccata liberaliter condonare, nimis evidenter ejus majestatem lædit; sic enim minus auctoritatis haberet DEus, qvam qvilibet homo: nemo enim est, qvi jure non qveat, offensas sibi factas, liberaliter condonare. Qvid verò aliud sunt peccata nostra, qvam offensæ, ipsi DEO factæ? Qvod autem DEus id facere nolit, hoc non minus evidenter ipsius benignitatem imminuit, & tantum non funditus tollit.* ℞. (1) jam superius satis est responsum, & hic denuò male inter se *divina attributa* committuntur, & *majestas* atq; *benignitas* DEI *justitiæ divinæ* **καθὸ αὐτὸ** opponuntur, qvod minimè religiosum, aut mysteriis hisce consonum. (2) qvod necesse sit, apud DEum peccata nostra puniri, patet ex *Ezech. XIIX. 20.* qvem locum ipse *Socinus* antea producebat, & urgebat: *Anima, qvæ peccaverit, ipsa morietur, necessitatem* enim ipsa verba formalia monstrant, & passim alibi scriptura demonstrat. Et certe *divina justitia* neutiqvam aliter acqviescere potest (3) Qvod in defectu *satisfactionis propriæ* fuerit aliena necessaria, patet inde, qvia justitia potius *rem ipsam satisfactionis*, qvam *modum propriæ satisfactionis* simpliciter urget, præsertim qvia misericordiæ benignitas intervenit. (4) *Disjunctio Sociniana* minus est accurata, qvia dicitur *imperfecta*, cum detur *tertium*, vid. **τὸ** *non debere*, nam per & propter justitiam infini-

tam

tam non debet peccata prorsus impunita dimittere. (5) DEus dicitur *remittere peccatum*, vel *liberaliter condonare*, *ratione nostri*, qvia nihil à nobis amplius exigit pro satisfactione, sed non *ratione Christi*, cui magni constitit hæc satisfactio, vel redemtio generis humani, qvia non auro, vel argento: sed precioso sangvine promtus illam præstitit *I.Pet. I.18.19* nec per *sangvinem vitulorum* aut *hircorum*, sed per *proprium sangvinem in sanctum sanctorum ingressus est, æterna redemtione inventa Heb.IX.12.* (6) *Dist.* inter *pœnam ipsam*, & inter *ejus œconomiam*: in *pœna* non datur *liberalitas*, ut loqvitur adversarius, vel *clementia*, sed in *modo* multum clementiæ reperitur, imò nec qvisqvam hanc *infinitam clementiam* satis admirari poterit. (7) De *jure* & *potestate* DEI satis antea fuit responsũ, adeoq; hic nihil addimus: nec imminuit illud vel ejus *autoritatem*, vel *majestatem*, qvod tenaciter *justitiæ* suæ *vindicatricis* rationem habet, sed potius eam auget: nullatenus autem *DEus minus auctoritatis habet, qvam qvilibet homo*, qvi de suo jure qvicqvam remittere, & offensas condemnare potest: nam multa sæpius apud homines *de facto* suscipiuntur, qvæ *de jure* sic fieri non deberent: non enim omnis *lenitas* hominum commendatione digna. *Dist.* igitur inter *lenitatem*, vel *remissionem licitam* & *illicitam*, *illam* probamus, *hanc* minime: præterea dicitur alia *hominum*, alia *DEI conditio*: homines communi vinculo *tum* ratirione creatoris, *tũ* ratione creationis, *tũ* ratione naturalis constitutionis, *tum* ratione cõmunis obligationis, *tũ* ratione debitæ dilectionis, *tum* ratione communis conversationis & multis aliis respectibus inter se copulantur, & ad offensarum condonationẽ obligantur, non autem hæc omnia de *DEO* dici possunt. Insuper aliæ *privatæ* sunt, aliæ *publicæ offensæ*: non in *his*, sed in *illis* commendatur facilitas ad condonandum. Deniq; peccant offensæ vel in *legem naturalem*, vel in *legem civilem*, vel in *honestatem*, vel in *utilitatem* &c: in *his* offensarum condonatio commendatur in *illis* vituperatur: & alia multa hic moneri possent. (8) Qvod DEus id facere nolit, hoc nec *benignitatem ejus imminuit*, *nec eam funditus tollit*, qvia DEO *benignitas* non *absoluta*, sed *relata*, cum aliis attributis conjuncta, tribuenda, cumprimis qvia *benignitas* omnis in *Christo* fundata, dum *sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum eidem dederit, ut omnis, qvi credit in eum, non pereat, sed vitam æternam habeat* Joh.III.16.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo VI.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE

BONIS OPERIBUS.

Disp. X. R Johannes Gebhard, Mœno-Francofurtanus.

QVÆSTIO PRIMA.

Num Opera bona rectè Fructus Spiritus à Spiritu Sancto, tanqvam efficiente causa, denominentur.

1.

INter alias *Bonorum Operum appellationes* non postrema dicitur aliàs, qva *Fructus Spiritus Paulo* dicuntur *Gal. V. 22. Fructus Spiritus est Charitas*, Gaudium, *Pax*, *Longanimitas*, *Benignitas*, *Bonitas*, *Fides*, *Mansvetudo*, *Castitas*. *Et Eph. V 9 Fructus Spiritus est in omni bonitate*, & *justitia*, & *veritate*. Et passim alibi hanc denominationem scriptura vel insinuat, vel explicat. Ex eo Doctores orthodoxi statuerunt, qvod juxta *textum*, *sensum* & *scopum Pauli*, cumprimis *Opera Bona* sic ab *Efficiente causa*, *Spiritu Sancto*, dicantur. Hinc ipsa *Form. Concord. p. 722.* scribit: *Cum homo per Spiritum S. renatus, atq; à lege, h. e. à coactione legis, liberatus est, jamq; Spiritu DEI agitur, tum secundum immutabilem DEI voluntatem, in lege revelatam, vivit: & omnia, qvatenus renatus est, libero & prompto spiritu agit. Et talia Opera proprie non sunt appellanda Opera Legis, sed OPERA ET FRUCTUS SPIRITUS.* Imò hanc *rationem* ipse *Paulus* ostendit *l. d. Gal V. 22.* dum verbis immediatis subjungit. *Adversus hujusmodi* (scil. Opera Spiritus) *non est lex. Qvi autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis: si vivimus SPIRITU, SPIRITU & ambulemus.*

2 Et qvod hi *fructus* ad *Spiritum Sanctum*, vel *divinum*, ut *causam efficientem*, referantur, ipse *Crellius Socinianus* Comment.

 ad

ad Gal: V.22. p. 439. ad hæc verba; *Fructus autem Spiritus est:* annotavit: *Enumeravit*, inqvit, *multa carnis opera, & sic declaravit, qvid sit carnis cupiditates perficere: nunc etiam enumerat qvosdam Fructus Spiritus: eaq; ratione ostendit, qvid sit ambulare Spiritu. qvandoqvidem non tantum id superius monuit, ne carni indulgeamus, sed contra etiam, ut* Spiritu *ambulemus, eoq; nos duci patiamur*. Et p. 441. ad verba. *Si vivimus spiritu, spiritu & ambulemus: Postqvam docuisset Apostolus, tum posse, tum debere homines Christianos carnis opera vitare; nunc contra docet, eos etiam posse & debere FRUCTUS SPIRITUS præstare, qvasi dicat: Cum ergo & causa peccatorū efficiens fuerint sublata, & CAUSA EFFICIENS PIETATIS, seu vis ad eam in hominibus excitandam satis valida sit in vobis, qvid aliud restat, qvam ut pie vivatis: Vita hac opponitur morti, seu crucifixioni carnis, qvalis autem sit hac vita, seu cujus rei, indicat vox adiecta SPIRITU, id est, qvam EFFICIT in nobis SPIRITUS SPIRITUS nimirum EVANGELICUS, qvi nostrum* Spiritum *vegetat, animat, alacrem ad omnes actiones honestas facit, illiq; vires ad domandam carnem suppeditat. Qvocirca si hanc vitam in nobis habemus, qvam SPIRITUS, ut sic dicam, inspirat, si nos SPIRITUS DIVINUS animat, Spiritu etiam incedamus, id est, SPIRITUS etiam DIVINUS nos regat, ejus ductum seqvamur in actionibus.*

3. Idem etiam *B. Franzius* Disp. VI. in Aug. Confess. th. 8. proposuerat his verbis: *Causa Efficiens Bonorum Operum prior est Spiritus Sanctus, per Filium DEI effusus super corda credentium. Ideo enim bona opera, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansvetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas appellantur Fructus Spiritus Gal. V. 22. Et hisce operibus studiosè vacantes nominantur* Spirituales *Gal VI. 1.* Sic etiam *Ezech. XXXVI. 27. dicitur: Spiritum meum dabo in medio vestri, efficiamq;, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & faciatis illa. Huc illud, qvando David. Psal. 51.13. petit à DEO, ne amplius ab ipso auferat* Spiritum *Sanctum*.

4. Hæc *B. Franzii*, vel communis orthodoxorum *Theologorum*, & ipsius *Pauli* sententia, palato *Sociniano* minus grata fuit, inde

inde *Smalz.* contra Franz. p. 167 scripsit; *Causam Efficientem bonorum Operum esse Spiritum Sanctum (ut ait Fr. th. 8.) non negamus. An verò ideo bona Opera Fructus Spiritus (Gal. 5.) appellentur, dubium esse videtur.*

5. Ex qvibus apparet non esse qvæstionem, (1) *An Opera bona fructus spiritus appellari possint?* Ejus enim impudentiæ neutiqvam esse voluit Adversarius, cum *Paulo* contradicere voluerit, unde manifestam hanc appellationem concedere necessum habet (2) Nec deo disqviritur: *Num Spiritus Sanctus sit Efficiens causa bonorum Operum?* nam illud etiam negare non vult, licet vel hic, vel alibi parum *Spiritui Sancto* tribuat *Smalzius*, & præterea tales *hypothefes* de *Spiritu Sancto*, deq; nostra *justificatione*, vel *restauratione*, vel etiam de *bonis operibus* foveat, ut vix cum illis hæc assertio consistere qveat. Sed (3) qværitur, *Annon Opera bona Fructus Spiritus à Spiritu Sancto, tanqvam Efficiente causa, Paulo vocentur?* Nos *affirmativam*, *Smalzio* contradicente, sententiam tuemur.

6. Ne vero gratis *Franzio* contradixisse, vel *dicam dubitationis* scripsisse videretur *Smalzius*, propterea nonnullas etiam rationes adjicere voluit. (I) Primum argumentum desumit *ab oppositione operum carnis & Spiritus*: *Qvia opponitur ibi fructus Spiritus operibus carnis. Qvemadmodum igitur Opera carnis sunt ea, qvæ ab affectibus hominum proficiscuntur: sic fructus Spiritus ex bona opera videntur esse, qvæ à ratione hominis promanant.* ℞. (1) illa *videntur* Smalzio, sed revera non *sunt*, sicut alias dicitur: *multa videntur, & non sunt.* (2) *Oppositio* talis potius contrarium ostendit. Nam *caro* & *Spiritus Sanctus* primò dicuntur opponi, sicut patet *ex Joh. III. 6. Qvicqvid ex carne natum est, caro est, & qvicqvid ex Spiritu natum est, Spiritus est.* Unde *Schlichting. in Com. Evangel. Joh. p. 27. Ex aqva & Spiritu*, scribit; *Non dicit ex aqva & ex Spiritu, tanqvam ex duabus rebus diversis, sed ex aqva & Spiritu, voce Spiritus, cui nec articulum adjecit, per exegesin addita, id est, ex aqva, qvæ Spiritus est, Spiritus ille ADOPTIONIS, qvem Christus effundit in suos discipulos. Ideo mox v. 6. 8. solius Spiritus meminit. Solet enim Spiritus aqvæ comparari, qvi ideo & effundi dicitur. Conf.*

messe poterat: sed de EO DEI SPIRITU, qualem CHRISTUS LARGITUR, & qvi Evangelicæ doctrinæ proprius est ac peculiaris, qvi id præstare potest, ut aliqvis fit in Spiritu; id est, Spiritualis ex carnali evadat homine. Ostendit autem se meritò præsupposuisse in illis habitare DEI SPIRITUM, siqvidem illos pro veris Christianis reputet. Alioqvin enim, si Christi Spiritu præditi non sint, illos non esse Christi, id est, ad Christum revera non pertinere, nec inter ejus veros ac genuinos discipulos numerando esse. (4) Opera *carnalia* qvidem à *carne*, sed opera *Spiritus* non ab *hominis ratione*, sed à *Sancti Spiritus renovatione*, vel *sanctificatione* proficiscuntur.

7. (II) *Qvia fructus Spiritus ea bona opera videntur esse, qvæ à ratione hominis, divina revelatione, qvæ in Evangelio continetur, illustrata promanant.* R. (1) *Unius positio, non est alterius remotio*: nam Spiritus *Sanctus*, & *ratio*, *per Evangelium illustrata*, vel *elevata*, non invicem contrariantur, sed *subordinantur*, cum Spiritus Sanctus non *immediate*, sed *mediate*, nim. per renovationem hominis, ejusq; virium, sit Autor Bonorum operum. (2) Idem *B. Frantz. ib. 9. seqq.* non obscurius indicaverat, scribens: *Causa efficiens bonorum operum posterior est, Cor & voluntas hominis Renati, seu ad DEum conversi. Non enim sunt bona opera fructus liberi arbitrii, nisi qvatenus jam per gratiam liberatum est I Joh. V. 8. scimus, qvia omnis, qvi est ex DEO, non peccat, sed generatio DEI conservat eum, & malignus non tangit eum Matt. 7. 17. omnis arbor bona fructus bonos facit:* Sed nec illa sine suggillatione *Smalzius* dimittere potuit: sic enim eadem, licet frustra, perstringit: *Bona opera non esse fructus liberi arbitrii, nisi qvatenus jam per DEI gratiam liberatum est, obscurè dictum est, & errore non caret. Certum enim est, hominem etiam non renatum, posse natura, & ratione duce, bona opera præstare, licet non ita perfecte, qvemadmodum is, qvi renatus est, nec est, nec ita perfecta, nec DEO etiam ita accepta, qvemadmodum ea sunt, qvæ qvivis Christi amore facit* &c: ita fingit, qvoad homo non renat, etiam vere bona opera præstare valeat licet non adeo perfecta, qvā renatis tribuit. (3) Ratio *cum* & *à Spiritu Sancto* verè dicitur illuminata, sed sine Spiritu Sancto verè tenebricosa, qvicqvid igitur illuminatæ rationi qva talis est, tribuitur, illud meritò *Spiritui Sancto*, ceu causæ principali, defertur.

8. (III) *Qvia statim additur v. 25. Si Spiritu vivimus, spiritu etiam ambulemus.* ℞. (1) *Spiritu vivere* est à *Spiritu Sancto vivere*, *Spiritu ambulare*, est *à Spiritu Sancto ambulare*, qvia nec prius, nec posterius humanæ *virtutis*, sed *divinæ benignitatis*. Sic igitur nostra per hæc verba confirmatur sententia. (2) *Paulus* triplex qvasi genus hominum tribus versiculis ultimis insinuat. (a) *hominum Carnalium*, qvi simpliciter indulgent affectibus & concupiscentiis, qvi non sunt Christi; nam qvi Christi sunt, crucifigunt carnem cum affectibus & concupiscentiis (b) *hominum fidelium*, qvi tum *privative* describuntur, qvod carnem cum affectibus & concupiscentiis crucifigere debeant; & *positivè*, qvod Spiritu vivere & spiritu ambulare, semper illis conveniat. (c) *hypocritarum*, qvi sunt inanis gloriæ cupidi, invicem se provocantes, invicem invidentes. (3) Nostram etiam sententiam *Crelliana* loci hujus interpretatio, qvā superius adduxim; confirmat, at: hic *B Balduini* exegesin Comment. super h.l. saltem producimus: *Spiritu vivere*, scribit, *est à Spiritu Sancto duci, qvod filiorum proprium est: is enim est, qvi vivificat* Joh. 6. *& ex mortuis viventes, ex peccatoribus justos facit: qvi ergo Spiritu vivunt, Spiritu qvoq; ambulare debent, hoc est, in bonis se exercere, ex qvibus spiritualis illa vita in ipsis agnoscitur. Et aphor. 11. d. l. Non sufficit jactare* Spiritum Sanctum, *qvod & hypocritæ facere possunt, sed si vivimus spiritu*, & *Spiritu ambulemus, inqvit Paulus v. 25. Nam qvemadmodum ex respiratione vitam agnoscimus in corpore, ita ex motibus piis Spiritum* Sanctum, *qvi vita nostra est, in anima habitantem animadvertimus, qvo simili utitur* Jacobus c. 2. 26. *Et Christus inqvit ad Nicodemum? Spiritus ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, & qvo vadat, & sic est omnis, qvi natus est ex Spiritu* Joh. 3. 8.

QVÆSTIO SECUNDA.

Num Opera Bona sint specifica differentia fidei justificantis.

1. Circa *qvæstionis Statum* rectius constituendum & cognoscendum, non inutile futurum, si prius unum, vel alterum præsup-

supponamus, & ea, qvæ controversa non sunt, ex oculis removeamus. Notandum igitur. (1) qvod per *Opera bona* non intelligamus hic *opera bona* vel *naturalia*, qvæ naturam ipsam, ceu causam, respiciunt, eamq; mediantibus proprietatibus perficiunt; aut alio modo naturam concernere deprehenduntur: nam certum est, qvod dentur opera bona naturæ, qvæ sunt à natura, in natura, secundum naturam, propter naturam, circa naturam, ad naturam &c: vel *moralia*, qvæ per rectam rationem ex virtutis studio proficiscuntur, & ad virtutis habitum vel constituendũ, vel excolendum, vel exercendum ordinantur; vel *civilia*, qvæ res civiles respiciunt, & ad illarum vel gubernationem, vel conservationem referuntur; vel *œconomica*, qvorum usus multiplex in œconomia necessarius: vel *artificialia*, qvibus artes necessariæ, vel utiles exerceantur &c: Sed *spiritualia*, qvæ secundum articulum præsentem in *Augustana Confessione* considerantur.

2. (2) Qvod *opera bona* non tam ratione *sui*, qvam ratione *DEI*, non *ab extra*, sed *ab intra*, non *in se*, sed *in fide*, vel ejus respectu considerentur, cum in ipsa qvæstione disertis verbis ad *fidem justificantem* referantur, qvando qværitur: Num *opera bona sint specifica differentia fidei justificantis*? adeoq; non tam *hominem operantem*, qvam *fidem justificantem* respiciunt.

3. (3) *Fidem justificantem* ita vocari, non ratione *suæ qvidditatis*, qvocunq; etiam modo qvidditas simpliciter & absolute sine debita relatione declaretur: nulla siqvidem fidei qvidditas, qvatenus in se spectatur & absolute, justificare potest, nec *ratione qvantitatis*, qvatenus vel magna, vel parva, cum qvantitatis per se non sit ulla efficacia; nec *ratione qvalitatis*, sive consideretur ut *dispositio*, vel *habitus*, sive ut *potentia* qvædam mentis & voluntatis humanæ, qvamlibet etiam spiritualis potentia significetur: nam ratione sui posse vel naturalis, vel moralis, vel absolutè loqvendo spiritualis, fides opus hoc ingens nostræ coram DEO justificationis præstare valet, sive, ratione *firmitatis*, vel *infirmitatis* spectetur, aut sub aliarum qvalitatum respectibus: qvalitas nostra, vel etiam interna fidei per se coram DEO valere non potest: nec *ratione activitatis*, qvatenus formaliter ut apprehensio, vel actio.

actio notatur &c: Sed tantum *relative*, respectu *vitæ*, qvam in Christo Jesu possidere dicitur, qvatenus nimirum Christi meritum, & in eo justitiam coram DEO valentem apprehendit.

4. (4) *Per specificam differentiam*, non *differentiam* aliqvam *communem*, qvæ multis convenire qveat; non differentiam *accidentalem*, qvæ per accidens contingere, vel subjecto suo tum adesse, tum abesse posse deprehendatur; non *externam*, qvæ tantum ad extra qvodammodo fidem justificantem respicit, non nude *consecutivam*, qvæ modo qvocunq; fidei justificantis naturam conseqvi videatur, eamq; qvodammodo distingvere dicatur: sed potius de differentia *propria, essentiali, interna & constitutiva* nobis sermo, qvemadmodum ex ipsis *Socinianorum* verbis apparebit.

5. His præsuppositis & ad terminorum evolutionem notatis, circa controversiæ statum explicandum observabimus, qvod non sit in qvæstione (1) *Num opera bona vere bona sint?* Nam omnino sic dicuntur, & qvidem non falsò, sed verè, cum dici reqvirat inesse, ideo suo modo talibus operibus & *bonitatem legalem* & *Evangelicam* tribuimus (2) *Num opera bona facienda sint?* Nam opera bona juxta Dei legem præcipimus & urgemus, & ab omnibus credentibus reqvirimus. Unde *Confess. Aug. Art. 20.* monet: *Falso accusantur nostri, qvod opera bona prohibeant.* (3) *Num opera bona ad fidem referri possint, & jure ad fidem referenda sint?* nos enim multis modis opera bona referenda ducimus ad fidem, cum opera bona sine fide nec fieri, nec esse, nec operari qveant, & omnem suum valorem à fide possideant & obtineant, cum absq; fide sit impossibile placere DEO *Heb. XI 6.* (4) *Num per opera bona fides vera & viva cognosci qveat?* Nam opera bona dicimus esse fidei justificantis symbola, signa, testimonia, indicia &c: secundum illud *Christi Matt. V. 16. Luceat lux vestra* nim. fidei justificantis, *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificetur Pater vester, qvi in cœlis est*: & *Jacobi c. II. 18. Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meã.* (5) *Num per opera bona fides vera & viva dignosci qveat?* nam hoc etiam nos credimus & confitemur, qvod *vera fides*, ut *viva*, per bonorum operum

perum studium dignoscatur à *ficta* & *vana fide*, qvæ bonis operibus destituitur, prout *Jacobus* inqvit c. II. 17. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa*; & v. 20. *ô homo inanis, fides sine operibus, mortua est.* (6) *Num opera bona suo modo differentia fidei vere justificantis appellari qveant?* nam & hoc sano sensu concedere possumus, cum ratione nostri, ad extra, à posteriori &c: fides justificans per opera bona dignoscatur, qvæ propterea notæ, *χαρακτῆρα, τεκμήρια, indicia* &c: fidei justificantis appellantur, & pro *differentia* qvadam, ab effectibus petita, communiter venditantur.

6. Sed potius (7) in qvæstione versatur, *Num Opera Bona, proprie loqvendo sint specifica differentia fidei justificantis?* Sic enim *Crellius* Comment. in Epist. ad Galat.. V. v. 6. p. 224. *Præterea satis apparet, Paulum hic voluisse fidem eam, qva justificandi vim habeat, ab ea distingvere, qva vim talem non habeat, ut qvisq; ea ratione admonitus, hujusmodi fidem sibi comparet, qvalis hic describitur, non verò vanam aliqvam fidei larvã sibi imponat. Atqvi non est consentaneum, cum discrimen istud petiisse à re, qva ad justificationem comparandam nihil prosit, ac proinde plane sit extra fidei, cui soli justificatio ex parte nostra adscribitur, naturam. Cur enim non potius differentiam essentialem ac specificam, ut vocant, exprimeret. Ubi præterea notandum, qvod in margine scripserit* vel *Crellius*, vel *Schlichtingius*, qvi Commentarium istum edidit. *Charitas specifica fidei differentia. Schmalz.* contra *Franz.* p. 362. *Opera statuimus esse formam fidei, & ita ipsam qvodammodo fidem, ita, ut qvoad verba, idem dicamus cum Lutheranis, fidem, addo & solam fidem, post DEI gratiam, ad salutem reqviri.* Ex his satis apparet, qvam bene *Sociniani* sibi constent, & qvomodo singula, qvæ faciunt huc, inter se confundant. Eos in verbis qvibusdam nobiscum loqvi, concedimus, sed in re nobiscum consentire pernegamus.

7. Probare verò conatur suam sententiam (I) *à Pauli scopo*, qvia *Paulus hic voluit fidem eam, qva justificandi vim habeat, ab ea distingvere, qva vim talem non habeat, ut qvisq; ea ratione admonitus, hujusmodi fidem sibi comparet, qvalis hic describitur, non verò vanam aliqvã fidei larvam sibi imponat. Atqvi non est consentaneum, cum discrimen istud petiisse à re, qva ad justificationem comparandam*

nihil prosit, ac proinde planè sit extra fidei, cui soli ex parte nostri justificatio adscribitur, naturam. ℞. (1) Apostolus *Gal. II. 16.* mentem suam de justificatione satis exposuit, & operibus prorsus eam denegavit: *Scientes*, inqvit, *qvod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem* Jesu *Christi, & nos in Christo* Jesu *credimus, ut justificemur* ex *fide* Christi, *non ex operibus legis: propter qvod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et v. 20. *Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus. Qvod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii DEI, qvi dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: non abjicio gratiam DEI: si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* (2) Paulus *Gal. V.* directè agit de *usu Christianæ libertatis, charitate, carne & Spiritu*, non autem *directè* agit de *justificatione*, licet *incidenter*, & *materialiter*, ejus mentionem faciat. (3) etsi *Paulus* voluerit *fidem justificantem* à *non justificante* distingvere, non tamen propterea seqvitur, qvod statim *specificam differentiam* introduxerit, cum multæ, præter *specificam*, differentiæ communiter adhiberi soleant. (4) Fides non industria nostra comparatur, sed potius ex divina gratia donatur, cum sit *opus DEI* Joh. *VI. 29. Dist.* igitur inter *fidem justificantem*, & *habitualiter operantem*; *illa* DEI donum, *hæc* operum nostrorum effectum est. (5) *Discrimen* fidei, qvod *ab operibus* desumitur, est *à posteriori*, non *à priori*, qva de causa nihil ad *justificationem* facere, nec ad *fidei* naturam pertinere possunt.

8. (II) *À differentia specifica statu*: Sic enim pergit: *Cur enim non potius differentiam essentialem ac specificam, ut vocant, exprimeret, præsertim cum neqvaqvam credibile sit, illam obscuram esse, aut talem, qvam etiam rudissimus qvisq; non posset cognoscere: siqvidem unusqvisq; hanc fidem præstare, si salutem adipisci velit, debeat.* ℞. (1) non omnium rerum *differentiæ specificæ* dari, vel cognosci possunt, sicut ex *Philosophia* notum: Si proinde difficulter in Philosophia, vel rebus natura notis & omnibus obviis, *differentiæ specificæ* cognoscuntur, multò magis id de salutis mysteriis concedendum erit. (2) Imò potius hoc notandum est, qvod in prædicamentis tantum *differentiæ specificæ* reperiantur, jam autem fides justificans cum aliis mysteriis prædicamenta transcendit, neq; *differen-*

ferentiam specificam admittit. (3) Cognitio fidei non pendet ex *intellectus*, sed potius ex *Sancti Spiritus operatione*, & potius in *justificatione*, qvoad πρᾶξιν, qvam qvoad γνῶσιν, reperitur, qvia per *fidem justificantem Christus*, ejusq; *meritum* apprehenditur, licet illud *Sociniani* concedere nolint, tamen alibi satis illud confirmatur. (4) Falsum est, qvod fides justificet, qvatenus *eam homo praestat*, sed potius salutis causa dicitur, qvatenus *DEus eam donat Eph. II. 8.*

9. (III) *Ex necessario nexu*: qvia *ex eo ipso, qvod hac differentia fidem, justificandi vim habentem, ab ea, qvae vi hac careat, distingvat, conseqvitur, eam saltem cum fide vera, seu justificante, tanqvam effectum, cum causa propria, necessario cohaerere. Atqvi necessario non cohaereret, nisi ipsa qvoq; ad salutem conseqvendam esset necessaria, seu conditio, sine qva salutem DEus dare nobis non vult, ac proinde etiam fidei illius, cui soli ex parte nostra tribuitur justificatio, pars existeret.* ℞. (1) Si juxta *Philosophos* proprie *differentiam specificam* intelligimus, potius contrarium inde seqvitur, cum notum sit, qvod *differentia specifica* non *connexionem*, vel *consecutionem*, sed *constitutionem* inferat, siqvidem *constitutiva speciei*, sicut *distinctiva generis* dicitur, & propterea *specifica* vocatur, qvia *speciem efficere* deprehenditur. (2) Si differentia haec, qvae *bonis operibus* tribuitur respectu *fidei*, cohaeret cum fide, tanqvam *effectum cum causa*, seqvitur, qvod neutiqvam sit *differentia specifica*, qvia *differentia specifica* non est, nec esse proprie potest *effectum*. (3) *Bona opera* neq; sunt *conditio sine qva* non justificationis, aut salutis, prout non semel alibi fuit à nobis demonstratum; & licet talem conditionem inferrent, non tamen propterea *differentiam specificam* exprimerent, cum inter *conditionem sine qva non*, & *differentiam specificam*, maxima sit differentia (4) Falsum est, qvod opera bona *necessaria sint ad salutem conseqvendam*, cum tantum *à posteriori* necessaria sint ad *salutem ostendendam*. (5) Falsum etiam, qvod opera bona sint *fidei justificantis pars*, cum, juxta scripturam, potius sint *fructus & effectus*, unde h. l. fides *per charitatem* ἐνεργουμένη vocatur.

10. (IV) *à fidei justificantis conceptu*: qvia *ne fingi qvidem potest*

est ulla fides, qvæ necessariò charitatem, & bona Opera producat, si bona opera nihil ad justificationem conferre statuantur: Ergo Bona opera sunt *specifica fidei differentia*, qvia conceptum fidei justificantis ingrediuntur. ℞. (1) *Proprius fidei status* atq; *conceptus* ad *intra*, non ad *extra*, ad *DEum*, non ad *hominem*, ad *Christum, ejusq; meritum*, non ad *opus, vel effectum* respicit, qvia fides in vita Christi, vel in Christi justitia, qvam apprehendit, consistit *Gal. II. 20.* Hinc. (2) dicitur aliàs, qvod *vita fidei* sit vel *essentialis*, vel *causalis*, vel *respectu DEI*, vel *respectu nostri*, vel *formalis*, vel *materialis*, vel *interna*, vel *externa* &c. prioribus respectibus in Christo vivit, vereq; justificat, posterioribus in effectis vivit, suamq; vitam internam manifestat. (3) Si fides opera bona vel necessario, vel non necessario producit, seqvitur, qvod opera bona non pertineant ad fidei *statum proprium & essentialem*, cum fides sit *causa*, sed opera bona sint *effectum*, qvod etiam *Crellius* th. 9. asserebat: jam autem nullus *effectus* est de *causæ natura*, vel *essentia*, de *proprio ejus statu*, vel *conceptu*, adeoq; fides & concipi, & cognosci potest sine bonis operibus, nec ullis hic figmentis opus esse dicitur. (4) Si fides justificans opera bona producit, seqvitur, qvod opera bona neutiqvam aliqvid ad justificationem conferant, qvia nihil ad causæ naturam effectus conferre potest: nam ut causa plena sit & perfecta, priusqvam effectum producat, omninò necessarium est, qvia secus operaretur, anteqvam esset, vel anteqvam causa foret, qvod minimè concedendum (5) Positis tamen his omnibus, sed minimè concessis, nondum immediate seqvitur, qvod opera bona sint *specifica differentia*, cum plura sæpius *rei conceptum*, vel *statum* ingrediantur, qvam *differentia specifica*.

11. (V) *à fidei justificantis actu*, qvia *inde fit, ut fides vera, qvæ justificationis causa est, qvoad nos prima, bona opera necessario pariat, qvia ejusmodi est animi inductio, ac certis fundamentis nixa persvasio, te non aliter, nisi pie vixeris, sempiternam vitam consecuturum, atq; adeo pietatem vitæ, seu bona opera salutis adipiscendæ conditionem, causamq; esse.* ℞. (1) posito, qvod sint opera bona vel *conditio*, vel *causa* salutis, non tamen simpliciter statim sunt *differentia specifica* fidei justificantis, cum magis immediata determinatio

sit

sit ad *specifica differentia* demonstrationem necessaria. (2) Falsum, qvod vel *conditio*, vel *causa* salutis sint opera bona, cum *salus* sit *donum DEI Eph II.8.* adeoq; nec à nostris operibus causaliter, nec conditionaliter pendet. (3) *Fides vero*, qvæ primò respectu nostri justificat, est causa justificationis, nec qvatenus est animi inductio, vel certis fundamentis nixa persvasio, nec qvatenus est operum bonorum productio, sed qvatenus est justitiæ coram DEO valentis *Rom. III.24.* apprehensio: nam justificatio non est *opus humanum*, sed *divinum*, qvia DEus est, qvi justificat *Rom. IIX. 31.* justificare verò non potest sine justitia sive propria, sive sit aliena: cum igitur propriam justitiam nos peccatores non possideamus, qvam DEO, propter peccatum irato, humiliter offerre qveamus, omnino necessarium, ut alienam justitiam afferamus, & nobis ex gratia divina per fidem conferamus, ut coram judicio DEI consistere valeamus.

12. (VI) *A persvasionis, vel opinionis hujus defectu*: qvia *si tollis hujusmodi ex fide sententiam & opinionem, nimirum, te non aliter, nisi pie vixeris, sempiternam vitam consecuturum, & tollis ab eadem necessitatem, bona opera pariendi, vel ipsam fidem tolles.* Jam verò, *qvo sublato, tollitur res ipsa, illud est specifica differentia.* R. (1) *Canon* iste simpliciter non procedit, cum de partibus essentialibus omnibus valeat, adeoq; non statim *specificam differentiam* inferat: sed ita limitanda venit: qvo sublato, *tanqvam formali*, illud est specifica differentia, si non *formaliter*, tamen *materialiter*, cum non omni respectu *forma* sit *differentia specifica*, nec *specifica differentia* sit omni modo *forma*. (2) aliud est bona opera *distingvere*, vel *distincte considerare*, & aliud est eadem à *fide divellere*, vel prorsus *separare* nos opera bona neutiqvam à fide divellimus, sed tamen ut effectum à causa, juxta *Crellium* ipsum, distingvimus, & respectu diverso, propter gravissimas causas, à negotio justificationis excludimus, cum justificatio sit opus DEI, non hominis. (3) Fides coram judicio divino considerata respectu justificationis non æstimatur ex *nostra sententia*, nec ex *sua energia*, sed potius ex *gratia justificationis, & meriti, justificationem acqvirentis, præsentia*, cum aliàs justitia propter suam severitatem acqviescere non posset.

set. (4) *Dist.* inter *præsentiam materialem*, & *formalem*: licet ejusmodi vel opinio boni propositi dicatur adesse, tamen non *formaliter* adest, *qvatenus* homo peccator justificatur, sed *materialiter* ei tantum adest, *qvi* justificatur. (5) *dist.* inter *infantes* & *adultos*: licet in adultis talis persvasio præsens esse posit, tamen de infantibus idem dici neqvit; jam autem *specifica differentia* semper *qvoad rem*, non autem *accidentaliter*, vel *materialiter*, qvoad *subjecta*, necessario reqviritur.

13. (VII) *è bonorum operum vel defectu, vel neglectu*: qvia *si bona opera nihil ad salutem facere per se credis, qva res, qva fides te adiget, ut ea necessariò tibi putes præstanda, atq; adeò reipsa præstes?* R. [1] Multa sunt necessaria, multa pariter utilia sunt, qvæ tamen propterea non statim ad salutem vel *necessaria*, vel *utilia* sunt: à *simpliciter ad secundum qvid est σοφιστικῶς* argumentari. (2) Licet *salutis conseqvendi ratio* non inferat bonorum operum necessitatem, tamen *salutis acqvisita ratio* nos ad bonorum operum studium excitat. [3] Multa sunt alia, qvæ nos urgent, ut opera bona faciamus, licet per opera bona salutem non adipiscamur, qvalia sunt *DEI voluntas*, *DEI mandata*, *DEI beneficia*, *nostrum officium*, *nostrum debitum & obseqvium*, & alia qvamplurima, qvæ nos adigunt, ut opera bona præstanda putemus, & ipsa re qvoq; præstemus.

14. (IIX) *à salutis finali statu*: qvia *qvi salutis causa pie non vivet, ille nullius rei causa pie necessariò vivet.* R. (1) *Dist.* inter *salutem legalem* & *Evangelicam*: si homo permansisset in statu integritatis, utiq; legi divinæ satisfacere potuisset, & per obedientiam legis æternam salutem consecutus fuisset: hodie verò, qvia non ex *justitia*, sed ex *gratia*, non ex *lege*, sed *Evangelio*, non ex *opere*, sed ex *fide*, salutem expectare necessum habet, salus non *est legis*, sed *Evangelii finis*, cum ex lege non justificetur ulla caro *Rom. III, 20.* (2) Posito, qvod *salutis causa* pie vivere debeamus, tamen illud non statim ad *salutis consecutionem*, sed potius ad *ejus manifestationem*, referendum est: multo minus inde seqvitur, qvod opera bona sint *fidei justificantis differentia specifica*. (3) *Salutis causa pie vivere*, vel sumitur *formaliter*, vel *materialiter*, & *conseqventer*; licet *materialiter*, pie vivere debeamus, ut candidati salutis æternæ, tamen

 pro-

propterea nec *causaliter*, nec *formaliter*, ad salutis consecutionem illud referre fas est.

15. (IX) *à consequente absurdo: qvia contradictione se involvunt, qvicunq; bonis operibus omnem justificationis nobis comparanda vim adimunt, & tamen ea fidei necessarium consequens esse statuunt.* R. (1) *contradictionis* arguere, non est *contradictionem* ostendere, cum accusare non sufficiat. (2) non hæc nostra, sed Sancti Spiritus assertio, qvi ratione justificationis inter *fidem* & *opera* perpetuam oppositionem introducit, & *fidei* justificationem tribuit, sed *operibus* illam adimit, prout multis, iisq; clarissimis scripturarũ testimoniis, id demonstrari posset, nisi res omnis in aprico posita foret (3) omnem *justificationis comparandæ vim operibus adimere*, & tamen *opera fidei consequens necessarium statuere*, minimè pugnant, cum *consequentia* nihil qvicqvam faciant ad *comparationem*, sed potius, tanqvam *fructus*, omnem *comparationem* fidei L justificationis seqvantur.

16. (X) *à distinctionis inter opera, & meritum operum, vano conceptu*; qvia *vanissima est illa hac qvidem in parte distinctio, cum dicunt, se opera non tollere, sed operum meritum. Nam si tam late meritum extendunt, ut eo nomine complectantur qvamvis vim bonorum operum, qvam, etiam, divina gratia accedente, ad justificationem pariendam, habeant, adeoq; nullum illis inter salutis causas relinqvant locum; qvi tale meritum tollit, Bonorum operum necessitatem, & sic ipsa bona opera tollit. Qvod si meritum proprie sumant, ita, ut id gratiam divinam in nobis justificandis excludat, jure qvidem id faciunt; sed propterea non debent bonis operibus omnem vim ad nos, ex gratia DEI justificandos adimere, seu ex mediis justificationis causis ea penitus eliminare. Neq; enim omnis justificationis causa protinus meritoria est: siqvidem nec fides proprie justificationem meretur, aut gratiam DEI excludit, & tamen media salutis causa est. Eodem ergo pacto & bona opera inter medias salutis causas locum habere possunt, etsi eorum meritum tollas.*

17. R. (1) Qvod inter ipsa *opera*, & *operum meritum*, maxima discrepantia, vel ex ipsis terminis apertum, ut alia nunc taceamus, qvæ prolixe producere possemus. (2) Etiamsi vox *meriti* refe-

referatur ad *vim bonorum operum, qvam gratia divina accedente, ad justificationem pariendam habeant*, tamen neutiqvam hac ratione aliqvid contra nos obtinetur: nam primo negamus, qvod opera vim habeant ad justificationem pariendam, adeoq; nullum est hoc effugium, cum DEUS eam vim istam operibus conferre non velit, & frustra qvoqȝ nostris operibus talem conferret, cum justificatio sit *opus DEI*, non *opus nostrum*: deinde *gratia DEI*, qvæ nostris operibus contingit, & *sanctificationis*, vel *renovationis*, non *justicationis*, qvia bonorum operum studium est *novitatis* & *sanctificatis*; deniq; videtur adversarius etiam bonis operibus præter *gratiæ vim accedentem, propriam* ad justificationem *vim* tribuere, qvod prorsus est falsum, cum nihil in nobis sit, qvod ad justificationem respicere causaliter posfit. (3) Falsum est, qvod qvi tale *meritum* tollit, etiam *necesfitatem bonorum operum* tollat, & sic etiam *ipsa opera* tollat. Nam aliud est, loqvi de *bonis operibus, eorumq; necesfitate*, aliud de *bonorum operum practicis meritis* agere. (4) Malè simpliciter adversarius *gratiam* & *meritum* opponit simpliciter, qvasi *gratia sit absolum*, qvæ prorsus omne meritum in nobis justificandis excludat, cum suo modo simul stare qveant, & *respectu nostri*, vere gratis justificamur, non tamen, velut absq; *merito proprio*, sic etiam absq; *merito Christi* justificamur. (5) verissimum est, qvod non omnis *causa justificationis* sit *meritoria*, sed falsum est id, & qvod opera bona sint *causa justificationis*, & qvod sint *meritoria causa justificationis*, qvocunq; tandem respectu verè meritum justificationis intelligatur, unde nec *posfunt habere locum media cujusdam causa*, cum certum sit, qvod inter *fidem* & *opera* maxima sit *differentia*, imò qvoad justificationem vera *pugna*, cum inter se *fides* & *opera* opponantur. Hinc (6) facile colligitur, qvid de verbis *Crellii* præcedentibus judicandum sit: *Alibi* scribit, *charitati & bonis operibus, ex fide prodeuntibus, justificatio, seu æterna salus adscribitur: Job. 3.14.19.21.22. Matt. 25.34. seqq. 1. Pet 4.8. imò Jacobus aperte testatur. Jac. 2.14. 17. & deinceps usq; ad fin. cap. ea: in comparanda nobis justificatione ita cum fide concurrere, ut fides, proprie nempe ac stricte sumta, locum corporis teneat; bona opera locum spiritus: adeo ut, qvemadmodum corpus sine spiritu est mortuum, sic fides bonis operibus vacans, sit mortua, & sic nullas habeat vires in nobis justificandis.*

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo VII.
AUGUST. CONFESSIONIS.
DE

Disp. XI.
R. Johann Melchior Doetschmann, Halâ Svevus.

ECCLESIA

QVÆSTIO PRIMA.

An Ecclesiam perpetuo durare necesse sit?

1.

IN *Augustana Confessione Art. 7.* dicitur statim ab initio: *Docent.* nimirum Ecclesiæ apud nos, *qvod una, sancta Ecclesia perpetuo mansura sit*: unde non immerito doctrina de *duratione Ecclesiæ*, juxta scripturam, contra varios hæreticos asseritur, & contra *Socinianos* etiam qværitur: *An Ecclesiam perpetuo durare necessum sit?*

2. Circa *statum controversiæ* non hic nulla præmittenda videntur, cum varia sint, qvæ non inutilem observationem merentur. Non enim hic qværitur. (1) *de Ecclesia paradisiaca ante lapsum*, num illa perpetuo duraverit? nam licet *Sociniani* parum vel doctrinæ, vel Ecclesiæ, protoplastis in paradiso tribuant, cum juxta *Smalz. lib. de* Vero & Naturali DEI Filio p. 60. *Adamus ante lapsum instar infantis, vel pueri fuerit, qvi, qvid esset, nudum esse, scire non potuerit*, multo minus aliorum notitiam, cumprimis *rerum divinarum*, eidem tribuendam esse censent: *Ista sapientia*, scribit idem *Smalz.* contr. Fr. p. 44. *rerum divinarum &c.: qvam Adamo ante lapsum tribuit Franzius, una cum aliis, idea qvadam est, in cerebro ipsorum nata, de qva ne γρῦ qvidem in sacris literis:* qva ratione facile videre est, qvod omnem in paradiso vel negent, vel labefactent Ecclesiam; cum sine notitia rerum divinarum Ecclesia consistere neqveat: tamen hic de *Paradisiaca Ecclesia* soliciti non sumus.

3. (2) Neq; de *Ecclesia triumphante*, ejusq; *modernâ*, vel *futura duratione*, de qva pariter ipsi *Sociniani* scripturæ sententiam

ad Gal: V.22. p. 439. ad hæc verba; *Fructus autem Spiritus est:* annotavit: *Enumeravit*, inqvit, *multa carnis opera, & sic declaravit, qvid sit carnis cupiditates perficere: nunc etiam enumerat qvosdam Fructus Spiritus: eaq; ratione ostendit, qvid sit ambulare Spiritu. qvandoqvidem non tantum id superius monuit, ne carni indulgeamus, sed contra etiam, ut* Spiritu *ambulemus, eoq; nos duci patiamur.* Et p. 441. ad verba. *Si vivimus spiritu, spiritu & ambulemus: Postqvam docuisset Apostolus, tum posse, tum debere homines Christianos carnis opera vitare; nunc contra docet, eos etiam posse & debere FRUCTUS SPIRITUS præstare, qvasi dicat: Cum ergo & causa peccatorũ Efficiens fuerint sublata, & CAUSA EFFICIENS PIETATIS, seu vis ad eam in hominibus excitandam satis valida sit in vobis, qvid aliud restat, qvam ut pie vivatis: Vita hac opponitur morti, seu crucifixioni carnis, qvalis autem sit hac vita, seu cujus rei, indicat vox adiecta SPIRITU, id est, qvam EFFICIT in nobis SPIRITUS SPIRITUS nimirum EVANGELICUS, qvi nostrum Spiritum vegetat, animat, alacrem ad omnes actiones honestas facit, illiq; vires ad domandam carnem suppeditat. Qvocirca si hanc vitam in nobis habemus, qvam SPIRITUS, ut sic dicam, inspirat, si nos SPIRITUS DIVINUS animat, Spiritu etiam incedamus, id est, SPIRITUS etiam DIVINUS nos regat, ejus ductum seqvamur in actionibus.*

3. Idem etiam *B. Franzius* Disp. VI. in Aug. Confess. th. 8. proposuerat his verbis: *Causa Efficiens Bonorum Operum prior est Spiritus Sanctus, per Filium DEI effusus super corda credentium. Ideo enim bona opera, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansvetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas appellantur Fructus Spiritus Gal. V. 22. Et hisce operibus studiosè vacantes nominantur* Spirituales *Gal VI. 1. Sic etiam Ezech. XXXVI. 27. dicitur: Spiritum meum dabo in medio vestri, efficiamq;, ut in preceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & faciatis illa. Huc illud, qvando David. Psal. 51.13. petit à DEO, ne amplius ab ipso auferat* Spiritum *Sanctum.*

4. Hæc *B. Franzii*, vel communis orthodoxorum *Theologorum*; & ipsius *Pauli* sententia, palato *Sociniano* minus grata fuit, inde

inde *Smalz.* contra Franz. p. 167 scripsit; *Causam Efficientem bonorum Operum esse Spiritum Sanctum (ut ait Fr. th. 8.) non negamus. An verò ideo bona Opera Fructus Spiritus (Gal. 5.) appellentur, dubium esse videtur.*

5. Ex qvibus apparet non esse qvæstionem. (1) *An Opera bona fructus spiritus appellari possint?* Ejus enim impudentiæ neutiqvam esse voluit Adversarius, cum *Paulo* contradicere voluerit, unde manifestam hanc appellationem concedere necessum habet (2) Nec deo disqviritur: *Num Spiritus Sanctus sit Efficiens causa bonorum Operum?* nam illud etiam negare non vult, licet vel hic, vel alibi parum *Spiritui Sancto* tribuat *Smalzius*, & præterea tales *hypothefes* de *Spiritu Sancto*, deq; nostra *justificatione*, vel *restauratione*, vel etiam de *bonis operibus* foveat, ut vix cum illis hæc assertio consistere qveat. Sed (3) qværitur, *Annon Opera bona Fructus Spiritus à Spiritu Sancto, tanqvam Efficiente causa, Paulo vocentur?* Nos *affirmativam*, *Smalzio* contradicente, sententiam tuemur.

6. Ne vero gratis *Franzio* contradixisse, vel *dicam dubitationis* scripsisse videretur *Smalzius*, propterea nonnullas etiam rationes adjicere voluit. (I) Primum argumentum desumit *ab oppositione operum carnis & Spiritus*: *Qvia opponitur ibi fructus Spiritus operibus carnis. Qvemadmodum igitur Opera carnis sunt ea, qvæ ab affectibus hominum proficiscuntur: sic fructus Spiritus ea bona opera videntur esse, qvæ à ratione hominis promanant.* R. (1) illa *videntur* Smalzio, sed revera non *sunt*, sicut alias dicitur: *multa videntur, & non sunt.* (2) *Oppositio* talis potius contrarium ostendit. Nam *caro* & *Spiritus Sanctus* primò dicuntur opponi, sicut patet ex *Joh. III. 6. Qvicqvid ex carne natum est, caro est, & qvicqvid ex Spiritu natum est, Spiritus est.* Unde *Schlichting. in Com. Evangel. Joh. p. 27. Ex aqva & Spiritu*, scribit; *Non dicit ex aqva & ex Spiritu, tanqvam ex duabus rebus diversis, sed ex aqva & Spiritu, voce Spiritus, cui nec articulum adjecit, per exegesin addita, id est, ex aqva, qvæ Spiritus est, Spiritus ille ADOPTIONIS, qvem Christus effundit in suos discipulos. Ideo mox v. 6. 8. solius Spiritus meminit. Solet enim Spiritus aqvæ comparari, qvi ideo & effundi dicitur. Conf.*

 Tit.

messe poterat: sed de EO DEI SPIRITU, qvalem CHRISTUS largitur, & qvi Evangelicæ doctrinæ proprius est ac peculiaris, qvi id præstare potest, ut aliqvis sit in Spiritu, id est, Spiritualis ex carnali evadat homine. Ostendit autem se meritò præsupposuisse in illis habitare DEI SPIRITUM, siqvidem illos pro veris Christianis reputet. Alioqvin enim, Christi Spiritu præditi non sint, illos non esse Christi, id est, ad Christum revera non pertinere, nec inter ejus veros ac genuinos discipulos numerando esse. (4) Opera *carnalia* qvidem à *carne*, sed opera *Spiritus* non ab *hominis ratione*, sed à *Sancti Spiritus renovatione*, vel *sanctificatione* proficiscuntur.

7. (II) *Qvia fructus* Spiritus *ea bona opera videntur esse, qvæ à ratione hominis, divina revelatione, qvæ in Evangelio continetur, illustrata promanant.* R. (1) *Unius positio, non est alterius remotio*: nam *Spiritus Sanctus*, & *ratio*, per *Evangelium illustrata*, vel *elevata*, non invicem contrariantur, sed *subordinantur*, cum Spiritus Sanctus non *immediate*, sed *mediate*, nim. per renovationem hominis, ejusq; virium, sit Autor Bonorum operum. (2) Idem *B. Frantz. th. 9. seqq.* non obscurius indicaverat, scribens: *Causa efficiens bonorum operum posterior est, Cor & voluntas hominis Renati, seu ad DEum conversi. Non enim sunt bona opera fructus liberi arbitrii, nisi qvatenus jam per gratiam liberatum est I Joh. V. 8. scimus, qvia omnis, qvi est ex DEO, non peccat, sed generatio DEI conservat eum, & malignus non tangit eum Matt. 7. 7. omnis arbor bona fructus bonos facit:* Sed nec illa sine suggillatione *Smalzius* dimittere potuit: sic enim eadem, licet frustra, perstringit: *Bona opera non esse fructus liberi arbitrii, nisi qvatenus jam per DEI gratiam liberatum est, obscurè dictum est, & errore non caret. Certum enim est, hominem etiam non renatum, posse natura, & ratione duce, bona opera præstare, licet non ita perfecte, qvemadmodum is, qvi renatus est, nec est, nec ita perfecta, nec DEO etiam ita accepta, qvemadmodum ea sunt, qvæ qvivis Christianus more facit* &c. ita fingit, qvoad homo non renat. etiam vere bona opera præstare valeat licet non adeo perfecta, qvă renatis tribuit. (3) Ratio *cum* & à *Spiritu Sancto* verè dicitur illuminata, sed sine Spiritu Sancto verè tenebricosa, qvicqvid igitur illuminatæ rationi qva talis est, tribuitur, illud meritò *Spiritui Sancto*, ceu causæ principali, defertur.

8. (III) *Qvia statim additur v. 25. Si Spiritu vivimus, spiritu etiam ambulemus.* R. (1) *Spiritu vivere* est à *Spiritu Sancto vivere*, *Spiritu ambulare*, est *à Spiritu Sancto ambulare*, qvia nec prius, nec posterius humanæ *virtutis*, sed *divinæ benignitatis*. Sic igitur nostra per hæc verba confirmatur sententia. (2) *Paulus* triplex qvasi genus hominum tribus versiculis ultimis insinuat. (a) *hominum Carnalium*, qvi simpliciter indulgent affectibus & concupiscentiis, qvi non sunt Christi; nam qvi Christi sunt, crucifigunt carnem cum affectibus & concupiscentiis (b) *hominum fidelium*, qvi tum *privative* describuntur, qvod carnem cum affectibus & concupiscentiis crucifigere debeant; & *positivè*, qvod Spiritu vivere & spiritu ambulare, semper illis conveniat. (c) *hypocritarum*, qvi sunt inanis gloriæ cupidi, invicem se provocantes, invicem invidentes. (3) Nostram etiam sententiam *Crelliana* loci hujus interpretatio, qvā superius adduxim; confirmo, at: hic *B. Balduini* exegesin Comment. super h. l. saltem producimus: *Spiritu vivere*, scribit, *est à Spiritu Sancto duci, qvod filiorum proprium est: is enim est, qvi vivificat* Joh. 6. *& ex mortuis viventes, ex peccatoribus justos facit: qvi ergo Spiritu vivunt, Spiritu qvoq; ambulare debent, hoc est, in bonis se exercere, ex qvibus spiritualis illa vita in ipsis agnoscitur. Et aphor. 11. d. l. Non sufficit jactare Spiritum Sanctum, qvod & hypocritæ facere possunt, sed si vivimus spiritu, & Spiritu ambulemus, inqvit Paulus v. 25. Nam qvemadmodum ex respiratione vitam agnoscimus in corpore, ita ex motibus piis Spiritum Sanctum, qvi vita nostra est, in anima habitantem animadvertimus, qvo simili utitur* Jacobus *c. 2. 26. Et Christus inqvit ad Nicodemum: Spiritus ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, & qvo vadat, & sic est omnis, qvi natus est ex Spiritu* Joh. 3. 8.

QVÆSTIO SECUNDA.

Num Opera Bona sint specifica differentia fidei justificantis.

1. Circa *qvæstionis Statum* rectius constituendum & cognoscendum, non inutile futurum, si prius unum, vel alterum præsup-

supponamus, & ea, qvæ controversa non sunt, ex oculis removeamus. Notandum igitur. (1) qvod per *Opera bona* non intelligamus hic *opera bona* vel *naturalia*, qvæ naturam ipsam, ceu causam, respiciunt, eamq; mediantibus proprietatibus perficiunt; aut alio modo naturam concernere deprehenduntur: nam certum est, qvod dentur opera bona naturæ, qvæ sunt à natura, in natura, secundum naturam, propter naturam, circa naturam, ad naturam &c: vel *moralia*, qvæ per rectam rationem ex virtutis studio proficiscuntur, & ad virtutis habitum vel constituendũ, vel excolendum, vel exercendum ordinantur; vel *civilia*, qvæ res civiles respiciunt, & ad illarum vel gubernationem, vel conservationem referuntur; vel *œconomica*, qvorum usus multiplex in œconomia necessarius: vel *artificialia*, qvibus artes necessariæ, vel utiles exerceantur &c: Sed *spiritualia*, qvæ secundum articulum præsentem in *Augustana Confessione* considerantur.

2. (2) Qvod *opera bona* non tam ratione *sui*, qvam ratione *DEI*, non *ab extra*, sed *ab intra*, non *in se*, sed *in fide*. vel ejus respectu considerentur, cum in ipsa qvæstione disertis verbis ad *fidem justificantem* referantur, qvando qværitur: Num *opera bona sint specifica differentia fidei justificantis*? adeoq; non tam *hominem operantem*, qvam *fidem justificantem* respiciunt.

3. (3) *Fidem justificantem* ita vocari, non ratione *suæ qvidditatis*, qvocunq; etiam modo qvidditas simpliciter & absolute sine debita relatione declaretur: nulla siqvidem fidei qvidditas, qvatenus in se spectatur & absolute, justificare potest, nec *ratione qvantitatis* qvatenus vel magna, vel parva, cum qvantitatis perse non sit ulla efficacia; nec *ratione qvalitatis*, sive consideretur ut *dispositio*, vel *habitus*, sive ut *potentia* qvædam mentis & voluntatis humanæ, qvamlibet etiam spiritualis potentia significetur: nam ratione sui posse vel naturalis, vel moralis, vel absolutè loqvendo spiritualis, fides opus hoc ingens nostræ coram DEO justificationis præstare valet; sive, ratione *firmitatis*, vel *infirmitatis* spectetur, aut sub aliarum qvalitatum respectibus: qvalitas nostra, vel etiam interna fidei per se coram DEO valere non potest: nec *ratione activitatis*, qvatenus formaliter ut apprehensio, vel

actio.

actio notatur &c. Sed tantum *relative*, respectu **vitæ**, qvam in Christo Jesu possidere dicitur, qvatenus nimirum Christi meritum, & in eo justitiam coram DEO valentem apprehendit.

4. (4) *Per specificam differentiam*, non *differentiam* aliqvam *communem*, qvæ multis convenire qveat; non differentiam *accidentalem*, qvæ per accidens contingere, vel subjecto suo tum adesse, tum abesse posse deprehendatur; non *externam*, qvæ tantum ad extra qvodammodo fidem justificantem respicit, non nude *consecutivam*, qvæ modo qvocunq; fidei justificantis naturam conseqvi videatur, eamq; qvodammodo distingvere dicatur: sed potius de differentia *propria, essentiali, interna & constitutiva* nobis sermo, qvemadmodum ex ipsis **Socinianorum** verbis apparebit.

5. His præsuppositis & ad terminorum evolutionem notatis, circa controversiæ statum explicandum observabimus, qvod non sit in qvæstione (1) *Num opera bona vere bona sint?* Nam omnino sic dicuntur, & qvidem non falsò, sed verè, cum dici reqvirat inesse, ideo suo modo talibus operibus & *bonitatem legalem & Evangelicam* tribuimus (2) *Num opera bona facienda sint?* Nam opera bona juxta Dei legem præcipimus & urgemus, & ab omnibus credentibus reqvirimus. Unde *Confess. Aug. Art. 20.* monet: *Falso accusantur nostri, qvod opera bona probibeant.* (3) *Num opera bona ad fidem referri possint, & jure ad fidem referenda sint?* nos enim multis modis opera bona referenda ducimus ad fidem, cum opera bona sine fide nec fieri, nec esse, nec operari qveant, & omnem suum valorem à fide possideant & obtineant, cum absq; fide sit impossibile placere DEO *Heb. XI 6.* (4) *Num per opera bona fides vera & viva cognosci qveat?* Nam opera bona dicimus esse fidei justificantis symbola, signa, testimonia, indicia &c. secundum illud *Christi Matt. V. 16. Luceat lux vestra* nim. fidei justificantis, *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificetur Pater vester, qvi in cœlis est*: & *Jacobi* c. II, 18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* (5) *Num per opera bona fides vera & viva dignosci qveat?* nam hoc etiam nos credimus & confitemur, qvod *vera fides*, ut *viva*, per bonorum operum

perum ſtudium dignoſcatur à *ficta* & *vana fide*, qvæ bonis operibus deſtituitur, prout *Jacobus* inqvit c. II. 17. *Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa*; & v. 20. *ô homo inanis, fides ſine operibus, mortua eſt.* (6) *Num opera bona ſuo modo differentia fidei veræ juſtificantis appellari qveant?* nam & hoc ſano ſenſu concedere posſumus, cum ratione noſtri, ad extra, à poſteriori &c: fides juſtificans per opera bona dignoſcatur, qvæ propterea notæ, *κριτήρια, τεκμήρια, indicia* &c: fidei juſtificantis appellantur, & pro *differentia* qvadam, ab effectibus petita, communiter venditantur.

6. Sed potius (7) in qvæſtione verſatur, *Num Opera Bona, proprie loqvendo ſint ſpecifica differentia fidei juſtificantis?* Sic enim *Crellius* Comment. in Epiſt. ad Galat. V. v. 6. p. 224. *Præterea ſatis apparet, Paulum hic voluiſſe fidem eam, qva juſtificandi vim habeat, ab ea diſtingvere, qva vim talem non habeat, ut qvisq; ea ratione admonitus, hujusmodi fidem ſibi comparet, qvalis hic deſcribitur, non verò vanam aliqvam fidei larvã ſibi imponat. Atqvi non eſt conſentaneum, eum diſcrimen iſtud petiiſſe à re, qva ad juſtificationem comparandam nihil profit, ac proinde plane ſit extra fidei, cui ſoli juſtificatio ex parte noſtra adſcribitur, naturam. Cur enim non potius differentiam eſſentialem ac ſpecificam, ut vocant, exprimeret. Ubi præterea notandum, qvod in margine ſcripſerit* vel *Crellius*, vel *Schlichtingius*, qvi Commentarium iſtum edidit. *Charitas ſpecifica fidei differentia. Schmalz.* contra *Franz.* p. 362. *Opera ſtatuimus eſſe formam fidei, & ita ipſam qvodammodo fidem, ita, ut qvoad verba, idem dicamus cum Lutheranis, fidem, addo & ſolam fidem, poſt DEI gratiam, ad ſalutem reqviri.* Ex his ſatis apparet, qvam bene *Sociniani* ſibi conſtent, & qvomodo ſingula, qvæ faciunt huc, inter ſe confundant. Eos in verbis qvibusdam nobiscum loqvi, concedimus, ſed in re nobiscum conſentire pernegamus.

7. Probare verò conatur ſuam ſententiam (I) *à Pauli ſcopo*, qvia *Paulus hic voluit fidem eam, qva juſtificandi vim habeat, ab ea diſtingvere, qva vim talem non habeat, ut qvisq; ea ratione admonitus, hujusmodi fidem ſibi comparet, qvalis hic deſcribitur, non verò vanam aliqvã fidei larvam ſibi imponat. Atqvi non eſt conſentaneum, eum diſcrimen iſtud petiiſſe à re, qva ad juſtificationem comparandam*

nihil prosit, ac proinde plane sit extra fidei, cui soli ex parte nostri justificatio adscribitur, naturam. ℞. (1) Apostolus *Gal. II. 16.* mentem suam de justificatione satis exposuit, & operibus prorsus eam denegavit: *Scientes,* inqvit, *qvod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem* Jesu *Christi, & nos in Christo* Jesu *credimus, ut justificemur ex fide* Christi, *non ex operibus legis: propter qvod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et v. 20. *Vivo jam non ego, vivit verò in me Christus. Qvod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii DEI, qvi dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: non abjicio gratiam DEI: si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* (2) Paulus *Gal. V.* directè agit de *usu Christianæ libertatis, charitate, carne & Spiritu,* non autem *directè* agit de *justificatione,* licet *incidenter,* & *materialiter,* ejus mentionem faciat. (3) etsi *Paulus* voluerit *fidem justificantem* à *non justificante* distingvere, non tamen propterea seqvitur, qvod statim *specificam differentiam* introduxerit, cum multæ, præter *specificam,* differentiæ communiter adhiberi soleant. (4) Fides non industria nostra comparatur, sed potius ex divina gratia donatur, cum sit *opus DEI Joh. VI. 29. Dist.* igitur inter *fidem justificantem,* & *habitualiter operantem; illa* DEI donum, *hæc* operum nostrorum effectum est. (5) *Discrimen* fidei, qvod *ab operibus* desumitur, est *à posteriori,* non *à priori,* qva de causa nihil ad *justificationem* facere, nec ad *fidei* naturam pertinere possunt.

8. (II) *à differentia specifica statu:* Sic enim pergit: *Cur enim non potius differentiam essentialem ac specificam, ut vocant, exprimeret, præsertim cum neqvaqvàm credibile sit, illam obscuram esse, aut talem, qvam etiam rudissimus qvisq; non posset cognoscere: siqvidem unusqvisq; hanc fidem præstare, si salutem adipisci velit, debeat.* ℞. (1) non omnium rerum *differentiæ specificæ* dari, vel cognosci possunt, sicut ex *Philosophia* notum: Si proinde difficulter in Philosophia, vel rebus natura notis & omnibus obviis, *differentiæ specificæ* cognoscuntur, multò magis id de salutis mysteriis concedendum erit. (2) Imò potius hoc notandum est, qvod in prædicamentis tantum *differentiæ specificæ* reperiantur, jam autem fides justificans cum aliis mysteriis prædicamenta transcendit, neq; *differen-*

ferentiam specificam admittit. (3) Cognitio fidei non pendet ex *intellectus*, sed potius ex *Sancti Spiritus operatione*, & potius in *justificatione*, qvoad πρᾶξιν, qvam qvoad γνῶσιν, reperitur, qvia per *fidem justificantem Christus*, ejusq; *meritum* apprehenditur, licet illud *Sociniani* concedere nolint, tamen alibi satis illud confirmatur. (4) Falsum est, qvod fides justificet, qvatenus *eam homo praestat*, sed potius salutis causa dicitur, qvatenus *DEus eam donat Eph. II. 8.*

9. (III) *Ex necessario nexu*: qvia *ex eo ipso, qvod hac differentia fidem, justificandi vim habentem, ab ea, qvae vi hac careat, distingvat, conseqvitur, eam saltem cum fide vera, seu justificante, tanqvam effectum, cum causa propria, necessario cohaerere. Atqvi necessario non cohaereret, nisi ipsa qvoq; ad salutem conseqvendam esset necessaria, seu conditio, sine qva salutem DEus dare nobis non vult, ac proinde etiam fidei illius, cui soli ex parte nostra tribuitur justificatio, pars existeret:* R. (1) Si juxta *Philosophos* proprie *differentiam specificam* intelligimus, potius contrarium inde seqvitur, cum notum sit, qvod *differentia specifica* non *connexionem*, vel *consecutionem*, sed *constitutionem* inferat, siqvidem *constitutiva speciei*, sicut *distinctiva generis* dicitur, & propterea *specifica* vocatur, qvia *speciem efficere* deprehenditur. (2) Si differentia haec, qvae *bonis operibus* tribuitur respectu *fidei*, cohaeret cum fide, tanqvam *effectum cum causa*, seqvitur, qvod neutiqvam sit *differentia specifica*, qvia *differentia specifica* non est, nec esse proprie potest *effectum*. (3) *Bona opera* neq; sunt *conditio sine qva* non justificationis, aut salutis, prout non semel alibi fuit à nobis demonstratum; & licet talem conditionem inferrent, non tamen propterea *differentiam specificam* exprimerent, cum inter *conditionem sine qva non*, & *differentiam specificam*, maxima sit differentia (4) Falsum est, qvod opera bona *necessaria sint ad salutem conseqvendam*, cum tantum *à posteriori* necessaria sint ad *salutem ostendendam*. (5) Falsum etiam, qvod opera bona sint *fidei justificantis pars*, cum, juxta scripturam, potius sint *fructus* & *effectus*, unde h. l. fides *per charitatem ἐνεργουμένη* vocatur.

10. (IV) *à fidei justificantis conceptu*: qvia *ne fingi qvidem po-*

 test

test ulla fides, qvæ necessariò charitatem, & bona Opera producat, si bona opera nihil ad justificationem conferre statuantur: Ergo Bona opera sunt *specifica fidei differentia*, qvia conceptum fidei justificantis ingrediuntur. ℞. (1) *Proprius fidei status* atq; *conceptus* ad *intra*, non ad *extra*, ad *DEum*, non ad *hominem*, ad *Christum, ejusq; meritum*, non ad *opus, vel effectum* respicit, qvia fides in vita Christi, vel in Christi justitia, qvam apprehendit, consistit *Gal. II. 20.* Hinc. (2) dicitur aliàs, qvod *vita fidei* sit vel *essentialis*, vel *causalis*, vel *respectu DEI*, vel *respectu nostri*, vel *formalis*, vel *materialis*, vel *interna*, vel *externa* &c. prioribus respectibus in Christo vivit, vereq; justificat, posterioribus in effectis vivit, suamq; vitam internam manifestat (3) Si fides opera bona vel necessario, vel non necessario producit, seqvitur, qvod opera bona non pertineant ad fidei *statum proprium & essentialem*, cum fides sit *causa*, sed opera bona sint *effectum*, qvod etiam Crellius th. 9. asserebat: jam autem nullus *effectus* est de *causæ natura*, vel *essentia*, de *proprio ejus statu*, vel *conceptu*, adeoq; fides & concipi, & cognosci potest sine bonis operibus, nec ullis hic figmentis opus esse dicitur. (4) Si fides justificans opera bona producit, seqvitur, qvod opera bona neutiqvam aliqvid ad justificationem conferant, qvia nihil ad causæ naturam effectus conferre potest: nam ut causa plena sit & perfecta, priusqvam effectum producat, omninò necessarium est, qvia secus operaretur, anteqvam esset, vel anteqvam causa foret, qvod minimè concedendum (5) Positis tamen his omnibus, sed minimè concessis, nondum immediate seqvitur, qvod opera bona sint *specifica differentia*, cum plura sæpius *rei conceptum*, vel *statum* ingrediantur, qvam *differentia specifica*.

11. (V) *à fidei justificantis actu*, qvia *inde fit, ut fides vera, qvæ justificationis causa est, qvoad nos prima, bona opera necessario pariat, qvia ejusmodi est animi inductio, ac certis fundamentis nixa persvasio, te non aliter, nisi pie vixeris, sempiternam vitam consecuturum, atq; adeo pietatem vitæ, seu bona opera salutis adipiscendæ conditionem, causamq; esse.* ℞. (1) posito, qvod sint opera bona vel *conditio*, vel *causa* salutis, non tamen simpliciter statim sunt *differentia specifica* fidei justificantis, cum magis immediata determinatio

sit

sit ad *specifica differentia* demonstrationem necessaria. (2) Falsum, qvod vel *conditio*, vel *causa* salutis sint opera bona, cum *salus* sit *donum DEI Eph II.8.* adeoq; nec à nostris operibus causaliter, nec conditionaliter pendet. (3) *Fides vera*, qvæ primò respectu nostri justificat, est causa justificationis, nec qvatenus est animi inductio, vel certis fundamentis nixa persvasio, nec qvatenus est operum bonorum productio, sed qvatenus est justitiæ coram DEO valentis *Rom. III.24.* apprehensio: nam justificatio non est *opus humanum*, sed *divinum*, qvia DEus est, qvi justificat *Rom. IIX. 31.* justificare verò non potest sine justitia sive propria, sive sit aliena: cum igitur propriam justitiam nos peccatores non possideamus, qvam DEO, propter peccatum irato, humiliter offerre qveamus, omnino necessarium, ut alienam justitiam afferamus, & nobis ex gratia divina per fidem conferamus, ut coram judicio DEI consistere valeamus.

12. (VI) *A persvasionis, vel opinionis hujus defectu*: qvia *si tollis hujusmodi ex fide sententiam & opinionem, nimirum, te non aliter, nisi pie vixeris, sempiternam vitam consecuturum, & tollis ab eadem necessitatem, bona opera pariendi, vel ipsam fidem tolles.* Jam verò, *quo sublato, tollitur res ipsa, illud est specifica differentia.* R. (1) *Canon* iste simpliciter non procedit, cum de partibus essentialibus omnibus valeat, adeoq; non statim *specificam differentiam* inferat: sed ita limitanda venit: qvo sublato, *tanqvam formali*, illud est specifica differentia, si non *formaliter*, tamen *materialiter*, cum non omni respectu *forma* sit *differentia specifica*, nec *specifica differentia* sit omni modo *forma*. (2) aliud est bona opera *distingvere*, vel *distincte considerare*, & aliud est eadem à *fide divellere*, vel prorsus *separare* nos opera bona neutiqvam à fide divellimus, sed tamen ut effectum à causa, juxta *Crellium* ipsum, distingvimus, & respectu diverso, propter gravissimas causas, à negotio justificationis excludimus, cum justificatio sit opus DEI, non hominis. (3) Fides coram judicio divino considerata respectu justificationis non æstimatur ex *nostra sententia*, nec ex *sua energia*, sed potius ex *gratia justificationis, & meriti, justificationem acqvirentis, præsentia*, cum aliàs justitia propter suam severitatem acqviescere non pos-

set. (4) *Dist.* inter *præsentiam materialem*, & *formalem*: licet ejusmodi vel opinio boni propositi dicatur adesse, tamen non *formaliter* adest, *qvatenus* homo peccator justificatur, sed *materialiter* ei tantum adest, *qvi* justificatur. (5) *dist.* inter *infantes* & *adultos*: licet in adultis talis persvasio præsens esse possit, tamen de infantibus idem dici neqvit; jam autem *specifica differentia* semper *qvoad rem*, non autem *accidentaliter*, vel *materialiter*, qvoad *subjecta*, necessario reqviritur.

13. (VII) *è bonorum operum vel defectu, vel neglectu*: qvia *si bona opera nihil ad salutem facere per se credis, qva res, qva fides te adiget, ut ea necessariò tibi putes præstanda, atq; adeo reipsa præstes?* ℞. [1] Multa sunt necessaria, multa pariter utilia sunt, qvæ tamen propterea non statim ad salutem vel *necessaria*, vel *utilia* sunt: à *simpliciter ad secundum qvid est συφιστικῶς* argumentari. (2) Licet *salutis conseqvendi ratio* non inferat bonorum operum necessitatem, tamen *salutis acqvisita ratio* nos ad bonorum operum studium excitat. [3] Multa sunt alia, qvæ nos urgent, ut opera bona faciamus, licet per opera bona salutem non adipiscamur, qvalia sunt *DEI voluntas*, *DEI mandata*, *DEI beneficia*, *nostrum officium*, *nostrum debitum & obseqvium*, & alia qvamplurima, qvæ nos adigunt, ut opera bona præstanda putemus, & ipsa re qvoq; præstemus.

14. (IIX) *à salutis finali statu*: qvia *qvi salutis causa pie non vivet, ille nullius rei causa pie necessariò vivet*. ℞. (1) *Dist.* inter *salutem legalem* & *Evangelicam*: si homo permansisset in statu integritatis, utiq; legi divinæ satisfacere potuisset, & per obedientiam legis æternam salutem consecutus fuisset: hodie verò, qvia non ex *justitia*, sed ex *gratia*, non ex *lege*, sed *Evangelio*, non ex *opere*, sed ex *fide*, salutem expectare necessum habet, salus non *est legis*, sed *Evangelii finis*, cum ex lege non justificetur ulla caro *Rom. III, 20.* (2) Posito, qvod *salutis causa* pie vivere debeamus, tamen illud non statim ad *salutis consecutionem*, sed potius ad *ejus manifestationem*, referendum est: multo minus inde seqvitur, qvod opera bona sint *fidei justificantis differentia specifica*. (3) *Salutis causa pie vivere*, vel sumitur *formaliter*, vel *materialiter*, & *conseqventer*; licet *materialiter*, pie vivere debeamus, ut candidati salutis æternæ, tamen pro-

propterea nec *causaliter*, nec *formaliter*, ad salutis consecutionem illud referre fas est.

15. (IX) *à conseqvente absurdo:* qvia *contradictione se involvunt, qvicunq; bonis operibus omnem justificationis nobis comparandæ vim adimunt, & tamen ea fidei necessarium conseqvens esse statuunt.* ℞.(1) *contradictionis* arguere, non est *contradictionem* ostendere, cum accusare non sufficiat. (2) non hæc nostra, sed Sancti Spiritus assertio, qvi ratione justificationis inter *fidem* & *opera* perpetuam oppositionem introducit, & *fidei* justificationem tribuit, sed *operibus* illam adimit, prout multis, iisq; clarissimis scripturarũ testimoniis, id demonstrari posset, nisi res omnis in aprico posita foret (3) omnem *justificationis comparandæ vim operibus adimere,* & tamen *opera fidei conseqvens necessarium statuere*, minimè pugnant, cum *conseqventia* nihil qvicqvam faciant ad *comparationem*, sed potius, tanqvam *fructus*, omnem *comparationem* fidei I. justificationis seqvantur.

16. (X) *à distinctionis inter opera, & meritum operum, vano conceptu*; qvia *vanissima est illa hac qvidem in parte distinctio, cum dicunt, se opera non tollere, sed operum meritum. Nam si tam late meritum extendunt, ut eo nomine complectantur qvamvis vim bonorum operum, qvam, etiam, divina gratia accedente, ad justificationem pariendam, habeant, adeoq; nullum illis inter salutis causas relinqvant locum; qvi tale meritum tollit, Bonorum operum necessitatem, & sic ipsa bona opera tollit. Qvod si meritum proprie sumant, ita, ut id gratiam divinam in nobis justificandis excludat, jure qvidem id faciunt, sed propterea non debent bonis operibus omnem vim ad nos, ex gratia DEI justificandos adimere, seu ex mediis justificationis causis ea penitus eliminare. Neq; enim omnis justificationis causa protinus meritoria est: siqvidem nec fides proprie justificationem meretur, aut gratiam DEI excludit, & tamen media salutis causa est. Eodem ergo pacto & bona opera inter medias salutis causas locum habere possunt, etsi eorum meritum tollas.*

17. ℞. (1) Qvod inter ipsa *opera*, & *operum meritum*, maxima discrepantia, vel ex ipsis terminis apertum, ut alia nunc taceamus, qvæ prolixe producere possemus. (2) Etiamsi vox *meriti* refe-

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo VII.
AUGUST. CONFESSIONIS
DE

ECCLESIA

Disp. XI.
R. Johann Melchior Doetschmann, Halâ Svevus.

QVÆSTIO PRIMA.

An Ecclesiam perpetuo durare necesse sit?

1.

IN *Augustana Confessione Art. 7.* dicitur statim ab initio: *Docent* nimirum Ecclesiæ apud nos, *qvod una, sancta Ecclesia perpetuo mansura sit*; unde non immerito doctrina de *duratione Ecclesiæ*, juxta scripturam, contra varios hæreticos asseritur, & contra *Socinianos* etiam qværitur: *An Ecclesiam perpetuo durare necessum sit?*

2. Circa *statum controversiæ* non hic nulla præmittenda videntur, cum varia sint, qvæ non inutilem observationem merentur. Non enim hic qværitur. (1) *de Ecclesia paradisiaca ante lapsum*, num illa perpetuo duraverit? nam licet Sociniani parum vel doctrinæ, vel Ecclesiæ, protoplastis in paradiso tribuant, cum juxta *Smalz. lib. de* Vero & Naturali DEI Filio p. 60. *Adamus ante lapsum instar infantis, vel pueri fuerit, qvi, qvid esset, nudum esse, scire non potuerit*, multo minus aliorum notitiam, cumprimis *rerum divinarum*, eidem tribuendam esse censent: *Ista sapientia*, scribit idem *Smalz.* contr. Fr. p. 44. *rerum divinarum &c: qvam Adamo ante lapsum tribuit Franzius, una cum aliis, idea qvadam est, in cerebro ipsorum nata, de qva ne γρῦ qvidem in sacris literis:* qva ratione facile videre est, qvod omnem in paradiso vel negent, vel labefactent Ecclesiam; cum sine notitia rerum divinarum Ecclesia consistere neqveat: tamen hic de *Paradisiaca Ecclesia* soliciti non sumus.

3. (2) Neqꝫ de *Ecclesia triumphante*, ejusqꝫ *moderna*, vel *futura duratione*, de qva pariter ipsi *Sociniani* scripturæ senten-

 tiam

tiam non admittunt, cum negent, esse nunc *Ecclesiam triumphantem* in cœlis, & sic eam hodie durare. Sic enim *Smalz.* contr. Fr. p. 273. scribit: *Nulla revera nunc est triumphans* (Ecclesia) *sed olim futura est, cum Christus JEsus venerit redditum unicuiq; secundum operu ipsius.* Nam *Augustana Confessio* in toto articulo *septimo* non de *triumphante*, sed de *militante Ecclesia*, doctrinam orthodoxam proponit.

4. (3) Neq; de *certa militantis Ecclesiæ specie* qvæstio præsens intelligenda venit, qva ratione *Sociniani* fingunt, Aliam *Ecclesiam Adamiticam*, aliam *Abrahamiticam*, aliam *Mosaicam*, aliam *Christianam* pro *diversa religione*, qvam itidem sic *specie diversam* fabulantur, adeoq; sic etiam *specie diversas Ecclesias* comminiscuntur, sicut, *Volkel. l. 2. de Ver. Relig.* c. 8. agit de *Religione primi mundi*, *c. 9. de Religione, Abrahamo tradita c. 10. seqq. de Religione Mosaica c. 10. seqq. de Religione Christiana, l. 3. c. 1. seqq.* & unicuilibet harum religionum, ratione cultus, *diversa præcepta* & *promissa* tribuit. Nos enim juxta *Paulum Eph. IV. 4.* non *plures*, sed *unam* tantum novimus Ecclesiam, in paradiso plantatam, temporibus *Adami, Abrahami, Mosis*, continuatam & illustratam, & tempore *Christi* confirmatam, adeoq; sic in militia hujus mundi perpetuo durantem, non obstante eo, qvod variis scommatibus *Sociniani* doctrinam hanc orthodoxam traducant. Sic enim S*malz.* d. l. p. 275. *secunda fabula est, qvod Ecclesiam ex lapsu perditam, DEum in filio suo restaurare probat* (Francius) *ex loco Gen. 3. 15. Ubi nec Ecclesiæ, nec Filii, nec restaurationis ulla mentio fit, aut similitudo est.*

5. (4) Neq; qværitur de *florente*, vel *certo Ecclesiæ statu*, num Ecclesia militans his in terris ita duret, ut semper floreat, & debitam integritatem, ac conspicuam eminentiam retineat? Nam hoc etiam nos minime simpliciter asserimus; sed potius contrarium contra *Papistas* defendimus, ut vel ex omnium, vel plerorumq; Doctorum & Interpretum hujus *artic. VII. August. Conf.* videre licet, cum certum sit, qvod non semper visibiliter Ecclesia floreat, sed sæpius tempore persecutionis invisibiliter lateat. Videntur eqvidem *Sociniani* nobiscum hac in re sentire, sicut *Smalz.* d. l. p. 284. *An Ecclesia visibilis aliqvando penitus interierit,*

ex

ex Ostorodo, scilicet Franzius sect. 9. disputat: *Hic omnia, qvæ Franzius scribit, perseqvi esset hominem imitari, qvi vel falsus est, vel fallere alios vult. Itaq; summam rei exponam, ut qvid hac de re lector benevolus statuere debeat, in promtu habeat. Nusqvam dicit Ostorodus, se sentire, Ecclesiam non semper mansisse: qvia contrarium dicere videtur, dum dicit, ex locis Apocal. qvos allegant illi, qvi omnem Ecclesiam interiisse affirmant, constare, semper aliqvam fuisse Ecclesiam, qvantumvis obscuram. Affirmat autem Ostorodus, & nos cum eo, Non necesse esse, statuere semper aliqvam, præsertim visibilem, fuisse Ecclesiam. Interim eam esse potuisse, nec ipse, nec nos negamus.* Verum ipse S*malzius* d. l. in margine notat: *NON EST NECESSE, semper aliqvam fuisse Ecclesiam*: qvibus thesin doctrinæ suæ satis luculenter indicat, & *contradictoriam* nostræ theseos *antithesin* verbis apertissimis format. Deinde verbis dubiis mentem suam explicat: *Non necesse esse semper, ALIQVAM PRÆSERTIM VISIBILEM fuisse Ecclesiam.* Si tantum de visibili statu loqveretur, *Franzio* non contradiceret, neq; contra *Lutheranos* disputaret, nec omnem insuper Ecclesiæ durationem disertè negaret: *Non est necesse, semper ALIQVAM fuisse Ecclesiam.* Deniq; *Franzius* ipse *Disp. IIX. th. 44.* hæc monuerat inqviens: *Etsi autem Ostorodus rectè facit, qvod rejicit hanc temerariam opinionem, unde nec nos in ea conficienda, & refutanda, vel ullum unum verbum amplius adjiciemus, tamen è regione incidit in temeritatem non minus exigvam, qvando contendit*, se qvoq; non posse affirmare, vel statuere hoc ipsum pro certo, qvod Ecclesia semper manserit, vel esse, aut manere debuerit, & debeat. Et qvod *B. Franzius* nullam *Ostorodo* fecerit injuriam, patet ex hujus disertis verbis *Instit.* c. 42. p. 412. Wir sagen dis nicht darumb/ als wenn Wirs gantz gewiß dafür hielten/ das allewege die Kirche gewesen sey. Ergo hoc nec affirmare, nec certo statuere vult *Ostorodus*, qvod Ecclesia semper fuerit, aut perpetuo duret, vel durare debeat, qvod nunc est controversum.

6. (5) Non qværitur de *necessitate absoluta*, num *simpliciter* sit *necessarium, Ecclesiam perpetuo durare*, cum certum sit, qvod nec *ab intra*, ratione *sui* perpetuæ durationis causas *per se* foveat, &

ab extra, propter innumeros & potentissimos hostes, cumprimis spirituales, varias suæ mutationis, imò corruptionis causas admittat, nec omnes impetus, atq; vaferrimos dolos adversariorum evitare, vel avertere valeat. Sed hanc durationem, respectu DEI, potius intelligendam esse censemus, qvod etiam prolixe *B. Franz. l. d.* demonstravit inter alia sic colligens: *Si ubicunq;, & qvandocunq; Verbum DEI prædicatur, ibi semper aliqvid fructificat, utiq; necesse est, ut in omni loco & tempore reperti fuerint, reperiantur, & reperiri possint aliqvi, seu homines pauci, seu cœtus, sive magni, sive exigvi, vere credentes, & viventes secundum Verbum DEI: sed prius. Ergo & posterius. Connexionis antecedentem partem, adeoq; totius argumentationis hujus nervum suppeditat, partim illud ipsius DEI pronunciatum Esa. 55. 10. &* Salvatoris parabola *Matt. 13. in seminando, hoc est, in verbo DEI sparso, alia cadunt juxta viam, alia in petrosa, alia in spinas, alia in terram bonam. Et hæc, qvæ cadunt in terram bonam, dant fructum aut trecenum, aut sexagenum, aut centenum.* Unde respectu divinæ promissionis hæc necessitas erit intelligenda.

7. (6) Sed qværitur de *Ecclesia militante*, qvoad *rem ipsam* citra *restrictionem ad statum visibilem*, num illam perpetuo durare necesse sit? *Nos* scribit Venerandus *Dn. D. Calovius* Socinism. profig. sect. 8. art. 1. contr. 1. *Ecclesiam & perpetuo duraturam, & divinitus ita decretum, eiq; hoc promissum, adeoq; vi hujus decreti ac promissi divini necessarium esse, statuimus, ut perpetuo duret atq; conservetur Ecclesia usq; ad finem mundi, non qvidem conspicua semper atq; visibilis, sed simpliciter vera Christi Ecclesia, sive visibilis atq; conspicua ea sit, sive invisibilis atq; occulta, qvam conservari qveat, utut publico religionis exercitio, ut in statu presso fit, non gaudeat, & in occulto lateat, qvod utiq; concedunt* Sociniani, *dum distinctionem Ecclesiæ visibilis atq; invisibilis adversus Pontificios propugnant, ut ex Ostorod. liqvet l. d. p. 4.7. Catech. Racov. &c:*

8. Hic nostram sententiam ajentem seqventibus argumentis confirmatam reddit. (1) *è luculenta Christi promissione Matt. XVI. 18. (2) è præsentiæ Christi pollicitatione Matt. XXIIX. 20. (3) è speciali Ecclesiæ denominatione I. Tim. III. 15. qvia dicitur* στῦλος

& ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας [4] *à ministerii verbi & Sacramentorum conservatione Esa. XXX. 20. 21. LIX. 21. LXII. 6. 7. Jerem. XXXI. 36. 37. 40. Joel II. 32. Obad. 17. Psal. LXXII. 15. &c.* [5] *à singulari, eaq; efficaci Christi intercessione Joh. XVII. 11. 20. &c:* [6] *è jugi Electorum & Fidelium sustentatione Joh. X. 28. Psal. XCIV. 14. Jerem. XXXI. 41. II. Tim. II. 19. &c:* [7] *E regni Christi spiritualis hîc in terris perenni duratione* Psal. *XLV. 7. XLIIX. 9. LXXXIX. 36. Esa. IX. 7. Dan. II. 44. Luc. I. 33.* [8] *è perpetua corporis & capitis relatione, qvia Christus caput, Ecclesia corpus* [9] *è parabolica locutione Matt. XIII. 24. 25.* [10] *è Symboli Apostolici confessione: Credo Ecclesiam Catholicam, qvæ catholica & omni tempore verè sit, necessum. est* [11] *Ex hypotheseos falsitate, cum error gravissimus sit, qvem hic supponere conantur, DEum decernere non potuisse, nec promittere, perpetuam Ecclesiæ durationem &c:* qvæ singula fundamenta prolixius deducta, lector c. l. invenire poterit.

9. Sed, his non obstantibus, *Sociniani negativam* assumunt sententiam, ut passim ex scriptis ipsorum videre licet. Nos hac vice missis aliis *Volkel.* l. 5. de Vera Relig. c. 7. p. 391. audiemus, ubi negat, *Ecclesiam veram semper usq; ad mundi finem extare. Rationes* seqventes adducit. (I) *Qvia id à DEO decretum non est.* R. (1) dicit hoc adversarius, non probat. (2) Contrarium ex sacris literis non tantum passim deducitur, sed clarissimis etiam verbis asseritur *Esa. LIX. 21. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, qvæ posuit in ore tuo, NON RECEDENT de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, à MODO & USQVE IN SEMPITERNUM.* Confer. *Psal. XLV. 7. Jerem. XXXI. 35. seqq. Matt. XVI. 16 seqq.* (3) De *decretis divinis* ex *factis externis* infallibilis certitudo colligitur; jam autem notum est, qvod DEus actu conservet Ecclesiam, ergo qvoq; vult conservare: qvod autem DEus in hoc negotio vult, illud etiam rectissime decernere dicitur.

10. (II) *Qvia illud decerni non potuit à DEO, Ecclesiam veram semper usq; ad finem mundi extare, nisi vel humano arbitrio vim inferre, vel religionis naturam mutare voluisse censendus est: cum ea res non ex sola ipsius voluntate pendeat, sed in ipsorum etiã ho-*

 minum

minum arbitrio magnam partem sita sit. Nam ut Ecclesia vera extet, à qvâ omnes salutaris veritatis notitiam indubitato petere qveant, reqviritur, ut homines complures veritatem eam amplectantur ac profiteantur, & cœtum aliqvem, qvi & in omnium oculos incurrat, constituant At in ipsorum hominum arbitrio positum, utrum id facere velint, nec ne? nec qvisqvam ad eam rem à Deo cogitur. ℞. (1) si qvis nostrum hoc DEO tribueret, statim *Sociniani* clamarent, nos *DEI potentiam* inficiari: cum certum sit, omninò DEum liberum hominum arbitriū pro bona sua voluntate flectere posse. (2) Falsum, qvod tale decretum, de perpetua Ecclesiæ duratione, humano arbitrio vim inferat, vel etiam naturam religionis immutet: non *prius*, qvia non repugnante, sed facile consentiente nostro arbitrio durat Ecclesia: nam si duratio Ecclesiæ *libero arbitrio* vim inferret, nunqvam Ecclesia consistere posset, cum DEus arbitrio nostro vim inferre, vel hominem ad sui cultum cogere nolit; non *posterius*, qvia natura religionis per Ecclesiæ durationem non immutatur, sed potius continuatur, & conservatur, qvemadmodum notum est, qvod religio, vel ejus natura non sit contra, sed *juxta*, vel *intra* veram Ecclesiam, & qvod in hac illa custodiatur. (3) Confundit adversarius *visibilem statū Ecclesiæ*, cum *ipsa Ecclesia*: cœtus aliqvis, qvi in omnium oculos incurrat, est de *visibili statu Ecclesiæ, non* simpliciter de *natura Ecclesiæ*: nam ad *Ecclesiæ simplicem existentiam*, præcise necessarium non est, ut Ecclesia vera taliter extet, ut ab eadem omnes salutaris veritatis notitiam indubitato petere qveant, nec ad *hoc* necessarium, ut homines complures sic veritatem eam amplectanrur ac profiteantur, ut cœtum aliqvem, qvi in omnium oculos incurrat, constituant. (4) Nec simpliciter in hominum est arbitrio positum, utrum veritatē amplecti & profiteri velint, nec ne? cum *velle* potius sit negotium *divini beneficii*, qvam *humani arbitrii*: nam & *velle* & *perficere* DEus dare dicitur *Phil. II. 12. Dist.* autem inter *velle* & *nolle*, qvæ respectu hominis corrupti non sunt ejusdem conditionis: nam homo non potest *velle*, nec potest *facere*, qvod est veræ vel conversionis, vel confessionis, cum hæc sint *divini beneficii*; potest tamen nolle, cum hoc sit *corrupti arbitrii*, dum prudentia

car-

carnalis inimicitia adversus DEum *Rom. IIX. 7.* (5) licet ad religionem à DEO nemo cogatur, tamen propterea neutiqvam *dependentia religionis* ab *arbitrio humano* confirmatur, sed potius per DEI gratiam humanum arbitrium elevatur.

11. (III) *Qvia Paulus certe Rom. XI. 20. seqq. apertissime indicat, universam Ecclesiam, ex gentibus collectam, atq; adeo etiam Romanam, cum qva illi istic nominatim res est, non minus, qvam judaicum populum, fide excidere, & à DEO rejici posse, inq; ipsorum hominum arbitrio situm esse, num permanere in fide velint, nec ne:* R. (1) illud verissimum est, qvod Ecclesia *judaica* tempore *Christi*, sicut & *Pauli* defecerit; certissimum etiam est, qvod *gentilis*, vel etiam *Romana* deficere potuerit, & qvod actu Romana jam dudū defecerit, sed inde non seqvitur, qvod simul & semel Ecclesia tota deficere debeat. Hinc (2) committitur *fallac. Ignor. Elench.* non de τῷ *posse*, sed De τῷ *debere*, vel etiam de τῷ *actu deficere*, potissimum hic disputatur. (3) *Dist.* inter *Ecclesiam totam*, & *ejus partes*: hæ subinde deficiunt, & sic etiam successivè deficere possunt: sed tota, cum omnibus partibus, simul & semel non deficit. (4) τὸ *posse deficere* vel consideratur respectu *nostri*, vel respectu *DEI*; vel respectu *nostræ virtutis*, vel resepectu *divinæ promissionis*: homines in Ecclesia ratione *sui*, vel *humanæ virtutis*, & deficere *possunt*, & *actu* qvoq; deficiunt, sed Ecclesia tota ratione *divinæ promissionis*, nunqvam actu deficere debet. (5) licet τὸ *nolle permanere in fide* sit *arbitrii humani*, tamen falsum est, qvod in arbitrio nostro positum sit, τὸ *velle permanere in fide*, cumprimis si nostrum arbitrium non ratione *gratiæ divinæ*, sed ratione *naturæ humanæ* spectetur: & falsissimū est, qvod id *Paulus* l. d. asserat, cum non de τῷ *posse*, nec de τῷ *velle* nostro, sed potius de *permansionis statu, ex gratia DEI* considerato, sermonem, faciat: *Dicis ergo*, scribit; *Fracti sunt rami, ut ego inserar: Bene, propter incredulitatem fracti sunt: Tu autem fide stas: noli superbe de te sentire, sed time. Si enim DEus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & severitatem DEI: in eos qvidem, qvi ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem DEI, si permanseris in bonitate, alioqvin & tu excideris. Sed & illi, si non per-*

manserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim DEus iterum inserere illos &c.

12. (IV) *Qvia non est, qvod qvis certam aliqvam Ecclesiam hoc privilegio à DEO donatam esse contendat, ut fide excidere neqveat.* ℞. [1] aliud est loqvi de *certa Ecclesia*, qvæ non est *universalis*, sed *particularis*, nim. in *certo qvodam cœtu*, vel in *certo loco:* hæc igitur ratio non ferit controversiæ statum, qvæ totam Ecclesiam respicit; qvod enim certa qvædam Ecclesia deficere possit, illud tum *ex dictis Biblicis*, tum *ex innumeris exemplis*, tum *ex evidentissimis argumentis*, tum *ex consentientibus nostrorum Theologorum suffragiis*, est liqvidissimum, & nunqvam à nostris negatum. [2] *Dist.* inter *immunitatem absolutam*, & *ordinatam, à metu apostasias*; non *illam*, ad qvam *Volkelius* respicere videtur, qvæ juxta *Reformatorum* sententiam fingitur, sed *hanc*, qvæ cum verbo DEI conjungitur, & ex eodem proficiscitur, juxta *Lutheranorum* sententiam, nos approbamus.

13. (V) *Qvia non potest Ecclesia vera certo cognosci, nisi prius cognoscatur, qvæ sit salutaris Christi doctrina. De nullo enim hominum cœtu certo tibi constare potest, eam esse veram Ecclesiam, nisi cognoscas, eam amplecti ac profiteri salutarem Christi doctrinam. Unde autem id certo deprehendes, nisi scias, qvænam sit salutaris Christi doctrina. Qvare aliud qvippiam, præter Ecclesiam, extare necesse est, unde cognoscas salutarem Christi doctrinam. Alioqvi prius cognoscenda esset salutaris Christi doctrina, qvam agnosceretur id, unde illa cognosci debet. Præterea illud ipsum saltem debuisset alicubi in sacris literis clare & perspicuè scriptum extare, debere ab Ecclesia peti omnia, qvæ ad salutem scitu sunt necessaria, & qvænam ea sit Ecclesia, ac unde debeat cognosci, clare describi, neqvis in ea cognoscenda facile errare possit. Nam si qvippiam scriptu fuisset necessarium hoc sane fuisset, sine qvo reliqva omnia, qvæ scripta sunt, nihil, aut parum admodum prodessent. At id nuspiam factum legitur.* ℞. [1] *Ecclesia* per *Dei verbum* apodictice cognoscitur ut vera, qvia verbo DEI, tanqvam fundamento, superædificatur, cum superædificati simus super fundamenta prophetarum & Apostolorum, ipso angulari lapide existente Jesu Chri-

Christo *Eph.* II 20. sed *verbum Dei* per *Ecclesiæ ministerialem χειραγωγίαν*, vel *παιδαγωγίαν*, cognoscitur, adeoq; hæc ad se mutuo referenda, neutiqvam autem à se mutuo divellenda, vel sibimetipsis invicem opponenda sunt. Sic igitur Ecclesia per scripturam, &, suo modo, scriptura per Ecclesiam cognoscitur. (2) *Nulla consequentia* datur: Si non potest Ecclesia vera certo cognosci, nisi prius cognoscatur, qvæ sit salutaris Christi doctrina, atq; sic aliud qvippiam præter Ecclesiam extare necesse est, Ergo Ecclesia non potest, vel debet semper durare: nam Ecclesia propter DEI *paternam curam*, sive *providentiam*, & propter *divinæ promissionis benevolentiam* & *beneficentiam*, non autem propter suam *evidentiam*, vel *notitiam*, semper extare dicitur. (3) Potius invertitur hoc argumentum: Si scriptura, vel DEI verbum, semper existit, qvod est fundamentum Ecclesiæ, seqvitur etiam qvod Ecclesia semper existat, & ex scriptura salutarem Christi doctrinam hauriat, qvia nunqvam est ociosum, sed semper fructuosum, ut constat ex *Esa. XLV. 11.* At verum prius, qvia verbum DEI manet in æternum Esa. XL. 8. E. & posterius. (4) *Dist.* inter *Ecclesiæ perpetuam existentiam*, & inter *perpetuam ejus evidentiam*, vel etiam *notitiam*: non hic de *notitia*, vel *evidentia*, sed potius de *existentia* solliciti sumus: nemo siqvidem nostrum affirmat, qvod Ecclesia perpetuo sic comparata sit, ut ab omnibus vel videri, vel cognosci qveat, sed potius propter persecutiones sub obscuro, vel in occulto lateat, ut cognosci neqveat. Confunditur igitur hic iterum *absoluta existentia* ratione *sui*, cum *existentia comparata* respectu *visibilis notitiæ*, ratione *nostri*, qvæ maxime distincta sunt.

14. (V) *Deniq; si eam Ecclesiam, qvam isti, cum qvibus disputamus, perpetuo extitisse volunt, & à qva sola certam & indubitatam rerum omnium ad salutem necessariarum, earum præsertim, qvæ in sacris literis non extent, notitiam petendam esse contendant, multis in rebus, atq; adeo in iis qvoq;, qvæ ad salutem sunt necessariæ, gravissime errare constet; tota illa de Ecclesia exceptio concidit.* Rl. (1) qvid *Pontificii* doceant, aut disputent, ad qvos h. l. respicere videtur, nihil ad nos, qvi neutiqvam ipsorum errores nostros facimus. (2) *Dist.* inter *visibilem* & *invisibilem Ecclesiam*; licet *vi-*

 sibilis

ligentibus se præparavit *I. Cor. II. 9.* unde nec illi, qvi cum Christo resurrexerunt, & multis apparuerunt, ab omnibus videri potuerunt Matt. XXVII. 53.

3. (2) Qvod hic non de *distinctione generis in species*, neq; *totius essentialis in partes essentiales*, neq; *totius integralis in partes integrales*, nec *subjecti in accidentia varia* &c: sed *totius analogici*, vel etiam *aggregativi in partes aggregativas*, sermo sit, cum certum sit, qvod Ecclesia, respectu *militantis & triumphantis*, neq; *genus* sit, neq; *totum essentiale*, vel *integrale*, sed potius *analogicum totum*, vel etiam *aggregativum*, ratione *cœtus adhuc in terris militantis*, & jam in cœlis *triumphantis*.

4. (4) Qvod *Sociniani* nitantur *falsa hypothesi*, qvod *animæ beatæ hodie non vivant, nec ad cœlum beatorum post mortem hominum fidelium perveniant*. Sic enim *Smalz.* disp. de person. Christ. contr. *Franz.* p. 75. ad th. 75. *Imperitè id dicitur, qvod beati perveniant in cœlum, qvasi singuli post mortem statim perveniant ad beatitudinem. Cum tamen nimis decantatum sit, ultimo die Christum resuscitaturum suos, & redditurum unicuiq; secundum opera sua. Pontificia hæc est fabula, qvam Purgatorium peperit, & hoc rursum studium pecuniæ colligendæ, qvam immerito fovent alii, qvi Pontificem Romanum pro Antichristo habent. Id qvod Luc. XVI. legitur, parabola est, ideoq; nihil ex ea certi de articulo (ut loqvuntur) fidei statui potest, nisi id aliunde manifestè pateat. Hæc hypothesis* si locum invenire debeat, omninò nulla *triumphans Ecclesia* dari posset. Sed *hypothesis* illa passim alibi refutatur.

5. Probat vero suam sententiam *Smalzius* (I) *Qvia nulla revera nunc est triumphans Ecclesia, sed olim futura est.* Jam qvicqvid futurum adhuc est, illud nondum est præsens, & hæc ratio videtur ab aliis etiam inde desumi, qvod æterna vita nuncupatur futura vita. ℞. (1) Qvod hodie detur *Ecclesia triumphans*, illud ex sacris literis *Dn. D. Calovius in Socinism. prof. d. l. contr. 5.* prolixe demonstravit *(1) è testimonio Christi Luc. XX. 37. (2) è promissione converso latroni facta Luc. XXIII. 43. (3) ab exemplo Lazari Luc. XVI. 22. 25. (4) Ex oraculo Apostolico Hebr. XII. 22. (5) è visione Johannea Apoc. IV. 8. (6) ex beatitudine omnium post hanc vitam*

Apoc. XIV. 13. (7) *ab Enochi & Eliæ translatione* (8) *Ex apparitione Eliæ & Mosis Matt.* XVII. 3 (2) *Vita* dicitur *futura* respectu *nostri*, qvi vivimus adhuc in terris, non respectu *defunctorum fidelium*, qvi terras reliqverunt: adeoq; dum vitam hanc finimus, futuram vitam incipimus, sicut *Paulus* inqvit *Phil.* I. 23. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo:* nam, qvi solvuntur terris, vivunt in cœlis. (3) Hinc limitandum illud argumentum: Qvicqvid *futurum* adhuc est, illud nondum est præsens, *qvatenus nim. est futurum, & respectu qvorum est futurum, ratione cujus vita futurum* est &c: Hinc (3) *dist.* inter *triumphantes* & militantes: ratione *militantium* beata vita *futura* dicitur, non autem ratione *triumphantium*, utpote qvi jam beatitudine vera fruuntur.

6. (II) *Qvia tunc erit Ecclesia triumphans, cum Christus* Jesus *venerit redditum unicuiq; secundum opera ipsius* R. (1) *Unius positio non est alterius remotio*: nunc est *Ecclesia triumphans*, & tunc qvoq; *triumphans* erit: sicut sponsus & sponsa lætantur sub ingressu nuptiarum, ita qvoq; lætantur in earum progressu (2) *Dist.* inter *triumphum inchoatum* & *consummatum*: nunc in cœlis inchoatur, tunc autem consummabitur. (3) *Dist.* inter *triumphum peculiarem* & *universalem:* nunc peculiaris est triumphus eorum, qvi vera fide discedunt; tunc autem est triumph. universalis, qvando chorus universus fidelium, post resurrectionem mortuorum regnum cœlorum ingredietur. (4) *Dist.* inter *triumphum latentem* & *patentem:* nunc latet ille triumphus beatarum animarum, tunc autem coram omnibus manifestabitur.

7. (III) *Qvia nihil qvicqvam huc facit locus Luc.* XX. 37. *qvo dicitur, Abrahamum, Isaacum &* Jacobum, *vel (si ita velis) omnes fideles Deo vivere. Potest enim is Deo vivere, qvi nunc nullus est, modo constet eum olim iterum victurum in æternum. Et certe non id propositum erat Domino* Jesu, *ut demonstraret, Abrahamum, Isaacum &* Jacobum, *nunc esse reipsa, sed eos ex mortuis resurrecturos. De hoc enim, & non de illo, qvæstio erat instituta. Et si Abrahamus, Isaacus &* Jacobus *ex mortuis sunt resuscitandi, qvomodo nunc vivunt reipsa Deo? cum resuscitatio aliud nihil sit, qvam hominis, qvi existere desierat, iterata existentia.* R. (1) multum huc facit

locus

locus illi citatus, qvia dicitur in *præsenti*, qvod *Moses DICAT Dominum, DEum Abraham, Isaac & Jacob*, & simul innuit Christus, qvod adhuc talis SIT: rationem addit: *DEus autem NON EST mortuorum, sed vivorum: OMNES enim VIVUNT ei.* (2) *Smalzius* illa verba de fidelibus omnibus interpretatur, & censet, omnes, juxta textum, fideles *DEO vivere*: jam si fideles omnes DEO *vivunt*, nim. *in præsenti*, nihil aliud inde seqvitur, qvam, qvod & cum DEO sint, & in DEO, simulq; *vivant*, & de miseria triumphum agant. (3) *à posse ad esse non valet conseqventia*, non qvid *dici possit*, sed qvid juxta scripturam *dici debeat*, videndum est. (4) Piè defuncti non *posse vivere* dicuntur in sacris literis, sed *actu vivere*; de DEO non dicitur, qvod *possit esse vivorum*, jam autem *sit mortuorum*, sed qvod MODO NON SIT MORTUORUM, sed ACTU SIT VIVORUM (4) Nuda assertio est, qvando *Smalz.* dicit. *Potest is DEO vivere, qvi nunc nullus est, modo constet, eum olim iterum victurum in æternum.* Non Entis nulla attributa, nullius hominis, nulla vita. (5) *Dist.* inter *qvæstionem principalem*, qvæ Christo cum Sadducæis erat de resurrectione mortuorum, & inter qvæstionis *rationem materialem*, qvæ *principalem qvæstionem* confirmabat: hæc verba non sunt *qvæstionis*, sed *rationis*: sunt igitur *subordinata*, non *opposita*: hinc Christus utrumq; docet, & *qvæstionem principalem* de *resurrectione Abraham, Isaac & Jacob*, ratione corporis, & *vitam ipsorum* coram DEO, qvia revera vivant ratione animæ, adeoq; ratione corporis sint resuscitandi, ratione animæ resurrectione non indigeant, cum jam tum DEO vivant. (7) Hinc *Abraham. Isaac & Jacob vivere* dicuntur ratione *animæ*, resuscitandi verò sunt ratione *corporis*, vel ratione *totius*.

QVÆSTIO TERTIA.

Utrum aliqvæ notæ dentur Ecclesiæ?

1. In *Augustana Confessione* docetur inter alia, qvod *ad unitatem Ecclesiæ satis sit, consentire de doctrina Evangelii & admini-*

ſtratione Sacramentorum, qvibus indicatur, qvod *aliqvæ dentur Eccleſiæ notæ*, cum omnino certæ qvædam *notæ* ſint *Eccleſiæ* tribuendæ, qvod multis argumentis confirmari poſſet. Hac vice ſaltem urgemus. (1) *Eccleſiæ veræ conditionem*, qvia Eccleſia juxta Confeſſionem eſt congregatio ſanctorum, in qva Evangelium recte docetur, & recte adminiſtrantur ſacramenta: qva ratione ſine certis his notis vel indiciis Eccleſia nunqvam datur, cumprimis in ſtatu florente. (2) *Eccleſiæ veræ cognitionem*: qvod enim ab omnibus fidelibus cognoſcendum eſt, & actu qvoq; cognoſcitur, illud certas non tantum admittit, ſed etiam reqvirit notas, qvibus mediantibus cognoſcatur. (3) *Eccleſiæ veræ diſtinctionem*, ut cumprimis ab Eccleſia falſa dignoſcatur, cum aliàs communiter omnis diſtinctio per certas notas fieri ſoleat; talem autem diſcretionem omnino neceſſariam, nemini dubium eſſe poteſt. Plura nunc argumenta cumulare poſſumus.

2. *Sociniani negativam* tuentur ſententiam. Ubi tamen obſervandum. [1] qvod non ſit qvæſtio, de *abſoluta Eccleſiæ exiſtentia*, cujuscunq; ſit conditionis: qvod enim *Eccleſia triumphans* tàles notas non habeat, certiſſimum eſt: nec *Eccleſia ſtatus integritatis* tales habuiſſet: ſed potius agitur de *præſenti Eccleſiæ ſtatu*, qvatenus nunc in mundo per verbum & ſacramenta colligitur. [2] Nec qværitur de *abſoluta notarum competentia*, *num abſolute ſit necesſarium, tales Eccleſiæ notas dari*? nam Eccleſiæ, nec per ſe exiſtentia qvædam abſoluta convenit, ergo nec abſolutè neceſſarias notas poſſidet: ſed Eccleſia tota cum omnibus ſuis notis ex divina diſpoſitione, promiſſione, vel aliis gratiæ beneficiis pendet. [3] Nec qværitur de *qvibusvis Eccleſiæ notis*, cum certum ſit, eas non eſſe tantum unius generis, ſed alias eſſe *proprias* & *eſſentiales*, qvæ ſunt principia & cauſæ rei proximè, vel adæqvatè rem conſtituentes, qva ratione *perpetuæ, propriæ, eſſentiales, immediatæ, infallibiles* &c: vocantur; alias *communes & accidentales*, qvæ tantum ſunt ſigna vel accidentia qvædam externa, vel ſaltem ſunt *circumſtantiales, fallibiles, mediatæ*: &c: de *prioribus* potiſſimum hic eſt ſermo.

3. Sic autem ſcribit *Theoph. Nicolaides* de *Eccleſia* adverſ. Mied-

Miedziboz. p. 53. *Facit hoc argumentum concedentem tacite Anonymum, qvasi notæ sint aliqvæ veræ Ecclesiæ, eas autem, qvas assignant Pontificii, illas non esse. cum tamen Anonymus omnino neget, opus esse, ut extent notæ aliqvæ Ecclesiæ.* *Smalz.* contr. Franz. p. 282. *Notæ Ecclesiæ nullæ sunt.* Probat suam sententiam. (I) *Qvia non est necessum, ut sint* ℟. (1) Dicit hoc, non probat. (2) *Dist.* inter *notas essentiales* & *accidentales*: *hæ* ut sint, necessum non est, sed *illas* esse, vere dicitur necessum, cum absq; illis Ecclesia consistere neqveat. (3) *Dist.* inter *Ecclesiæ statum florentem* & *langventem*; non ad *hunc*, sed ad *illum* notæ sunt necessariæ.


4. (II) *Qvia licet vera & sincera doctrina non sit, nisi in vera Ecclesia, & Ecclesia sine doctrina vera, velut verius loqvar, salutari esse non possit, tamen non est nota Ecclesiæ doctrina vera & salutaris, sed est forma Ecclesiæ, qvæ scil. dat esse illi.* ℟. (1) *forma* qvoq; *nota* esse potest, non *ab intra*, qvæ constituit, sed *ab extra*, qvæ cognoscere facit. (2) Hinc *dist.* inter *materiale* & *formale*: ratione *materialis*, *forma* & *nota* conveniunt, ratione *formalis* differunt. (3) *Dist.* inter *notam primariam* & *secundariam*: *illa* qvoq; dicitur ad essentiam pertinere, *hæc* minimè. Plura, qvod doctrina vera & administratio sacramentorum non sint notæ, l. d. proferuntur, sed illud modo non venit in controversiam, unde modo illa dimittimus.

5. (III) *Qvia* juxta *Votkel. in dissolut: nodi Gordii contra Smiglec. p. 113.* non dari possunt notæ Ecclesiæ. Sic enim scribit: *Dicimus igitur, qvicqvid alii hac de re sentiant, nos nulla Ecclesiæ signa qværere, nec illis ad cognoscendam Ecclesiam opus esse, nec ea dari ullo modo posse.* Respondetur (1) Qvalis *Socinianorum* Ecclesia, talis etiam *notarum*, vel aliarum rerum cura: parũ Ecclesiam attendunt, ideo mirum non est, si notas etiam Ecclesiæ negligunt. (2) qvod *notis* non sit opus ad cognoscendam Ecclesiam, illud facile qvidem dicitur, sed non adeo facile probatur: contrarium antea fuit probatum. (3) falsum est, qvod *Ecclesiæ notæ* dari non possint, contrarium patet ex *scripturis* non tantum *Canonicis*, sed etiam *symbolicis*: contrarium etiam testatur communis *Theologorum doctrina*.

6. (IV)

6. (IV) *Qvia sive inadspectabilem, vel adspectabilem*, vel ut alias loqvuntur, *invisibilem aut visibilem Ecclesiam* spectemus, notæ *propriæ, essentiales & indubitatæ* locum nullum inveniunt. *Ad inadspectabilem enim qvod attinet, ipsa inadspectabilis appellatio omnes notas, præsertim certas atq; indubitatas*, qvib. *cognosci possit, excludit. Ea enim spectanda est non tantū ex factis qvibusdam externis, qvæ aliis qvoq; patent; sed imprimis ex animo eorum, ex qvibus constituta est*; qvē *qvidem soli Deo atq; Christo cognitum perspectumq; esse nemo ignorat. Externa, qvamvis alioqvi præclara, simulari possunt: & licet non simuletur, dubitari tamen potest, utrum in eo homine, in qvo illa cernuntur, omnia ea reperiantur, qvæ ad membrum inadspectabilis Ecclesiæ Christi constituendum pertinent, ut taceam, ne illa qvidem omnem, utrum Christi mandatis usqveqvaq; sint consentanea, dijudicari posse, nisi veritatis salutaris, jam bene sis gnarus.*

7. R. [1] non hic tam de *invisibili*, qvam *visibili Ecclesia* nobis sermo, qvando de *veris Ecclesiæ notis* soliciti sumus: non igitur convenienter hic *Volkelius invisibilem* admiscet, ut eò tutius caussam involvere qveat. [2] *Invisibilis Ecclesia* non habet *notas publicas* & *patentes*, optime tamen *privatas* & *latentes* habere potest, cumprimis si non de cœtibus integris, vel paucis fidelibus congregatis, vel etiam singulis individuis sit sermo, qvem respectum itidem adversarius hic admiscere videtur, cum nihil impediat, qvo minus unus vel pauci doctrinæ sinceritatem in Ecclesia non visibili retinere, aut se mutuo cognoscere qveant. [3] sicut *de occultis non judicat Ecclesia*, juxta vulgatum dictum, ita nec *occultas notas* vel faciunt, vel inferunt. [4] *dijudicatio*, num aliqvid sacris literis consentaneum sit, *ex verbo DEI*, non *absq; eo*, suscipienda dicitur. *Primum qvodq;* scribit *Franz.* contr. Smalz. h. l. sect. 6. th. 74. *est & generalissimum & notissimum, ideo necessariò notius est Verbum, qvam vera doctrina, & per conseqvens, qvia ex vera doctrina juxta Verbum de cunctis hominibus est judicandum, ideo qvodq; vera doctrina erit notior, qvam ipsa Ecclesia*. Et paulo post: *Nota igitur testificans, l. judicans vera doctrina est verbum & verbum est notius in orbe, qvam vera doctrina. Nota Ecclesiæ est vera doctrina, & vera doctrina, ut prior, ita notior est, qvam vera Ecclesia.*



QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ

Ex Articulo IX.

AUGUSTANÆ CONFESSIONIS.

DE

BAPTISMO.

Disp. XIX. Ρ. GEORGIUS MICHAEL MUNR Lehmingâ-Francus.

QVÆSTIO PRIMA.

Num hæc Baptismi Forma sit, ut fiat in nomine Sacrosanctæ Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus Sancti?

I.

Circa *Controversiæ statum*, ut omnis causa præsens eò clarius innotescat, unum vel alterum præmittere placet, videlicet ut ea removeantur, qvæ directè nunc in qvæstionem non citantur. Non igitur qværitur (1) *de forma simpliciter interna*, siqvidem ea mysterium, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν positum, adeoq; nec mente nostra planius indagari, nec humana lingva plenius explicari, nec humano conceptu verius repræsentari poteſt. *Formæ mysteriorum* arcanæ sunt, & intellectum nostrum fugiunt. *Rem in mysteriis credimus, modum nescimus.* Et qvod de mysteriis aliis verissimum, de Mysterio sacramenti Baptismalis qvoq; concedendum. Qvomodo fiat Materiæ cœlestis & terrestris unio, & qvæ sit essentialis hujus sacramenti constitutio, vel interna conditio, non difficulter creditur, sed difficulter ab intellectu nostro, vel etiam prorsus non intelligitur. Hæc igitur forma constitutionis à nobis ignoratur.

2. (2) Nec agitur de *forma generali cujusdam insinuationis*, qvatenus Baptismus aliàs communiter inter Sacramenta numeratur. Nam secundum eam Baptismus saltem generaliter Sacramentum appellatur, ejus verò ratio specialiter non determinatur. Licet enim *Sociniani* termino *Sacramenti* rarius utantur, & ad Baptismi Sacramentum applicare rarissimè videantur, attamen non prorsus eum aversantur, qvemadmodum ex scriptis ipsorum observare licet. Hoc tamen certum, qvod genuinam Sacramentorum

rorum naturam prorsus evacuent, ut habet *Schmalz. contr Franz. p. 158.* Falsissimum est, DEum per Sacramenta salutem operari, cum potius Sacramenta professio sint ejus, qvòd DEus in nobis vel per verbum, vel per Spiritum suum operatus est. *In Exam. 100. Err. p. 37.* tantum non esse blasphemiam dicit, per sacramenta hominibus gratiam conferri. *Socin. de Can. Dom. p. 102.* Neq; unqvam probabit autor (Niemojevius) Sacramenta esse media qvædam fidelibus necessaria ad istud hominis interioris argumentum: & *p. 88.* Nec alia ratione concedi posse credam, Sacramenta significare, nisi eo sensu, qvo Pontificii, cum mysteria suarum ceremoniarum explicant, dicunt: Hoc significat rem, aut factum tale &c: id est, adumbrat, seu ut nostri Theologi, aliqvando loqvuntur, figurat &c: *Schmalz. d. l.* Alterum plane ab omni verisimilitudine alienum esse sentimus, & ut errorem damnamus, non tam ideò, qvod Sacramentorum nullam faciant sacræ literæ mentionem, qvod tamen & ipsum non minimi est momenti, qvam qvod ea, qvæ nos ipsi facimus, & facere tenemur, fidem in nobis excitare & alere, valde ineptum esse videatur, cum potius fidei sint argumentum &c: Ex his & aliis *Socinianorum* pronunciatis facile patet, qvod parum sanæ doctrinæ ideò formæ baptismi relinqvant, Baptismum tamen sacramentum esse non prorsus negent, licet non adeo multum ipsi tribuant, sicut *Socin. de Can. Dom. p. 60.* scribit: Annunciat is, qvi baptizat, ei, qvi baptizari debet, remissionem peccatorum in JEsu Christi nomine, cui annunciationi baptizandus, si fidem adjungat, & propterea baptizetur, peccatorum remissionem conseqvitur, id, qvod eo modo, qvo potest, ablutione illa externa ADUMBRATUR, & QVODAMMODO OB OCULOS PONITUR: non qvidem qvatenus ea ratione rem sic se habere probetur (qvomodo enim corporis externa ablutio probare potest, cuiqvam esse remissa peccata?) sed qvatenus id, qvod verbis dicitur, ut melius intelligatur, & altius animo & memoriæ imprimatur, depingitur etiam qvodammodo Ceremonia illa, & figuratur. Ita alia ratione probata prius jam satis, & idcirco credi-

ta pec-

ta peccatorum remiſſio, baptiſmo deinde externo non qvidem probatur ullo modo, ſed tantum, ut diximus, adumbratur.

3. (3) Nec agitur *de qvalicunq; uſu verborum iſtorum: Ego Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, & ſic de *forma accidentalis cujusdam* vel *pronunciationis*, vel *uſurpationis:* nam fatetur *Socinus*, qvod apud ſuæ fidei ſocios etiam hæc verborum formula ſit, & ordinariè maneat in uſu, licet à qvibusdam de facto mutetur. Sic enim ſcribit *in miſcellan p. 89.* Nos, cum Baptiſmum adminiſtramus, vel utimur uſitata formula verborum, In nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, vel ſimpliciter Apoſtolos imitati, In nomine JESU CHRISTI baptizamus. Si qvis ex noſtris alia formula eſt uſus, eſt ſingulare qviddam, qvod ipſi noſtro cœtui adſcribi non debet.

4. (4) Sed agitur hic potiſſimum de *forma ſpeciali ſacramentalis adminiſtrationis, in qvo potiſſimum ordinariè & neceſſariò forma ſacramentalis adminiſtrationis hæreat*, ut verum Baptiſmus dicatur & ſit etiam *Sacramentum*? Dicitur *forma ſpecialis*, qvia generalis Sacramenti vel appellatio, vel applicatio, vel inſinuatio, minime ſufficiens eſt, ad hoc baptiſmi Sacramentum conſtituendum & abſolvendum. Dicitur *forma ſacramentalis*, ut à ceremoniis externis & nude talibus, ad qvas communiter etiam Baptismus à Socinianis refertur, item à verbo DEI ſuo modo Baptiſmus diſtingvatur, cum verbum in ſe, ſtrictè loqvendo, ſacramentũ non ſit, licet ad Sacramentum ſtricte ſic dictum pertineat, cum nullũ Sacramentũ abſq; Dei verbo, tum inſtitutionis, tũ præceptionis, tũ promiſſionis conſiſtere poſſit. Dicitur *forma ſacramẽtalis adminiſtrationis*, ut hac ratione qvodammodo diſtingvatur ab interna, myſtica, occulta, nobisq; prorſus imperſcrutabili forma. Dicitur, qvod de ea forma ſit ſermo, in qva *potiſſimum* ſacramenti ratio hæreat, cum notum ſit, qvod ad plenam Sacramenti baptiſmalis adminiſtrationem etiam pertineat *Subjectum idoneum, aqvæ elementum, baptiſmalis actus, baptizans miniſter*, ut omnis adminiſtratio recte ſuſcipiatur & expediatur: ſed in horum omnium collatione *forma verborum inſtitutionis & promiſſionis potiſſimum* reſpectum poſſidere deprehenditur, cum ex parte DEI talis forma verborum adhibeatur, & aqva ſine verbo DEI ſit

nuda aqva, sed cum verbo DEI fiat baptismalis aqva, verumqve Sacramentum: nec *subjectum*, nec *minister baptizans*: nec *actus baptismalis*, ad eam eminentiam assurgunt, ut cum *verbo baptismali* locum æqvalis dignitatis occupare qveant: sed baptismale verbum potius his omnibus sacramentalem respectum communicare videtur. Dicitur *ordinariè* forma respectu Ecclesiæ, à Christi Salvatoris institutione pendentis, cum hic minime sit attendendum, qvid extraordinariè, vel olim à nonnullis factum sit, à nonnullis hodie *de facto* suscipiatur: Unde postremo dicitur, qvod hic de *necessaria* verborum *forma* soliciti simus, ut hac ratione qvævis *accidentalis mutatio*, cujuscunq; sit rationis, prorsus excludatur, & certa forma verborum ad verum baptismi Sacramentum adhibeatur. Et sic *juxta scripturam*, *baptismi naturam*, *sacramentorum analogiam*, *Ecclesiæ consvetudinem*, *praxin & traditionem verum* asserimus, qvod *forma baptismalis*, vel *vere sacramentalis*, in ista *formula verborum* inveniatur, qvod *homo sit baptizandus in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*. Verum *Socinianii* tum *hypothesibus*, tum *disertis verbis*, *negativam* sententiam tueri conantur.

5. Cumprimis autem *Hieron. Moscorov. lib. de Bapt. contra Smiglec. c. I. p. 2* adversus nostram sententiam insurgit, cum titulus capitis sit apud Smiglecium: *Forma Baptismi Trinitatis professionem & invocationem contineri, contra Arianos demonstrari*: qvod Moscorovi, refutare conatur. *Rationes* autem pro *negativa* sententia seqventes producit (I) qvia Matth. XXIIX. neq; expressis verbis id continetur, neq; ulla legitima deductione inde probatur. ℞. (1) licet expressis verbis non dicatur; Formam baptismi consistere in eo, qvod conferatur *nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, tamen nec illud expressis verbis negatur. Et notum est, qvod in sacris literis multa lateant, pauca pateant, si modos loqvendi, vel exponendi, respicere velimus, hic v. *forma* verbis satis perspicuis insinuatur. ;hinc (2) urgem, regulam vulgatam: *Qvicqvid dat esse, distingvi & operari, illud est forma*: jam *in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizari*, vero baptismi Sacramento dat *esse, distingvi & operari*. Ergo est ejus *forma*: *Major* est certa: *Minor* prolixè probari posset: nam qvod det *esse*, patet ex Christi ver-

ſti verbis: qvia qvando qværitur: *Qvomodo*, vel *qva forma baptizandi ſunt homines?* reſpondet Chriſtus: *baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Et ſic baptiſmus ſacramentalis diſtingvitur à *phyſicis*, vel *vulgatis*, à *Leviticis*; itemq; à baptiſmo *flaminis* & *ſangvinis* diſtingvitur, & omnes ſuas operationes conſeqvitur, qvia ſine verbo DEI eſt aqva nuda, ſed ſi ſit lavacrum in verbo *Eph. V. 26.* ita fit *lavacrum regenerationis* & *renovationis Tit. III. 5.* (3) *diſt.* inter *deductionem logicam*, vel etiam *Theologicam*, & inter *matæologicam*: *illam* hic attendimus, qva multipliciter ex h: l. probari poteſt, *Matt. XXIIX, 19. formam baptiſmi* deſcriptam eſſe.

6. (II) Qvia tametſi veriſſimum ſit, Deum eſſe præcipuam ſalutis & remiſſionis peccatorum cauſam, hinc tamen conſeqvi, aqvæ Baptismum in nomine DEI conferri oportere, nullo modo apparere. Poteſt enim DEus eſſe prima ſalutis & remiſſionis peccatorum cauſa, qvemadmodum eſt, & tamen aqvæ baptiſmus alterius nomine conferri, qvemadmodum illius baptiſmi Iſraelitarum in nube & mari, licet DEus fuiſſet præcipua & prima cauſa, nihilominus tamen divinæ literæ illos Iſraelitas in Moſen baptizatos teſtantur. ℞. (1) adſumimus conceſſa, qvod Deus ſit præcipua ſalutis & remiſſionis peccatorum cauſa: jam autem Baptiſmus eſt *cauſa media* ingreſſus regni cœlorum *Joh. III. 6.* ſalutis & remiſſionis peccatorum *Tit. III. 5.* & *media cauſa* in nomine cauſæ principalis & ſummæ dicitur *media*: ſic igitur baptiſmus etiam in *nomine SS. Trinitatis* eſt baptiſmus, & in ejus nomine formaliter adminiſtratur. (2) Licet *Moſcorovio*, vel aliis excæcatis Socinianis illud non *appareat*, tamen nobis ſatis luculenter id apparet, uti modo probatum. (3) Ex h. l. *Matt. XXIIX. 19.* probatur, aqvæ baptiſmum *in nomine DEI conferri oportere*, qvia Chriſtus, *juſſit baptizare* gentes *in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* jam qvicqvid mandatum eſt, illud eſt *neceſſitatis*, non *libertatis*, & illud fieri *oportet* juxta mandatum. (4) *Diſt.* inter *baptiſmum ſacramentalem*, & *non ſacramentalem*: de *illo* nobis ſermo, non de *hoc*, hinc minus recte Baptiſmum Iſraëlitarum

admiſcet, cum in Veteri Teſtamento Baptiſmus ſacramentalis non extiterit, adeoq; nec ejus forma fuerit.

7. (III) Qvia etiam in alterius, non in ſolius DEI nomine Baptiſmus adminiſtrari poteſt: hinc varias inſtantias affert (*a*) Iſraëlitas in Moſen (*b*) Diſcipulos Johannis in Johannis Baptiſma Act. XIX. (*c*) alios in Chriſtum (*d*) in Chriſti mortem baptizatos eſſe pag. 5. ſeqq. E qvibus ſingulis conſeqvitur, id vel eum, in qvem, vel in qvod baptiſmus aqvæ uſurpatur, DEum non eſſe. ℞. (1) Committit *ignorationem Elenchi*, qvia hic ſaltem de ***Baptiſmo Sacramentali*** verba fiunt, male proinde reſpicit iterum ad ***Baptiſmum Veteris Teſtamenti Typicum***. (2) ***In Moſe baptizari*** non ***principaliter***, ſed ***miniſterialiter*** intelligitur, adeoq; non in nomine ***Moſis***, ſed ***Dei*** tum Iſraëlitæ baptiſati fuerunt: (3) ***Fallacia aqvivocationis*** eſt, ut habet ***B. Bald. Comment. I. Cor. X.*** Baptiſmus (*a*) eſt vulgaris lotio Marc. 7. (*b*) Sacramentum N. T. Marc. 16. (*c*) Interna ablutio cordium, facta per Spiritum S. Marc. 1. (*d*) Tota inſtitutio, ſeu doctrina, ut baptiſmus Johannis Luc. 20. Matt. 21. & Act. 18. (*e*) Crux, qvæ eſt immerſio qvædam in calamitates Marc. 10. (*f*) Mortificatio veteris hominis & ſuſcitatio novi Rom. 6. (*g*) Miraculoſus tranſitus per mare 1. Cor. 10. Eſt igitur baptizari in nube & in mari nihil aliud, qvam per miraculoſum illum comitatum ac defenſionem in mari rubro gratiæ DEI fieri conſortem, qvemadmodum in vero baptiſmo, cujus typum appellare licet hunc Baptiſmum, de qvo Paulus noſter, beneficium regenerationis conſeqvimur. In Moſen autem baptizari eſt obligari ad doctrinam Moſis, & mandata DEI, per Moſen promulgata. Nam per miracula illa magis magisq; confirmabantur, Moſen eſſe ſervum Domini, doctrinamq; ejus cœlitus delatam, ac proinde ſancta fide retinendam. (4) Qvod attinet ***Act. XIX.*** ipſe Spiritus Sanctus verbis immediate ſeqventibus exponit, qvid ſit illud, ***In Johannis baptiſmate baptizari***, dum ***Paulus*** addit: ***Johannes qvidem baptizavit baptiſmo pœnitentiæ, populo dicens, in eum, qvi venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, in Chriſtum JEſum:*** non igitur in nomine ***ſuo***, ſed in ***alterius*** nomine ***Johannes*** baptizavit, in ejus videlicet nomine, qvi tanqvam principalis ipſum

ipſum miſit ad baptizandum *Luc. III. 2. Joh. I. 33.* & ſic baptizavit in Chriſtum *Meſſiam*, non tam *formaliter*, qvam *fundamentaliter*, qvia *Chriſti meritum baptiſmi ſacramentalis, & remiſſionis peccatorum fundamentum*: id qvod etiam in locis illis indicatur, qvibus homines in Chriſtum baptiſati leguntur. Baptiſari in Chriſto eſt ablui à peccatis, in nomine Chriſti inſtituentis, ac præcipientis uſum hujus ſacramenti, operantis etiam ac promerentis remiſſionem peccatorum, qvam in baptiſmo accipimus: cui qvoq; nos per ſacramentum Baptiſmi totos dicamus atq; conſecramus. Baptiſari in mortem Chriſti eſt (1) per baptiſmum fieri participem efficaciæ mortis Chriſti, qvæ peccatum in nobis abolevit, vitam ac juſtitiam impetravit. (2) DEO promittere fidem iſtorum beneficiorum & mortificationem peccati: & ita hæc phraſis complectitur ſimul & efficaciam & confirmationem mortis Chriſti, inqvit iterum *B. Balduin. in c. 6. Rom.*

QVÆSTIO SECUNDA.

Num Baptiſmus inſtitutus ſit in remiſſionem peccatorum?

1. Circa *Controverſiæ ſtatum* obſervamus (1) qvod non qværatur de *remiſſionis peccatorum annunciatione*, nam illud *Sociniani* concedunt, ſicut inqvit *Socin. lib. de Cœna Domini p. 60.* Annunciat is, qvi baptizat, ei, qvi baptizari debet, remiſſionem peccatorum in JEſu Chriſti nomine. (2) neq; *de remiſſionis peccatorum figuratione, vel adumbratione*, qvam itidem aſſerit d. l. Socinus: Hinc pergit: Cui annunciationi baptizandus, ſi fidem adjungat, & propterea baptizetur, remiſſionem peccatorum conſeqvitur, id, qvod eo modo, qvo poteſt, ablutione illa externa adumbratur, & qvodammodo ob oculos ponitur; non qvidem, qvatenus ea ratione rem ſic ſe habere probetur (qvomodo enim corporis externa ablutio probare poteſt, cuiqvam eſſe remiſſa peccata:) ſed qvatenus id, qvod verbis dicitur, ut melius intelligatur, & altius animo & memoriæ imprimatur, depingitur etiam qvodammodo ceremonia illa, & figuratur. Ita alia ratione probata prius jam ſatis, & idcirco credita peccatorum remiſſio, baptiſmo deinde externo non probatur ullo modo, ſed

tan-

ſed tantum adumbratur. (3) neq; ſimpliciter qværitur, *an aqva baptiſmalis, tanqvam ſangvis Chriſti, peccatorum remisſionem operetur?* hoc enim non placet *Socino l. d. p. 87.* Tametſi verum eſt, ſangvine Chriſti nos ablutos fuiſſe à peccatis noſtris (hoc enim apertis verbis non audent negare Sociniani, cum diſerte dicatur I. Joh. I. 7. Sangvis JEſu Chriſti Filii DEI nos emundat ab omni peccato) tamen ejus rei in baptiſmo aqvæ rationem haberi, ita, ut aqva per figuram Chriſti ſangvini reſpondeat, nunqvam probabitur, nec id ſane ſacræ literæ uſpiam commemorant, aut indicant. Non enim hic in qvæſtione verſatur, qvid aqva baptiſmalis ſit, aut cui ſatis commode comparari poſſit, ſed in qvem finem baptiſmus ſit inſtitutus. (4) Nec eſt qvæſtio, de *phyſica vel eſſentiali qvadam operatione*, num aqvæ baptiſmus ex *opere operato* præſtet remiſſionem peccatorum? qvæ communis eſt Papiſtarum ſententia. Nos enim minime tale qvoddam opus operatum ſtatuimus, ſed fidem etiam ad ſalutarem uſum baptiſmi reqvirimus, qvam etiam ad conſecutionem remiſſionis peccatorum ipſe *Socinus* in verbis allegatis exigit. (5) Nec eſt qvæſtio de *plenaria peccatorum per baptiſmum exſtirpatione*, ſicut itidem *Papiſtæ* talem in *Baptiſmo* ſtatuunt, ut eſt in *Concil. Trid: anath. 5.* Si qvis per JEſu Chriſti Domini noſtri gratiam, qvæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti neget, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, qvod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema ſit. *Bellarm. l. 1. de Bapt. c. 12. §. 2.* Baptiſmus tollit ac delet verè omnem culpam & pœnam. Item c. 13. §. Contra hunc: Per Baptiſmum tollitur reipſa id omne, qvod habet in homine rationem peccati. Et poſtea: Per baptiſmum reipſa tolluntur omnia peccata, ita, ut non ſolum non imputentur, ſed nec ſit, qvod imputari poſſit ad culpam. Nam cum hoc errore Papiſtarum nihil nobis commercii. (6) ſed qværitur *de vera, vel organica Baptiſmi operatione*, annon ita ſit gratiæ medium, ut vere per baptiſmum nobis remisſio peccatorum offeratur & conferatur? Et hoc eſt, qvod affirmamus, *Socinianis negativam* tuentibus.

2. *Aſ-*

2, *Affirmativam* ut probemus, non videtur adeò necessarium, cum disertis verbis id de baptismo *Luc. III. 3. Marc. I. 4.* dicatur, & omnibus dictis classicis de *baptismo* luculenter satis inferatur: placet igitur negativam statim adsumere, paucisq; nonnulla *fundamenta Socinianorum* expendere, cumprimis ea, qvæ reperiuntur apud *Moscorov. lib. de Bapt. contra Smigl.* ubi directe nostræ sententiæ contradicit: *Nego, baptismum aqvæ institutum proprie in remissionem peccatorum (I) Qvia ex testimoniis, à Smiglecio allatis, id ullo modo effici non apparet. Primum testimonium Matt. XXIIX. 18.19.20. nihil tale habet, verba ejus hæc sunt: Data est mihi, inqvit Servator, omnis potestas in cœlo & in terra. Profecti ergo, discipulos facite omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, qvæ præcepi vobis. Ecce vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Ubi igitur in his verbis mentio ejus rei, baptismum institutum esse in remissionem peccatorum? Nec verò eadem propositio Smigleciana ex iisdem deducitur. Etenim hic Servator potestatem sibi datam denunciat, præcepta qvædam discipulis injungit, in his etiam, ut discipulos Christo facerent, baptisantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti &c: & præsentiam suam Apostolis pollicetur. At qvid hæc ad præsentem assertionem? Smiglecius tamen eum locum citavit, perinde ac si illo verbis expresis contineretur, Baptismum aqvæ in remissionem peccatorum Christum instituisse.*

3. ℞. (1) non hæc solum, sed & alia testimonia sacrorum literarum *thesin* nostram confirmant: unde *Smiglecius* illa non *exclusivè* sine aliis, sed *inclusivè*, vel *relativè*, cum respectu aliorum produxit. (2) Hic locus maximè dicitur emphaticus, qvia munus Apostolicum ad conversionem gentium & remissionem peccatorum omnibus respectibus describit: *à priori, muneris Apostolici principium* ostendit, qvod ex plenitudine potestatis & autoritatis hoc munus apostolicum, ut Apostoli proficiscantur, & omnibus hominibus annuncient remissionem peccatorum, ut omnes ubiq; pœnitentiam agant *Act. XVII. 29* Christus institnat, qvia *data sit ei potestas omnis in cœlo & in terra: à formali*, post *apostolici muneris exercitiũ* describit, qvod euntes in mundum universum Christo, per veræ pœnitentiæ præconium & annunciationem remissionis peccato-

rum, omnes gentes Christo discipulos facere debeant, cum nemo sine remissione peccatorum Christi discipulus esse possit: modos autem geminos simul adducit, qvibus ordinarie discipuli Christi fieri possint homines, nim. partim per baptismum, ut gentes in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptisentur, à peccatis suis emundentur, & remissione peccatorum donentur; partim per ipsum verbum, qvia per verbum Christi docentur omnia, qvæ servare præcepit, inter qvæ facile primum locum pœnitentia cum remissione peccatorum occupat *Matt. IV. 17.* *a posteriori* deniqve *muneru apostolici patrocinium & præsidium* introducit, Ego sum vobiscum usq; ad seculi consummationem, nim cum vestro ministerio, ut homines per illud pœnitentiam agant, & remissionis peccatorũ donum conseqvantur. (3) *Dist.* inter *verbalem mentionem, & doctrinalem traditionem*: non omnes loqvendi l. exponendi modi, qvoad *verbalem mentionẽ,* in S. L. inveniuntur, sufficit tamen, qvod qvoad *doctrinalẽ traditionẽ* in iisdẽ inveniantur, sicut in antecedentib, modo demonstratũ. (4) Pari ratione probatũ, qvod hæc omnia faciant ad præsentem causam, qvando h. l. Servator potestatem sibi datam denunciat, præcepta qvædam Apostolis injungit, & cumprimis, ut discipulos Christo facerent, baptisantes in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, & præsentiam suam Apostolis suis pollicetur, res igitur nunc in vado versatur.

4. *Alterum testimonium* producit *Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusqviq; vestrum in nomine JEsu Christi in remissionem peccatorum.* ℞. (1) locus hic satis est perspicuus, adeoq; non potuit adversarius expressa verba negare, qva de causa fucos alios eidem accommodare, literæq; perspicuitatem obscurare voluit. (2) qvia dicuntur homines *in nomine Iesu Christi*, hoc est, ex ejus institutione baptizari, qvod *causam efficientem* respicit, nec id frustra, sed qvoad *causam finalem*, in *remissionem peccatorum*, ideo Petrus nihil aliud dicere voluit, qvam qvod in thesi nostra reperitur, *Baptismum in remissionem peccatorum institutum esse.*

5. Contrarium autem *Moscororius* ex h. l. probare conatur (I) *Qvia Petrus pœnitentiam baptismo præponat, ideo perspicuum esse, remissionem peccatorum ad solum baptismum non posse transferri.* ℞. (1) nemo nostrum unqvam dixit, qvod remissio peccatorum ad solum

lum baptiſmum excluſivè transferri debeat: nam remiſſio peccatorum tribuitur *gratiæ* DEI, *merito Chriſti, verbo, Baptiſmo, Cœnæ fidei &c*: ſicut prolixè probari poſſet, unius igitur poſitio, non eſt alteri, remotio, nec licet à *non excluſiva* ſtatim ad *excluſivā* argumentari: noſtra *theſis* eſt, qvod baptiſmus inſtitutus ſit in remiſſionem peccatorum, *antitheſis Moſcorovii*, qvod remiſſio peccatorum, non in *ſolum* baptiſmum transferenda ſit, adeoq; non *ſolus* baptiſmus faciat ad remiſſionem peccatorum, qvod totum concedere poſſumus. (2) Male ſeparantur ea, qvæ *Petrus*, vel potius ipſe *Spiritus Sanctus* conjunxit: nam τὸ *pœnitentiam agere*, & τὸ *baptizari*, non ſejunguntur, ſed conjunguntur hic in remiſſionem peccatorum. *Pœnitentiam agite*, ET *baptizetur unusqviſq; veſtrum &c*: qvæ particula *copulat*, non *ſeparat*, non *excludit*, ſed *includit*. (3) *pœnitentia baptiſmo* præponitur, ſed à baptiſmo non ſeponitur, præmittitur, non dimittitur, multo minus amittitur, cum baptiſmus ſine pœnitentia ſalutaris eſſe neqveat, nec ex inſtitutione DEI ſine ea eſſe debeat.

6. (II) *Qvia pœnitentia & fide peccata noſtra deleri atq; purgari, ex beneficentiſſima* DEI *voluntate, in divinis literis teſtatiſſimum ſit Act. XIII. 39. & XV. 9. qvæ ſemper aqvæ baptiſmum, ſi modo is ritè inſtituatur, antecedant oportet*. R. (1) qvod *pœnitentiæ* & *fidei peccatorum remiſſio* in ſacris literis tribuatur, de eo nunqvam dubitatum, ſed qvod *excluſivè* vel *pœnitentiæ*, vel *fidei*, *remiſſio peccatorum* competat, illud foret probandum. (2) adſumimus, qvod urget adverſarius, qvod *pœnitentiæ* & *fidei* remiſſio peccatorum conveniat: jam notum eſt, qvod *baptiſmus* ſit *Lavacrum regenerationis* & *renovationis Tit. III. 5. regeneratio* verò proprie & accuratè loqvendo nihil aliud eſt, qvam *fidei donatio*, nec *pœnitentia*, juxta *Socinianos*, aliud qvid eſt, qvam *vitæ mutatio*, qvæ mutatio contingit in *renovatione*: nam in ea vetus homo cum deſideriis abnegatur, & novus homo paratur, adeoq; vetus in novum mutatur: hac ratione *Moſcorovius* noſtram probaret ſententiam, qvia baptiſmus & regenerationis, vel fidei collationis, & pœnitentiæ, vel renovationis organum. (3) Juxta *beneficentiſſimam DEI voluntatem* ex parte *noſtri*, pœnitentia & fide peccata noſtra delentur & purgantur, ſed ex parte *DEI*,

verbo & *ſacramentis*, remiſſio peccatorum donatur, qvia hæc ſunt media, qvibus DEus utitur ad peccatorum remiſſionem nobis conferendam. (4) *Diſt.* inter *adultos* & *infantes*, pœnitentia & fides in adultis qvidem baptiſmum præcedunt, ſed in infantibus ſimul eſſe dicuntur.

7. (III) *Qvia qvod fidei & pœnitentiæ proprie, ſecundum gratiam divinam, attribuunt ſacræ literæ, id ad aqvæ baptiſmum nullo pacto pertrahi propriè nec poteſt, nec debet, ſed valdè improprie: id verò, qvatenus vel fidei & pœnitentiæ vim, & gratiæ divinæ virtutem, in abluendis peccatis exterius adumbret, vel qvatenus profeſſionem nominis IEſu Chriſti contineat, qvæ etiam extra baptiſmum fieri peregregie poteſt.* ℞. (1) petitur *principium*, qvod remiſſio peccatorum fidei & pœnitentiæ *ſolum*, juxta ſcripturam, tribuatur: cum manifeſtis verbis idem de *Baptiſmo* dicatur *Luc. III. 3. Marc. I. 4. Eph. V. 26. Act. XIX. 4. &c:* Hinc (2) *diſt* inter *attributionem propriam* & *communem*: *remiſſio peccatorum* non *fidei*, nec *pœnitentiæ*, nec *Baptiſmo*, vel *Cœnæ Dominicæ*, vel etiam *verbo DEI proprium bonum*, ſed potius his tribuitur tanqvã *commune bonum.* (3) Falſum, qvod baptiſmo *valdè improprie* remiſſio peccatorum competat, cum ei potius *propriiſſime*, juxta laudata ſcripturæ teſtimonia, conveniat, nec ullam *improprietatem competentiæ Moſcorovius* hic oſtendere potuit, nec alius in poſterum id facere poterit. (3) *Diſt.* inter *formam & finem*: *forma* qvidem alia fidei, alia pœnitentiæ, alia baptiſmo proprie competit, ſed remiſſio peccatorum non eſt *forma* vel fidei, vel pœnitentiæ, vel baptiſmi, ſed dicitur eorum *myſticus finis* & *ſalutaris fructus.* (4) Figmentum *adumbrationis* jam ſuperius refutatum eſt; Sacramenta ſiqvidem non ſunt ſigna vel ſignificantia, vel tantum adumbrantia, ſed vere offerentia, conferentia, operantia &c: (5) Baptiſmus deniq; confert remiſſionem peccatorum non propter *fidei vel pœnitentiæ vim*, aut *gratiæ divinæ virtutem in abluendis peccatis adumbrandam*, nec propter *nominis JEſu profeſſionem edendam*, ſed potius propter ſacramentalem ſuam naturam, materiæ cœleſtis *ὀσίας*, ſangvinis Chriſti gratioſam efficaciam, regenerationis & renovationis efficientiam &c: qvæ ſingula, remiſſionem peccatorum baptiſmo competere, ſatis luculenter demonſtrant.

8. (IV)

8. (IV) *Qvia summa Apostolicæ doctrinæ, pœnitentiæ & remissionis peccatorum in nomine Christi prædicatione, continetur Luc. 24.47.* Rx. (1) *unius positio non est alterius remotio:* Baptismus enim non *excluditur*, sed *includitur*, qvemadmodum ex locis parallelis est manifestum *Matt. XXIIX. 19. Marc. XVI.15.16.* sicut igitur Christus in gemino isto loco Baptismum doctrinæ, vel prædicationi verbi, conjunxit, ita pariter eum apud *Lucam* subintellectum voluit. (2) *Prædicatio pœnitentiæ & remissionis peccatorum baptismum* post se reqvirit, ut patet ex *praxi Iohannis Baptistæ, Christi & Apostolorum.* Nam *Matt. III. 1.* de *Iohanne* dicitur, qvod *venerit Iohannes BAPTISTA, prædicans in deserto Iudææ dicens: Pœnitentiam agite, appropinqvavit enim regnum cœlorum:* illud ratione *præconii v. 3. 4. 7. seqq.* ratione *baptismi v. 5. 6.* declaratur, unde dicit ipse *v. 11. Ego baptizo vos in aqva in pœnitentiam:* clarius illud apud *Marcum c. I. 4. Fuit in deserto Iohannes BAPTIZANS, & PRÆDICANS BAPTISMUM POENITENTIÆ IN REMISSIONEM PECCATORUM:* & apud *Luc. III. 3.* notatur: *Venit Iohannes in omnem regionem Iordanis, prædicans batismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Hinc etiam *Socinus* illud fateri cogitur *lib. de Bapt. p. 64. Iohannes, ut apertissimum est, baptizabat ad pœnitentiam in remissionem peccatorum.* Idem etiam *praxis Christi* confirmat, qvi *Matt. IV. 17.* prædicabat Pœnitentiam & remissionem peccatorum, inqviens: *Pœnitentiam agite, nam appropinqvavit regnum cœlorum;* & per discipulos suos *baptismum* administrabat *Ioh. IV. 2.* eumq; ,ceu maxime necessarium, ad ingressum regni cœlorum urgebat *Ioh. III. 3. seqq.* unde doctrinam & baptismum indissolubili nexu Christianis præscribit *Matt. XXIIX. 19. Marc. XVI. 15. 16.* Qvæ fuerit *Apostolorũ praxis* circa *pœnitentiæ præconiũ*, præter alia qvamplurima loca, sufficienter in Actis Apostolicis ad scripta, vel prima concio pœnitentialis *Act. II.* monstrat, ubi *Petrus* ad plenam & Christianam auditorum interrogationem, *Qvid faciemus?* v. 38. respondet: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusqvisq; vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* (3) *Apostolicæ doctrinæ summa* dicitur illis verbis contineri non *explicite*, sed *implicite*, cum alias ipsi *Sociniani* plura capita doctrinæ proponant, & ad summarium Apostolicæ doctrinæ baptismus etiam referatur *Heb. VI. 2.* (4) *Dist.* inter *medium remissionis peccatorum ex parte*

nostri, qvod *pœnitentia* dicitur, & *ex parte* DEI, qvod *baptismus* appellatur, cum DEus etiam per baptismum nos à peccatis emundet.

9. (V) *Qvia si Baptismus aqvæ in remissionem peccatorum propriè institutus esset, nunqvam Paulus, Christum se non misisse, ut baptizaret, qvocunq; respectu scribere potuisset; At scripsit; Ergo hinc apparet, aqvæ baptismum propriè non institutum esse in remissionem peccatorum.* ℞. (1) Qvod aqvæ baptismus propriè sit in remissionem peccatorum institutus, jam ex superioribus apparet, cum ejus rei clarissima dicta in scripturis citata sint. (2) Hinc tamen neutiqvam dicendum est, baptismum esse *solitarium* remissionis peccatorum *medium,* cum etiam per verbum & sacram cœnā remissionem peccatorum Deus conferat *Matt. IX. 2, XXVI. 28. Dist.* igitur inter *medium proprium & solitarium: proprium* qvidem est medium, sed propterea non est *solitarium.* (3) *Paulus I. Cor. I. 17.* ad *vocationem* suam *explicitam* respicit, qvæ recitatur *Act. IX. 15. Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus & filiis Israel:* qva ratione non tam ad baptisandum, qvam ad prædicandum missus est: hæc proinde verba magis *comparative,* qvam *absolute* intelligenda veniunt, sicut *contextus* & *Pauli scopus* id evidenter ostendunt.

QVÆSTIO TERTIA.

Num præsentibus Ecclesiæ Ministris etiam laici Baptismum administrare possint, vel debeant?

1. Circa *statum Controversiæ* notandum (1) Qvod non sit in qvæstione, *Num aliqvando laici baptismum administraverint?* nam de circumcisione V. T. & de baptismo notum est, qvod interdum laici, vel etiam mulieres ejus administrationem susceperint. (2) Nec qværitur, *num laici de jure simpliciter ab administratione Baptismi sint excludendi?* Hæc enim *Calvinianorum,* non *Lutheranorum* sententia. (3) Nec modo soliciti sumus de *casibus necessitatis,* annon qvando periculum mortis adest, infans natus à laicis baptisari possit, si nullus minister haberi qveat? nam hoc etiam, juxta praxin Ecclesiæ, baptismi naturam, circumcisionis analogiam &c: affirmamus. (4) Neq; loqvimur modo de *factu,* vel *exemplis extraor-*

traordinariis, utpote qvæ regulam nec faciunt, nec tollunt. (5) Neq; sermo nobis de *primitiva Ecclesia*, qvæ multa tulit singularia, neutiqvam hodie ad imitationem trahenda (6) Neq; disserimus hic de *talibus casibus, ubi minister ordinarius absit, nec ad baptismum commode, vel tuto vocari posset*, qvod sæpius in persecutionibus & aliis periculis contingit. (7) Sed illud potissimum in qvæstionem venit, *An in præsentia Ministrorum vocatorum & ordinariorum laici baptismum administrare possint, vel debeant?* Nos tuemur *negativam, affirmativam Sociniani* tueri conantur.

2. *Volckel. in dissol. nodi Gordij contra Smigl. p. 18.* causam *Socinianorum* agit, & ipsorum affirmativam probare satagit (I) *ab analogia cœnæ*, qvia qvilibet laicus, præter ministrum, cœnam dispensare potest, *dum ministri persona nullam huic ceremoniæ mutationem affert, nullam sanctitatem conciliat, sed qvicqvid horum habet, id omne ad illum, qvi ejus autor est, referendum &c.* ℞. (1) *petitur principium*, qvia hoc etiam est, qvod negamus: Sacramenta sunt *Ecclesiæ*, adeoq; publica bona; non igitur privatæ, sed publicæ dicitur potestatis, dispensare Sacramenta. (2) Minister non ratione *sui*, sed ratione *officii* Sacramentorum est dispensator *I. Cor. IV. 1.* (3) *Autor Sacramentorum*, & *Minister* vel *dispensator*, *relata* sunt & *subordinata*, non *opposita*; qvod igitur sanctitatis adest Sacramentis, *autor* ordinat, *dispensator* applicat. (4) N. C. *Minister* non est sanctitatis *collator*, Ergo non est ordinarius *dispensator*.

3. (II) *Qvod itidem multò magis de baptismi administratione existimandum.* ℞. (1) *concedendo*, qvod Minister Baptismo non conferat dignitatem, vel sanctitatem, sed *conseqventia negatur*, qvod propterea neutiqvam ordinarie eum dispensare debeat. (2) *Dist.* inter *casum necessitatis* & *libertatis.* (3) Si *Volckelius* rationes aperti, & plenius produceret, pleniorem responsionem accipere posset

4. (III) *Qvia nos statuamus, ejusmodi casum incidere posse, ut à qvolibet actio ista rite perficiatur.* ℞. (1) *Casus per accidens* fiunt: ea, qvæ *per accidens* fiunt, illis, qvæ *per se* sunt, opponenda non veniunt. (2) non tam ex *contingentibus casibus*, qvam ex *ordinariis actibus*, de baptismo judicandum. (3) sunt *casus necessitatis*, non *nostræ libertatis*.

5. (IV) *Qvia in hoc Lutherani cum aliis non leviter errant, qvod hoc in casu necessitatis fieri posse existimant, nim. absente ministro legitimo*

mo, idq; propter summam baptismi necessitatem. Nam nec baptismum summe ad salutem necessarium esse, uspiam apud sacros autores scriptum legimus: nec eam ipsam ob causam iste necessitatis casus accidere potest. ℟. *Necessitas* baptismi probatur *ex clarissimis dictis Ioh. III. 3. 4. 5. 6. ex divinis præceptis Matt. XXIIX. 19. Act. II. 38. ex divinis promissis Marc. XVI. 16. &c.*

6. (V) *Qvia nihil prohibet, qvo minus & præsente legitimo ministro baptismus à qvolibet administretur.* ℟. (1) contrarium patet ex *baptismi natura, statu Sacramentorum in Ecclesia &c:* cum enim Baptismus sit publicũ Ecclesiæ Sacramentum, propterea reqviritur, ut & à publico ministro dispensetur. (2) Sicut non cuilibet privato permissum est in politiâ sumere sibi vel autoritatem, vel potestatem in publica bona, sic idem de *bonis Ecclesiæ publicis* judicandum. (3) *Dist.* inter illud, qvod de *jure* fit, & qvod de *facto.* (4) cum omnia κατὰ τάξιν fieri debeant in Ecclesia *I. Cor. XIV. 40.* omnino multa prohibent, qvo minus laicus baptisma administrare possit.

7. (VI) *Qvia hoc factum fuisse in Actis Apostolorum legimus, ubi Petrus, qvi Apostolus, ideoq; legitimus minister erat, jussit, ut se præsente Cornelius una cum tota familia sua baptizaretur. Qvod qvidem à fratribus Ioppensibus, qvi una cum Petro venerunt, factum esse contextus luculentissime docet.* ℟. (1) à *factis singularibus* ad *causas universales* argumentari non licet. (2) aliud est loqvi de *Ecclesia plantanda,* aliud de *plantata:* multa siqvidem in Ecclesia plantanda cumprimis qvoad miraculosam Spiritus S. donorum effusionem facta sunt, qvæ cum illis donis postea cessarunt, nec amplius in exemplum, vel imitationem trahi potuerunt: nam propter illa dona peculiarem & extraordinariam vocationem multi consecuti sunt, qvi ministeriales partes susceperunt, licet alias in ministerio vel antea non vixerunt, vel alios respectus habuerunt: id qvod etiam locum hic habere dicitur. (4) *Petrus* qvando dixit: *Nunqvid aqvã qvis prohibere &c:* eo certe semetipsum à baptizantibus non exclusit, sicut *Act. II. 38.* ibi v. 41. *eventꝰ* subjungitur, qvod auditores libẽter susceperint sermonem ejus, & baptizati sint, ubi citra dubium *Petrus* etiam inter Ministros baptizantes repertus est: sic idem h. l. negari neq; potest, neq; debet (5) Posito, qvod à *fratribus Ioppensibus* baptismus administratus sit: illi tamen *fratres & ministri,* non solum *auditores & laici* fuerũt, sicut ex similibꝰ exemplis in Actis Apostolicis est manifestũ.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Artic. X.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE

COENA DOMINICA.

Disp. XIII. Resp. M. MICHAEL Bohmi Lipsiensis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Efficiens Causa Cœnæ Dominicæ sit Christus Omnipotens, omnisapiens & omniverax?

I.

HÆc quæstio desumta fuit ex *Formul.Concord. p.737.* ubi legimus: *Cum Dominus & Salvator noster Iesus Christus, de qvo (ut unico nostro præceptore) severissimum mandatum de cœlis omnibus hominibus datum est: HUNC AUDITE: non sit vulgaris aliqvis homo, aut angelus: nec sit tantummodo verax, sapiens, potens: sed & ipsa æterna veritas & sapientia, & verus omnipotens DEus, qvi rectissime novit, qvid & qvomodo loqvi debeat, & omnia, qvæ loqvitur, ac promittit, potentissime efficere & præstare valeat, sicut ipse inqvit: Cœlum & terra transibunt: & alibi: Mihi data est omnis potestas in cœlo, & in terra &c.* ideo *B. Franzius*, & alii *Theologi*, *Christum omnipotentem, omnisapientem, & omniveracem, autorem principalem Sacræ Cœnæ* constituunt, qvemadmodum *B. Franzius disp. XI. in August. Confess. th. 2. seqq.* prolixè hanc propositionem demonstravit: *De Causa Efficiente Cœnæ Dominicæ, qvæ est Christus omnipotens, omnisapiens & omniverax.* Huic *thesi Smalz. in refut. Franz. p. 326.* contradicit, qvem modo paucis examinabimus.

2. Hic observandum, qvod non de *causa qvacunq; Cœnæ hujus* sit sermo, sed de *causa principali, vere divina*: nam alias ipsi *Sociniani, Christum esse Causam Efficientem Cœnæ Dominicæ*, non inficiantur, sicut statim ab initio scribit *Smalzius*: *Prima sectio* (Franzii) *est de Causa Efficiente Cœnæ Dominicæ; de qva qvia nulla est inter nos controversia, nulla hic opus est responsione.* Verum (1) mox varia respondere conatur, adeoq; sibimetipsi contrarius est. (2) ὅμοιος ἀλλή-

 ων,

on, *ἀνόμοια φρονοῦσιν*, ipsi *Sociniani*, *verbis* igitur consentiunt de *causa cœnæ*, *sententia* verò maxime dissentiunt, prout prolixè demonstrari posset.

3. (2) Qvod non de *causa Efficiente Cœnæ vulgaris*, sed *sacramentalis*, hic agatur, qvæ verè sit *medium nostræ salutis*, non autem *indifferens*, vel *nuda qvædam ceremonia*, prout communiter *Sociniani* docent: unde recte dicitur esse necessarium, ut statim in ipsa *causa Efficiente* nostra fides certa qvædam fulcra respiciat, ne per rationis dubia varia loco moveri qveat: Non placet hoc *Smalzio*, qvare pergit: *Animadvertere qvædam necesse est, sparsa in thesibus. Miro enim, vel potius crasso artificio, ut suam monstrosam obtineat sententiam Franzius de Cœna Domini, viam sibi sternit, dum IEsum Christum omnipotentem, omnisapientem, & omniveracem vocat:* Verum *monstrosa sententia corruptæ rationi* videtur, *veræ fidei*, juxta verbum DEI, talis non dicitur. Deinde non *mirum*, nec *crassum*, sed huic *mysterio, nostræq; fidei congruum*, dicitur *artificium*, qvod talia *B. Franzius* supponit, cum *mysterium* ipsum talia fundamenta reqvirat, & nostra *fides* adjumenta talia supponat.

4. (3) Qvod nec ipsa *causa Efficiens*, nec ejus *ad ipsam cœnam relatio*, nec ipsius *Cœnæ Conditio, sensu Sociniano*, sed potius *Christiano*, sit intelligenda: nihil igitur valent reliqva *Smalzii* verba, qvæ subjungit *σοφιστικῶς*, ut assertionem & confirmationem *Franzii* lectoribus suspectam reddat inqviens: *Qvæ recte intellecta, licet nemo in dubium vocet, non sunt tamen recte à Franzio demonstrata, nec ostensum est, qvomodo ad rem faciant.* Verum ut contrarium ad oculum patescat, *B. Franzii* verba notabimus, qvo lectoribus fraus Smalzii patefiat.

5. Hæc est *thesis B. Franzii: Causa Efficiens Cœnæ Domini est Christus omnipotens, omnisapiens, & omniverax.* Singula hujus theseos verba postea demonstrat, tum *conjunctim*, ex verbis institutionis: *Causa Efficiens Cœnæ Dominicæ est Christus Jesus, Dominus & Servator noster ipse Matt. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19. sicut qvodq; & vel cumprimis 24. 25. 26. distinctim* de singulis particulis: *Is* inqvam, cui ante passionem suam *omnia tradita fuerant à Patre Matt. XI. 27. Joh. III. 25. XIII. 3.* qvi post passionem iterum profitetur, *datam*

tam sibi esse omnem potestatem in cœlo & in terra Matt. XXIIX. 18. qvi est *splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, portans omnia verbo virtutis suæ Heb. I 3.* Is iterum inqvam, *qvi est constitutus ad dextram Patris in cœlestibus supra omnem principatum, & potestatem & virtutem, & dominationem & omne nomen, qvod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, subjecta habens pedibus suis omnia Eph. I. 20. 21. 22.* unde in Apostolos, & alios effundebat plus qvam *miraculosa, & multiplicia dona Spiritus Sancti, perfectissimam rerum cœlestium omnium sapientiam, DEI & voluntatis divinæ summam scientiam Act. II. 2. I. Cor. XII. 7. 8. I. Joh. II. 27. fortitudinem ineffabilem ad sustinenda martyria Rom. IIX. 26. 38. 39.* Is inqvam, *solus cum Patre & Spiritu S. verus DEus,* utpote qvi est ita *ante Abraham Joh. IIX. 58.* ut nuspiam ante Abrahamum cœperit: ideoq; ei assimiletur *Melchisedech, nec initium dierum, nec vitæ finem habens Heb. VII. 3. Ille, imago DEI invisibilis & primogenitus (Dominus) omnis creaturæ, in qvo condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia; sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt Col. I. 15. 16.* Qvod enim *Smalzius lib. de divin. c. 16. fol. 98.* scribit: *Creare omnia invisibilia in cœlis, esse angelorum pristinas dignitates mutare, ut aliæ nunc sint ab illis, qvas antea, qvam Christus in cœlum adscenderet, habuerunt:* id commentum ipsius, non verò doctrina scripturæ sacræ est. Et annon ineptum sit, qvod *Socin. adv. Erasm. Johannis p. 171.* scribit: *Sicut novi Reges, novam formam officiorum constituunt, ita qvoq; Christum angelorum munia &c: mutasse in ascensione sua:* ipsis illis extra verbum talia eructantibus, judicandum committimus penitus. *Is* iterum inqvam, qvi sicut omnia creavit, ita *omnes ex morte resuscitabit Ioh. V. 25. 28.* Talis igitur est *Cœnæ Dominicæ Autor & Ordinator*, qvi omnia, qvæ vult, *potest facere in cœlo, & in terra; seu qvi habet omnem potestatem in cœlo & in terra: ubi omnis potestas* certe est *omnipotentia*, hoc est, *absoluta, perfectissima, infinita, indeterminata, non limitata, divina, adeoq; DEI ipsius ipsissima omnis, omnis, omnis, sine exceptione, potestas,* qvam nos mente humana neqvaqvam asseqvi, vel ex minima parte, nedum lingvarum nostrarum infirmis vasculis eloqvi possumus, credere autem firmiter & constanter, ut etiam admirari & obstupescere debemus. Qvam *potens*

autem est *Cœnæ hujusce auctor*, tam qvoq; est *verax* & *sapiens*, utpote *plenus veritatis Ioh. I. 14.* imò *ipsa veritas Ioh. XIV. 6.* unde *in ejus ore nunqvam inventus est dolus I. Pet. II. 22.* ut eidem credere debeamus, sive *terrena dixerit, sive cœlestia Ioh. III. 12.* hoc est, qvæcunqve docuerit, mandaverit, explicaverit, summa, mediocria, infima, consentanea aut dissentanea nostræ rationi visa. Qvippe *sapientia* qvoq; *DEI est I. Cor. I. 24.* & *in eo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ*, qvam sapientiam DEI mundus sua sapientia nunqvam potuit cognoscere, sicut legatus Christi, & *Gentium Doctor Paulus I. Cor. I.* illam radicem & scaturiginem omnium contradictionum, contentionum & errorum, in mundo gravissime taxat, nim. humani ingenii confidentiam & superbiam, alio pulcherrimo exemplo ex articulo de redemtione generis humani, per crucem Christi, qvæ crux Christi, ut & verbum crucis revera omnibus piis est virtus & potentia DEI, pereuntibus autem stultitia. Dum igitur prolixius ibidem ostendit, ingens esse discrimen inter *humanam sapientiam*, & *sapientiam DEI*, & monet DEum adversari *humanæ sapientiæ*, qvæ sese *contra verbum ipsius* effert, sicut & *sapientia carnis sit inimicitia adversus DEum Rom. IIX. 7.* ubiq; hoc vult, perpendendam esse *sapientiam sapientum*, & *prudentiam prudentum* reprobandam: siqvidem DEus stultam fecit *sapientiam hujus mundi*, qvia qvod *stultum est DEI*, *sapientius est hominibus*, & qvod *infirmum est DEI, fortius est hominibus*. Audiamus igitur de hoc, & de aliis mysteriis, illum solum, qvi *factus est nobis sapientia à DEO, ut etiam justitia & sanctificatio, & redemtio.* DEus enim in omnibus articulis vult agnosci, sicut se patefecit, & alligat nos ad verbum, ad fidem, ad cultum, & ad obedientiam, & hujusmodi exercitiis piorum unice delectatur, qvando ab ipso toti pendemus, & ipsi simpliciter & humiliter uni confidimus, nec pro nostro, plus qvam stultissimo, & prorsus in rebus divinis, omnem cogitationem, & lingvam hominum per infinitas myriades transcendentibus, cæcutiente arbitratu media somniamus. Ex qvibus erit lectoribus apertum, qvod *B. Franzius* plane satis & plene demonstrarit, autorem cœnæ esse *Christum JEsum, omnipotentem, omnisapientem & omniveracem*, & in ultimis thesibus satis aperta reperitur *applicatio*, qvod mul-

multis demonstrare possemus, nisi res omnis in vado versaretur: falsum igitur est, qvod *Smalzius* dicit; *hæc à Franzio non esse recte demonstrata, nec ostensum, qvomodo ad rem faciant*, qvia qvod *Franzius* demonstravit, & in genere simul ad omnes *articulos fidei*, & ad *præsens mysterium* accommodavit.

6. Sed *Smalzius* nonnulla fundamenta videtur urgere, qvibus nobis orthodoxiam de *Causa*, vel *autore principali Cœnæ Dominicæ* dubiam reddere conatur. (I) *Qvia etiamsi Christus sit omnipotens, non potest tamen ea, qvæ per se & naturâ suâ imposibilia sunt.* ℞.(1) adsumimus hoc, qvod *Smalzius* largitur, Christum *omnipotentem* esse, licet hoc cum aliis *Socinianis* sincere non credat. Si proinde Christus est *omnipotens*, seqvitur etiam, qvod corporis & sangvinis sui præsentiam in cœna præstare qveat. (2) Falsum est, qvod *præsentia corporis & sangvinis per se* sit *imposibilis*, aut *natura sua imposibilis*, hoc dicit *Smalzius*, non autem probat. *Dist.* autem inter *imposibilia naturâ*, & *naturæ*; facile largimur, qvod *naturæ* hoc sit impossibile, falsum verò, qvod *natura sua* sit impossibile.

7. (II) *Qvia DEus ipse ea, qvæ sunt natura sua imposibilia, posse, dici non potest*: talis autem dicitur *Cœna*, qvæ veram infert præsentiam corporis & sangvinis Christi: Ergo nec Christus ea præstare potest. ℞.(1) *Imposibilia natura sua* vocantur, qvæ simpliciter *non ens*, aut *entis negationem* inferunt, nec rationem *entitatis*, aut, ut loqvuntur, *factibilitatis* admittunt: falsum autem, qvod *præsentia corporis & sangvinis* talem rationem *non Entis* inferat: falsum igitur, qvod *natura sua* sit *imposibilis*, qvod hic male *Smalzius* præsupponit. (2) Falsum, qvod DEus præstare non possit, ut corpus Christi sit præsens in cœna, contrarium multis demonstrari posset, nisi sæpius illud alibi factum esset.

8. (III) *Qvia omnisapientia & veritas nibil valent, ubi revelatio, vel promissum nullum antecesit.* ℞.(1) male *Smalzius omnisapientiam* & *veritatem divinæ revelationi*, vel *promissioni* hic opponit, cum ex hac illa nobis innotescat. (2) Falsum, qvod in hac cœnæ causa non extet divina *revelatio*, vel *promissio*, contrarium enim *institutionis verba* testatum faciunt, ubi disertis verbis dicitur, *Hoc est corpus meum* &c:

9. (IV) *Qvia omnipotentia Christi sic necessariò limitanda est, ut non excedat significationem vocis Christi, qvæ qvia unctum, vel Regem significat, statuendum est, Christum nunc eatenus omnipotentem esse, qvatenus id ad salutem nostram extenditur. Qvod verò afferuntur loca, ad demonstrandam Christi omnipotentiam ante passionem ipsius, & exaltationem, in eo duplex error est. Nam & vox* Omnia *universaliter accipitur, cum tamen nemo nesciat, eam plerumq; generatim accipiendam esse: & vox* tradendi, *vel* dandi, *pro reali traditione, vel datione accipitur, cum non minus usitatum sit, eam pro prædestinatione traditionis & dationis accipi.* ℞.(1) *Restrictio* talis *omnipotentiæ* commentum *Socinianorum*, non autem mysterium sacrarum literarum est. Christo tribuitur *indefinita*, vel *illimitata potestas*, in dictis à *B. Franzio* citatis, & alibi, nec in locis adductis *Christi* nomen, aut *formalis nominis*, vel *significationis* ejus respectus invenitur. (2) Pari modo *Christi potestas* in oraculis allegatis non tantum ad *negotium salutis* restringitur, sed potius ad *res omnes*, ad *creaturas omnes* extenditur. Christus indefinitam ejusmodi potestatem possidet, qvæ non tantum ad *fideles*, sed etiam ad *infideles*, & ad ipsos qvoq; *Diabolos* se prorsus universaliter extendit, qvibus tamen cum negotio salutis nihil commercii. (3) Ubi vox *omnia* non restringitur in textu, ibi qvoq; restrictio talis eidem non est affingenda; nec ullam ex textu restrictionem *Smalzius* ostendere potuit. (4) Sic etiam verba *tradendi, dandi*, manifestis indiciis textus de *actuali* vel *datione*, vel *traditione*, nobis intelligenda veniunt, cum *prædestinatio* non sit *temporis*, sed *æternitatis*: & qvæ DEus Pater homini Christo destinaverat ab æterno, de iis Christus in citatis locis testatur, qvod nunc qvoad actualem traditionem, vel dationem ea possideat.

10. (V) *Qvia Christi potentia, sapientia, veritas non potest efficere, ut aliqvid ille faciat, qvod verbo illius, nobis tradito, contrarium* sit. ℞.(1) *Christi sapientia* & *veritas, in*, & *è verbo, potentia* verò *in*, & *è facto* elucescit, adeoq; inter se conferenda sunt. (2) Falsum est, qvod Christo *potentia, sapientia, veritas*, aliqvid verbo DEI contrarium efficere velint, adeoq; nec talia vel *potentiæ*, vel *sapientiæ*, vel *veritati* recte tribuuntur. (3) Falsum, qvod vel in aliis, vel in hoc de *Cœna*

nego-

negotio *Lutherani potentiæ, sapientiæ & veritati Christi* qvicqvam tribuant, qvod verbo DEI contrarium sit.

II. (VI) *Qvia præposterum est, docere, Christum posse omnia facere, & interim non docere, illum promisisse, se aliqvid facturum; ostendatur, illum promisisse aliqvid, vel saltem revelasse; & nemo erit, qvi id eum facturum, vel facere posse, dubitaturus sit.* ℞. (1) Satis illud à B. *Franzio* demonstratum; cur igitur *Smalzius* veritati demonstratæ non subscribit, sed contumaciter eidem contradicit? (2) *Dist.* inter *demonstrationem realem* & *verbalem*: non qvibuslibet, & ad hæreticorum palatum accommodatis verbis Spiritus S. dogmata fidei demonstrat, sed *realiter* & *doctrinaliter* illa manifestat. (3) Clarissima sunt Christi verba: *Hoc est corpus meum: Hic calix est Novum Testamentum in meo sangvine*: clarissima sunt *Pauli verba I. Cor. X. 16. c. XI. 23. seqq.* in his si *Smalzius* acqviescere vellet, de clara vel revelatione, vel promissione, vel demonstratione, nullum dubium moveret. Jam valet illud: *Semper contrarius esto.*

QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum Materia Cœnæ Dominicæ non tantum sit panis & Vinum, sed etiam Corpus & Sangvis Christi?

1. Circa *qvæstionem* ipsam indicamus (1) qvod varia sint de *Cœna Dominica* somnia *Socinianorum*, utpote qvod sit *nuda qvædam ceremonia Volkel.* l. 4. de Ver. Relig. c. 22. p. 301. *Smalz.* contra Fr. p. 347. *Socini*, & alios passim, qvod non sit *Sacramentũ Smalz.* d. l. *Ostorod. in instit.* p. 330. qvod in *locum ceremoniarum abrogatarum V.T. sit à Christo instituta Volkel.* d. l. qvod *nullo nitatur verbo promissionis. Socin.* de Cœna p. 85. qvod *verbum DEI, ex qvo fides nostra confirmatur, in Cœna Domini non sit necessarium p.* 41. qvod *saltem instituta sit, vel potissimum, ut perpetua extet in Ecclesia commemoratio, & ipsius, & mortis, qvam pro nobis sustinere voluit p.* 3. qvod *licet à Domino sit instituta, tamen opus nostrum sit, nihil prorsus miri in se continens, aut præ se ferens, nihil deniq; habens, qvod qvicqvam eorum verum esse nobis ostendat, vel svadeat, ex qvibus fides nostra confirmari qveat*: & qvæ sunt alia commenta. His enim & aliis cognitis, nec mirum alicui videri potest,

test, qvod nihil præter panem & vinum, à Socinianis Cœnæ tribuatur.

2. (1) Qvod non tantum de *Materia visibili*, vel *externa*, vel, ut vocari consvevit, *terrestri* sit sermo, sed etiam de *invisibili, interna* & *cœlesti*, adeoqve de *tota, adæqvata & sacramentali materia* qvæstio movetur, qvæ materialiter totum sacramentum absolvat. Nos dicimus, qvod *Panis & Corpus Christi, Vinum & Sangvis Christi*, sint *materia tota Sacramenti*, contrariam sententiam *Sociniani* tuentur, & præter panem & vinum in cœna nec Corpus & Sangvinem Christi dari, pertinaciter inficiantur. *Sacramentum Cœnæ Dominicæ*, scribit *Socin.* in tract. de Cœna p. 56. *nihil porrigit præter panem & vinum. Smalz.* contr. Franz. p. 327. *Secunda sectione docet* [Franzius] *qvæ sit substantia Cœnæ Domini, nempe duplex, Terrena & Cœlestis. De terrena, qvæ est panis & vinum, non est ulla controversia: de altera videamus, qvid dicat Franzius. Hanc autem dicit esse Corpus & Sangvinem Christi. Hoc nos negamus. Ostorod.* in instit. c. 38. p. 331. **So wollen wir den weiter besehn/was für Speise und Tranck im Nachtmal sind. Dieselbe aber sind anders nichts/ denn nur schlecht Brodt und Wein / nemblich was ihre substantz und Natur betrifft.** Ubi notandum, qvod non agatur hic de *substantia panis & vini absolute*, num adhuc in cœna sit substantia panis & vini? nam hoc contra *Papisticum Transsubstantiationis commentum* defendimus: sed de *natura*, vel *substantia cœnæ*, qvid panis & vinum sacramentaliter in Cœna sit, vel ex qvibus substantia Cœnæ *materialiter* constituatur, qva ratione dicimus, qvod *materialiter* non tantum *panis*, sed etiam *corpus Christi*, non tantum *vinum*, sed etiam *sangvis Christi* reperiatur.

3. Sed missis aliis testimoniis, potiora qvædam *argumenta Socinianorum*, cumprimis juxta ductum *Ostorodi* l.d. nunc examinabimus. I. *Qvia hæc Elementa sancta sunt, non propter naturam suam, sed propter usum suum, gratia cujus instituta sunt.* ℞. (1) non qværitur de *natura Elementorum panis & vini*, sed de *materia totius Cœnæ*, prout qvæstio monstrat: hic igitur *ignoratio Elenchi* committitur, (2) *Elementa sancta* sunt, non qvoad *usum absolutum*, qvia datur etiam

iam *vulgaris*, imò *abominabilis* usus panis & vini, sed propter *usum relativum*, vereq; *sacramentalem*: *sacramentalis* autem *usus* non consistit in solius *panis* & *vini*, sed etiam in *corporis & sangvinis Domini participatione*. (3) Si *Elementa sancta* sunt propter *usum*, cujus gratia sunt instituta, seqvitur, qvod non sint sola, qvoniam instituta sunt propter *corporis Christi manducationem*, & *sangvinis Christi bibitionem*, ut institutionis verba demonstrant.

4. II. *Qvia sicut panes propositionis in V.T. licet nudi panes essent, tamen propter usum, gratia cujus ordinati fuerunt, sacri dicebantur.* ℞. (1) alia est *ratio panis ceremonialis propositionis*, alia *ratio panis sacramentalis institutionis*, nam toto cœlo distare dicuntur: ille siqvidem *typum* offerebat, hic *antitypum* sistere debebat: ille destinabatur *sacerdotibus in usum qvotidianum*, hic verò *fidelibus in usum salutarem atq; mysticum*: ille *Domino* offerebatur & proponebatur, hic *fidelibus Christianis* offertur, atq; proponitur. &c: (2) *Panes propositionis* neutiqvam peculiare Veteris Testamenti *sacramentum* constituerunt, sed ad levitici cultus statum tantummodo pertinuerunt, cum duo tantum fuerint V.T. Sacramenta, *Circumcisio* nimirum & *agnus Paschalis*: at panis Eucharisticus vere sacramentalis est.

5. III. *Qvia scriptura diserte cibum illum panem, potum autem vinum vocat.* ℞. (1) Scriptura diserte *cibum* illum *panem*, & *potum* illum *vinum* appellat non *exclusive*, sed *inclusive*, non *absolute*, sed *relative*, adeoq; neq; *corpus*, neq; *sangvinem* excludit, cum juxta Logicos, *à non exclusiva minime liceat ad exclusivam argumentari.* (2) scriptura loqvitur de *pane sacramentali*, vel *eucharistico*, sicut materia substrata, vel contextus ostendit, non de *pane vulgari*, vel *physico*, prout *Ostorodus* autumat. (3) Scriptura non tantum *panem* appellat *cibum*, & *vinum potum*, sed etiam de *pane* pronunciat, qvod hic *panis, qvem frangimus, sit participatio corporis Christi, calix* autem, *cui benedicimus, sit communicatio sangvinis Christi* I. *Cor. X.16.* Confer. *c. XI.v.27.seqq.*

6. IV. *Qvia nostri sensus, nimirum visus & gustus, nihil aliud, qvam nudum panem & vinum ibidem deprehendunt.* ℞. (1) Cœna *mysterium* est, adeoq; non *sensualis observationis*, sed *cœlestis revelationis*,

non *objectum physicum*, sed *mysticum*, non *res externæ speciei*, sed *internæ fidei*. (2) *Dist.* inter *Elementum externum*, & *mysterium*, vel *sacramentum internum*, ad illud *externi sensus* spectant, at hoc verò minime penetrant, nec penetrare possunt. (3) Sicut in baptismo tantum externum *Elementum aqvæ* videtur, in prædicatione verbi tantum *externus sonus* auditur, & tamen utrobiq; mysteria magna regni cœlorum inveniuntur, qvod fideles credunt, etiamsi *Photiniani* neutiqvam id sincere credere velint, sic eadem ratione *visus* & *gustus*, tantum *panem* & *vinum* percipiunt, sed *fides* animæ *corpus* & *sangvinem Christi*, secundum autoris promissum, conseqvitur.

7. V. *Qvia vehementer errant, qvi statuunt, qvod cibus iste sit corpus, potus autem sangvis Christi, sive fiat per Transsubstantiationem, ex sententia Papistarum, sive per sacramentalem unionem, ex sententia Lutheranorum, sive per spiritualem manducationem, ex sententia Calvinianorum*, qvas omnes sententias repudiat *Ostorodus*. R. (1) nititur *hypothesi falsa* noster adversarius, dum præsupponit *institutionis verba* non *proprie*, sed *figurate* accipienda esse, qvod à nostris sæpius refutatum est. Confer. *Form. Concord. tit. de Cœna.* (2) *Transubstantiationem Papistis*, *absentis corporis & sangvinis spiritualem manducationem, exclusivo sensu, Reformatis* relinqvimus, nos juxta scripturam & sacramentorum naturam, veram præsentiam & sacramentalem usurpationem, per & propter institutionem Christi Salvatoris, & sacramentalem unionem panis & corporis, vini & sangvinis, constanter asserimus atq; defendimus.

8. Huc faciunt etiam seqventes rationes, qvas *pag. 334. seqq.* contra τὸ ῥητὸν verborũ institutionis, & conseqventer contra præsentiam corporis & sangvinis Christi, vel cœlestẽ hujus sacramenti materiam urget (I) *Qvia foret impossibile, corpus & sangvinem hominis proprie manducare & bibere, neq; tamen qvicqvam eorum gustare, sed nudum panem, atq; vinum nudum, sensibus deprehendere.* R. (1) apud DEum non est impossibile verbum ullum, secundum angeli pronunciatum *Luc. I. 37.* Qvod igitur impossibile nobis, illud DEO non est impossibile. (2) In mysteriis fidei non videndum est, *qvid dicatur*, sed *à qvo dicatur*, & instituatur: cum igitur Christus verus DEus, corporis sub pane manducationem, sangvinis, sub vino bibitionem instituerit, utiq; credendum id est, non verò ratione

vel

vel sensibus scrupulosius inqvirendum. (3) *Dist.* inter *objecta sensuum* & *fidei*: panis & vinum sunt *objecta sensuum*, propterea sensibus exponuntur, dum oculis conspiciuntur, & gustu percipiuntur: sed *corpus & sangvis Christi* non sunt *objecta sensuum*, adeoqve nec *visu*, nec *gustu* deprehenduntur, sed *fide*, vere proinde hic adesse creduntur.

9. (II) *Qvia Christus abominabile qvoddam & horrendum sic præcepisset dicens, Edite, bibite, qvia nihil abominabilius est, qvam corpus hominis manducare, & sangvinem ejus bibere, & qvidem illius hominis, qvi summus sit benefactor & salvator, qvalis Christus fuit.* ℞. (1) aliud *abominabile* vel *horrendum dicitur*, aliud *abominabile*, vel *horrendum est*: licet hoc dicatur *Socinianis abominabile* vel *horrendum*, tale tamen non *est*, cum ex divina voluntate & bonitate, ac Christi Salvatoris institutione pendeat. (2) *Dist.* inter *cruentam* & *carnalem carnis humanæ manducationem ac humani sangvinis bibitionem*, & inter *incruentam vel sacramentalem*, qvalis hæc esse dicitur; non *hæc*, sed *illa* dicitur *abominabilis* & *horrenda*. (3) *Dist.* inter *manducationem ipsam*, & *manducationis modum*: non *ipsa manducatio*, cumprimis spiritualis & sacramentalis corporis & sangvinis Christi dicitur *abominabilis* & *horrenda*, sed *modus capernaiticus* foret *abominabilis* & *horrendus*, si qvis eum statuere vellet, qvi tamen à nostra sententia maxime dicitur alienus.

10. (III) *Qvia talis manducatio corporis esset inutilis, teste Christo Joh. VI. 63. siqvidem in corde hominis nihil operari potest: DEus autem & Christus nihil frustra faciunt.* ℞. (1) contrarium testantur *verba Institutionis*, qvod nimirum corporis manducatio faciat ad meriti Christi salutarem applicationem, qvia corpus illud accipimus, qvod pro nobis datum, & sangvinis bibitio qvoq; pertineat ad remissionem peccatorum, & veram nostri justificationem, qvia sangvinem illum bibimus, qvi pro nobis effusus est *Matt. XXVI. 28.* propter hos & alios usus manducatio corporis & bibitio sangvinis inutilis dici neqvit. (2) Christus *Joh. VI.* plane non agit de *sacramentali manducatione*, qvæ fit *in cœna*, sed de *spirituali manducatione*, qvæ fit *in verbo*, non de ea, qvæ fit *ore*, sed qvæ fit *sola fide*, prout alibi prolixe demonstravimus, & contextus ipse docet. Et sic *caro* non *pani*, sed *spiritui* potius opponitur, sicut integer locus ostendit,

qvia Christus dicit: *Spiritus est, qvi vivificat, caro non prodest qvicqvam*: non autem loqvitur de *carne sua*, qvæ juxta textum præcedentem, *vere vivifica* dicitur, nec audent hoc *Sociniani* negare, qvod multas caro Christi tulerit utilitates, sed loqvitur Christus de *carnali, vel crasso suorum verborum sensu*, occasione *Capernaiticæ detorsionis v. 25. Qvomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? v. 60. Durus est hic sermo, qvis potest eum audire?*

II. (IV) *Qvia hæc opinio pugnat cum præcipuis articulis Christianæ fidei, nim. cum Christi adscensione, & ejus ad dextram DEI sessione &c.* R. (1) inter *articulos fidei* nulla datur *pugna*, sed *conveniens harmonia*, si modo *fidei* relinqvantur, nec ad *judicium vanum rationis* remittantur, qvod hic fit à *Socinianis*. (2) falsum est, qvod hæc doctrina pugnet cum *adscensione, vel sessione ad dextram DEI*, cum Christus adscenderit *visibiliter*, & sedeat ad dextram DEI *omnipræsenter*, hic verò corpore, vel sangvine suo dicitur adesse *sacramentaliter*, inter qvæ certe nulla pugna reperitur, cum oppositio reqvirat *idem* non tantum *subjectum*, sed etiam *eundem subjecti statum, modum, respectum* &c. qvod hic minime servatur. (3) Sicut *visibilis præsentia* per se nihil immediate confert sacramentali corporis & sangvinis Christi perceptioni, qvod patet ex institutione primâ cœnæ, qva Christus visibiliter coram oculis Apostolorum sedit, & Cœnam instituit atqve distribuit, ut nimirum corpus non visibiliter manducarent, aut ita sangvinem biberent, sed ut utrumq; sacramentaliter perciperent, sic ejus *visibilis absentia* nihil adimit sacramentali manducationi, cum præsentia sacramentalis non sit visibilis, sed invisibilis. (4) Ex natura *dextræ DEI* potius nostra sententia confirmatur, qvam enervatur, qvia sic in usum omnipotentis & omnipræsentis majestatis divinæ pervenit, adeoq; fidelibus in his terris adesse vult & potest, & corpus suum ad manducandum, atq; sangvinem suum ad bibendum optime porrigere novit.

QVÆSTIO TERTIA.

An detur Unio Sacramentalis Panis & Corporis, Vini & Sangvinis Christi?

I. *Unio sacramentalis*, juxta B. Hutter. in Comp. loc. 21. q. 16. dicitur *divinæ virtutis operatio, qva duæ diversæ res, nempe terrena & cœlestis, hoc est, panis & vinum, corpus & sangvis Christi, in vero usu cœnæ,*

qvi

qvi consistit in manducando & bibendo, sacramentaliter, hoc est, supernaturali & ineffabili modo sibi invicem sunt unitæ, & secundum institutionem Christi simul distribuuntur & accipiuntur.

2. De hac *Unione sacramentali* prolixe dissеruit B. *Franz. d. 11. in Aug. Confess. sect. 3.* & ejus *fundamentum immediatum*, nimirum *Verbum institutionis*, atq; *mediatum*, nimirum *Unionem personalem*, copiosè demonstravit: *Hæc*, scribit inter alia, *Sacramentalis Unio fundamentum habet ipsa verba institutionis, & ipsam veracissimam promissionem, apud tres Evangelistas, & apud Paulum I. Cor. XI. 23. seqv. Porro & si Christus promisit & dixit expresse, se una cum pane corpus suum, & una cum vino sangvinem suum verum & substantialem in Cœna distributurum; tamen qvomodo is suum corpus cum sacro pane distribuat, & qvomodo is suum sangvinem cum sacro calice nobis bibendum distribuat, hoc non enunciavit, nec usquam manifestavit Dominus & Magister noster Christus. Itaq; primum pia mens in cœna panem & corpus, vinum & sangvinem agnoscat esse unum qviddam* Sacramento, h. e. *panem & vinum agnoscat esse media, organa & instrumenta* προσφερόμενα, *qvibus mediantibus juxta promissionem dentur, & comedantur corpus & sangvis Christi ipse, scilicet tunc, qvando media* προσφερόμενα, *panis & vinum, participantur. Deinde vero, qvando piam mentem profundius exercet cogitatio de Modo, tum eadem recurrit iterum ad verbum* DEI; *qvod monstrabit carnem Christi illis, ex unione cum omnipræsente* λόγῳ, *ditatam esse divinis eminentiis, ut sese singulis, ubiq; locorum communicantibus, sistere facillime possit, etsi nos Christi rationem illam sistendi suum corpus & suum sangvinem infinitis participantibus cogitando asseqvi, & intelligere, & eloqvi non possumus. Nisi corpus Christi cum* λόγῳ *omnipotente & omnipræsente unitum esset* ἀδιαιρέτως, ἀδιαλύτως & ἀδιασπάστως *plus, qvam aliud verum & naturale corpus, præstare non valeret, nec nisi verè in uno loco sese præsens exhibere posset. Jam verò propter unionem cum corpore suo, omnia, qvæcunq; vult, Christus perficere & agere potest, qvæcunq; & qvotunq; modo eadem promisit.* Plura vid. d. l.

3. Hæc & alia, qvæ juxta scripturam de *Unione sacramentali* B. *Franzius* protulit, sudes in oculis *Smalzio* videntur, unde *p. 330.* scribit: *Sectione tertia* (Franzius) *fabulam recenset, qvæ altera fabula nititur, nempe unionem panis & corporis, vini & sangvinis Christi, qvæ nititur unione qvadam personali, qvam homines otiosi ipsimet in Christo con-*

finxerunt, & cum eam probare neqveant, credi tamen volunt. Qvasi verò id credi possit, qvod nullo modo probari potest.

4. Qvod *Smalzius* mysterium *Unionis Sacramentalis fabulam* vocat, more suo facit, cum pleraq; mysteria regni cœlorum pro *fabulis Sociniani* venditent, non sine atroci *injuria*, & horrenda *blasphemia*. Mysteria scripturæ sunt *divinæ revelationis*, non *fabulosæ traditionis*. Probare verò conatur hæreticam suam assertionem (I) *Qvia nitatur alia fabula, qvod nempe juxta Franzii sententiam, unio panis & corporis, vini & sangvinis Christi, nitatur unione qvadam personali, qvam homines otiosi ipsimet in Christo confinxerunt.* R. (1) falsũ est, qvod *B. Franzius* hoc *primum* & *immediatũ* constituat *fundamentũ unionis sacramentalis*, nim. *mysterium unionis personalis*; contrarium ex eodem *th. 2.* demonstravimus, cum disertis verbis institutionis verba *primum & immediatum unionis sacramentalis fundamentum* constituat. (2) *Dist.* igitur inter *fundamentum immediatum* & *mediatum*, *proximum* & *remotum*, inter *τὸ esse sacramentalis unionis*, & *τὸ posse præstare sacramentalem unionem*; qvoad *priora B. Franzius institutionis verba* producit, qvoad *posteriora* ad *mysterium personalis unionis* respicit. (3) *Dist.* inter *modum generalem* & *specialem sacramentalis unionis*, inter *materiale* & *formale*: non ex *unione personali specialiter formalem rationem* unionis sacramentalis exponit, sed *generaliter materialem statum præsentiæ*, vel *unionis supernaturalis* inde deducit, sicut immediate seqventia verba demonstrant, Sic enim ad superiora pergit: Adeoq; Christi corpus nunc non *naturaliter*, vel *modo naturali* simul in omnibus, aut multis locis, ubi cœna Domini celebratur & administratur, præsens exhibetur; sed *modo spirituali*, QVI DEPENDET EX RATIONE UNIONIS PERSONALIS ET SESSIONIS AD DEXTRAM DEI, præsertim cum Dominus JEsus Christus ipse circa finem visibilis suæ conversationis, in verbis institutionis Cœnæ Dominicæ hoc expresse & fideliter promiserit. *Unionis* igitur *sacramentalis mentione* & *re*, neqvaqvam intelligimus hoc, qvasi *panis* & *corpus*, *Vinum* & *sangvis unum fiant natura*, vel *persona*, vel *perpetua connexione* qvapiam *simili*, neq; etiã indigitamus & fingimus, *localem* aliqvam *inclusionem*, qva oporteret corpus Christi *localiter* adesse & includi in pane, sicut stramen in sacco, cultrum in vagina, gladium in capulo, sicut alias qvodvis contentum in suo continente. Etsi *localiter*

qvi-

qvidem *adest panis benedictus*, tamen inde non seqvitur, qvod & propterea *localiter adsit corpus Christi* in pane. *Alio* siqvidem *modo* adest panis, aliter *corpus Christi*: *Corpus* enim *Christi* vere qvidem adest, qvia verba Christi, cum dicit, *Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum, Bibite, hic est sangvis meus*, certò hoc expresse volunt, attamen adest *cum pane*, tanqvam *medio* à Christo ipsomet instituto, non nisi *modo supernaturali, cœlesti, & rationi humanæ incomprehensibili*. Qvanqvam etiam canimus: **Das wir nimmer des vergessen / gab er uns sein Leib zu essen / verborgen im Brod so klein / und zu trincken sein Blut im Wein /** i. e. *ne illud oblivisceremur, dabat nobis corpus suum comedendum, latens in pane tam parvulo, & ad bibendum sangvinem in vino*: tamen nec illis verbis *localem* in pane corporis Christi *inclusionem* stabilire, sed tantummodo *veram præsentiam corporis & sangvinis Christi* cum sacris symbolis indigitare volumus, & ut ea ulterius non extendantur, populum à pastoribus & ministris verbi doceri jubemus, nimirum ut sciat populus, *symbola sacra* esse *media & instrumenta*, per qvæ Christus nobis in sacra Cœna, qvæ hic in terris, & non in cœlo administratur, corpus & sangvinem suum exhibet. Qvanqvam item cum *Patribus*, ut cum *Augustino, Cyrillo, Chrisostomo*, dicimus, dari & accipi corpus, *in, cum & sub pane, vel sub specie panis*, tamen nec tum ullam *localem* comminiscimur, vel fabricamus *inclusionem* corporis *in pane*, sed earum *particularum* sensum hunc explanare jubemus, qvod certo cum pane detur & distribuatur corpus Christi &c: qvæ propterea recitare voluimus, ut lectoribus evidenter constet, qvod *B. Franzius* satis plane, satisqve plene mentem suam exposuerit, & simul causam ostenderit, qvare *personalis unionis* mentionem hic injicere voluerit. (4) Falsissimum est, qvod *unio personalis fabula* sit, vel *otiosorum hominum figmentum*, qvod alias *Sociniani* fabulantur, cum disertis verbis dicatur *DEus manifestatus in carne I. Tim. III. 16. Verbum caro factum, ut habitarit in nobis Ioh. I. 14. & sicut pueri communicant carni & sangvini, qvod sic etiam de iis Filius DEI participarit Heb. II. 14. cum non angelos, sed Abrahæ semen assumserit v. 16.*

5. (II) *Qvod unionem sacramentalem probare neqveant.* R. (1) nos *in thesi* versamur, nobis igitur minime, sed adversariis incumbit probatio. (2) ex abundanti tamen falsum est, qvod *unionem sacramentalem probare* non possimus: nam urgemus (a) *Ipsum verbum*

nimi-

institutionis, qvod multipliciter *unionem sacramentalem* confirmat; nimirum partim *ex unita demonstratione*, *Hoc*, inqvit, nim. totum complexum unitum, est panis & corpus: partim *ex unita prædicatione*, qvia hoc, qvod sensibus monstrabat, non panem solum dicebat, sed simul corpus esse prædicabat, partim *ex unita exhibitione*, qvia simul panem & corpus exhibebat, prout diserta verba convincunt: qvæ vero simul exhibentur, ea qvoq; simul certo modo qvodam uniuntur, & qvidem pro substrata materia: dum igitur hic sacramentaliter exhibentur, sacramentaliter etiam uniuntur: partim *ex unita acceptione*, partim *ex unita manducatione*, partim *ex unita operatione &c*: qvæ & alia *sacramentalem unionem in verbis institutionis* demonstrant. (b) *Verbum Apostolicæ testificationis I. Cor. X. 16. Panis, qvem frangimus; nonne est communicatio corporis Christi? calix, cui benedicimus, nonne est communicatio sangvinis Christi?* ex qva *communicatione* certo *sacramentalis unio* confirmatur: nam qvæ realiter unita non sunt, eorum unum non est alterius *κοινωνία*: è contra verò, qvorum unum est alterius *κοινωνία*, illa ut realiter unita sint, necessum est: & qvia h. l. datur sacramentalis *κοινωνία*, propterea qvoq; sacramentalis unio necessariò concedenda venit. (c) *Verbum Apostolicæ traditionis I. Cor. XI. 23. seqq.* Multa pariter hic argumenta tum *ex sacramentorum qvidditate*, tum *ex eorum integritate*, tum *ex eorum unitate*, tum *ex eorum virtute*, vel *operatione &c*: nunc urgere possemus, sed hæc impræsentiarum dimittimus.

6. (III) *Qvia sacramentalem unionem Lutherani saltem credi volunt. Qvasi verò id credi posset, qvod nullo modo probari potest.* ℞. (1) *Mysteria fidei* non *probationibus nostris*, sed *revelationibus & assertionibus divinis* nituntur, adeoq; multa creduntur, qvæ tamen cumprimis in fidei simplicitate non probantur. (2) *Dist.* inter *probationes rationis* & *revelationis*: *has*, non *illas* in mysteriis fidei respicere debemus: non tamen *has*, sed *illas* adversarius intendit, qvemadmodum ex ejus tota tractatione *de Cœna* patescit. (3) Falsum est, qvod *sacramentalem unionem Lutherani saltem credi velint*, nullo verò modo probatam eam reddant, contrarium ex *nostratium scriptis*, ex *allegatis antea B. Franzii dictis*, & *citatis thesi præcedenti fundamentis*, est manifestum. (4) Falsum est, qvod *id credi non possit, qvod nullo modo probari potest*: contrarium Christus *Joh. III. 5. seqq.* & scriptura passim alibi demonstravit. (5) Falsum, qvod unio sacramentalis *nullo modo probari* possit, cum evidentes probationes thesi 5. productæ sint.

QVÆSTIONES ANTISOCINIANÆ
EX ARTICULO XI. & XII. AUGUSTANÆ Disp. XIV.
CONFESSIONIS
DE CONFESSIONE ET POENITENTIA.
QVÆSTIO PRIMA
Num in Ecclesia Confessio jure retineatur?

I.

UT rectius qvæstio præsens expediatur, ante omnia qvædam circa *terminos* ipsos observare libet. (1) Qvod hoc loco non sit sermo de *Confessione*, qvæ fit *DEO*, qvando nimirum DEO peccata nostra confitemur ad exemplum omnium sanctorum *Psal. XXXII.5.* nec de ea, qvæ fit *Ecclesia*, qvando per publicam ἐξομολόγησιν peccator, in aliqvo graviori delicto comprehensus, vel verbis, vel factis, vel per seipsum, vel per alios peccatorum confessionem edit: nec de ea, qvæ fit proximo, qvando frater à fratre offensas privatas deprecatur, & delicta sua confitetur *Jacob.V.16.* sed de ea, qvæ fit *Ecclesia Ministro*, qvando peccatores pænitentes coram Ecclesiæ ministro delicta sua confitentur, se peccatores profitentur, & privatim absolutionem, juxta clavium Ecclesiæ dispensationem, impetrare conantur. Hinc *B. Lutherus in Catech. Minor.* simpliciores ita de confessione informat: *Qvid est confessio?* Resp: *Confessio duo comprehendit; unum est, peccata confiteri: alterum est, absolutionem, sive remissionem à* Confessionario, *sive præcone Evangelii accipere, tanqvam ab ipso DEO, & non dubitare, sed firmiter credere, peccata per illam absolutionem coram DEO in cælo remissa esse.*

2. Ex qvibus (2) liqvet, qvod hæc *Confessio* longè diversa sit à *Confessione Papistarum auriculari*, utpote, qvæ juxta *Papistas* est *divinæ institutionis*, est *sacramentalis*, est *necessaria*, est *meritoria*, est in se *salutifera* &c. cum tamen nihil aliud sit, qvam *carnificina conscientiarum*, qvia *peccatorum omnium & singulorum*, qvoad

omnes & *singulas circumstantias, accuratam enumerationem* criminipendæ reqvirunt, sicut ipse *Bellarm. l. 3. de Pœnit. c. 9.* scribit: *Non possunt sacerdotes congruam pœnitentiæ actionem injungere, nisi PECCATA OMNIA ACCURATE COGNOSCANTUR, & NECESSARIUm, ut SIGILLATIM peccata OMNIA sacerdotibus detegantur*: unde curiosius in singulas circumstantias inqvirunt *Papistici Confessionarii*, juxta vulgatos versiculos: *Qvis, qvid, ubi qvare, cur, qvomodo, qvando, Peccasti dices, ut sit Confessio vera*: Vel, *Aggravat ordo, locus, mora, causa, scientia, tempus, Lucta pusilla, modus, culpa genus, & status altus, Conditio, numerus, ætas & scandala, sexus*. De hac *Confession*e passim ipsi *Papistæ* saniores conqveruntur unde nobis cum illa nihil commercii

3. (3) *Jure* dic tur aliqvid *retineri*, vel *jure divino* qvando nimirum per DEI verbum aliqvid præscribitur & præcipitur: vel de *jure Ecclesiastico*, qvando juxta *leges Ecclesiæ* qvicqvam observatur, & in Ecclesia conservatur, ita qvidem ut fa iat ad *bonum ordinem, ad decorum, & ad ædificationis usum*, secundum Apostoli reqvisita *1. Cor. XIV. 26 40.*

4. His præmissis, circa *controversiæ statum* monendum, qvod hic non agatur. (1) De *statu* C*onfessionis authenti*c*o*, num ipsum Deum autorem habeat, & sic institutione qvadam authentica gaudeat? licet enim Deus à protoplastis nostris *Gen. III. 9 seqq.* statim privatam Confessionem peccatorum ur serit, tamen simpliciter ex illa nostram confessi onem p ivatim nec deducimus, nec defendimus: (2) nec de *statu Confessionis canonico*, num in scriptura Canonica Confessio pri vata sit ita tradita, ut qvoad modernum statum, scopum & usum nobis præscribatur? nam etsi varia privatæ confessi onis argumenta reperiantur in scriptura canonica tùm veteris, tùm Novi Testamenti, non tamen eo modo, qvo nunc in Ecclesiis orthodoxis viget, eam præscriptam nobis pronunciamus. (3) nec *de statu nomothetico*, nũ priva a Confessio legis instar nobis à Deo præcepta sit? qvamvis n. de C onfessi one peccatorũ in genere varia præcipitantur in sacris literis, hanc tn. in Lutheranis usitatam Confessionẽ Ecclesiasticam legis instar præceptam esse, neutiqvam à nobis asseritur. (4) nec *de statu necessario*: num usus ejus ita sit retinendus, ut in se confessio privata sit

necessa-

necessaria ?; nam tametsi modo suo necessitatem aliqvam externam & respectivam privatæ confessionis asserimus, non tamen propterea necessitatem internam & absolutam defendimus. (5) nec de *statu constitutivo & introductorio*, num ita se habeat Confessio privata, ut simpliciter apud omnes sit constituenda, recipienda, & ubi non est recepta, necessitate qvadam introducenda? notum enim est, qvod hæc Confessio, qvæ fit per generalem, & respectu subjecti peculiarem peccatorum confessionem & contestationem, & per singularem cujuslibet peccatoris absolutionem, in omnibus Lutheranorum Ecclesiis non sit in usu, qvæ tamen nihilominus verè Lutheranæ sunt & manent, etiamsi talem confessionis privatæ ritum non servent, nec simpliciter ab aliis Lutheranis vel Doctorib. vel Ecclesiis urgeturi ut consvetudo privatæ confessionis in illis constituatur, introducatur & recipiatur. (6) Sed *de statu licito, legitimo & conservatorio* potissimum hic soliciti sumus: Num ita Confessio privata comparatata sit, ut in iis locis apud orthodoxos, ubi semel recepta fuit, vere licita sit & legitima, atq; jure conservari possit, aut debeat? Et hoc est, qvod nos asserimus.

5. Hinc qvod jure conservetur apud nos *privata Confessio*, probavimus in *Method. Repet. Aug. Conf. art. XI.* p. 276. th. 24. (1) *ex usu διδασκαλικῷ* (2) *ex usu πειραστικῷ* (3) *ex usu κατηχητικῷ* (4) *ex usu ὁμολογητικῷ* (5) *ex usu παραινετικῷ* (6) *ex usu ἐπανορθωτικῷ* (7) *ex usu παρακλητικῷ* (8) *ex usu προσληπτικῷ* (9) *ex usu ἐλεγκτικῷ* (10) *ex usu διακριτικῷ*. Et in *Art. XXV. th. 13. seq. p. 972. seqq.* (1) *ex scriptis symbolicis* (2) *ex scriptis Didacticis.* (3) *ex scriptis polemicis* (4) *ex scriptis practicis* (5) *ex qvotidianis exemplis.* (6) *ex B. Lutheri testimoniis*, qvæ prolixius ibidem deducta leguntur.

6. Hæc autem *Confessio privata* non tantum *Calvinianis*, sed etiam *Socinianis* sudes est in oculis, unde *Smalzius in refut. Franz.* p. 351. 352. 353. de hoc negotio disputat. Assumimus autem 1) qvod *Smalzius* fatetur de *Papistica Confessione: Convenit inter nos & Lutheranos, magnam fuisse & esse in Papatu conscientiarum carnificinam, per istam tam Confessionem, qvam absolutionem, qvam ipsimet sibi confinxere.* (2) Qvando scribit ulterius: *Franzius tantum affirmat, qvod confessio peccatorum Deo & hominibus, nempe offensis facienda sit & id qvibusdam locis sacrarum literarum, & testimoniis qvorundam*

A 2 Patrum

Patrum confirmat, sed ea in re nullum est inter nos & illos dissidium.
[3] Qvod verò scribit de *nostra confessione: non possumus autem non dolere, reliqvias istius Papistici erroris teneri & defendi ab iis, qvi tantopere Pontificiam accusant tyrannidem* in eo graviter nos accusat, sed nihil in his verbis demonstrat. p. 352. postea rationes qvasdam allegare videtur, qvas modo paucis examinabimus.

7. Sic autem I.d. scribit: *Qva* Franzius *in sect. 7. à th. 132. ad 157. disserit, de Confessione auriculari Lutheranorum, ea qvidem nobis non sunt incognita: sed an rectè fiat illa auricularis Confessio, docendum erat Franzio. Non negamus nos, peccata aliqvem confiteri posse coram ministro verbi divini, ut scilicet ab eo institutus, discat in posterum à peccando cavere, & precibus ejus adjutus, facilius remissionē peccatorum conseqvatur: sed hoc nec necesse est in templo fieri, nec pro re tali censendum est, sine qva nemo ad cœnam Domini admitti possit; nec deniq; statuendum est, idem etiam coram alio fieri non posse, qvi scilicet sit homo probus, & ad erudiendum ac juvandum precibus suis eum, qvi alios offendit, vel deliqvit, aptus. Nam ut Pontificii omnem sibi in omnes potestatem ista sua auriculari scrupulosa confessionē arrogarunt: sic apud Lutheranos per istas reliqvias auricularis confessionis non nihil etiam sibi ministros præter verbum DEI arrogare vel saltem arrogare posse, & homines in peccatis detineri, obvium est.* Hac illè.

8. Ex his verbis nonnulla videntur argumenta promanare, qvibus *Smalzio* probare conatur, qvod in Ecclesiis orthodoxorum jure Confessio privata non retineatur, idq; probat (1) *à probationis neglectu, Qvia qvod rectè fiat ista auricularis Confessio docendū erat Franzio*: qvia verò non docuit, ideo *Smalzius* colligit, eum id docere non potuisse. Resp. (1) *negatio* non est *probatio*: si negare sufficeret, qvilibet contra qvælibet disputare posset. (2) *Franzius sect. 7.* de *Confessione Lutheranorum auriculari* verba facit, non *citra*, sed juxta *verbum DEI*, qvod statim ab initio præsupponit *th. 335 His igitur omnibus ex verbo DEI hactenus proseria Confessione peccatorum, DEO & Proximo facienda, & adversus auricularem Confessionē, omniumq; peccatorum enumerationem, qvam ut necessariā ex jure divino reqvirunt Pontificii tortores, prælibatis: nunc tandē* (ex eodem DEI verbo) *restat, ut dicamus de nostra Confessione, sic vulgo etiam indigitata auriculari, qvæ nimirū in Ecclesiis Lutheranis adhuc*

adhuc est in usu. Qva de causa Franzius hæc, qvæ sect. 7. proponit, ex præcedentibus sectionibus colligit atq; deducit, adeoq; talia neutiqvam, ut autumat Smalzius, sine fundamentis producit. (3) Falsum est, qvod *Franzius* etiam non doceat, hanc *Confessionem Lutheranorum recte fieri*: *disting.* tamen est inter *doctrinam explicitam* & *implicitam*, non *explicite* rectitudinem illam demonstrat, *implicite* tamen eam manifestat, qvod recte fiat Lutheranorum confessio (1) *rectitudine objecti*, qvia *DEO fit* hæc Confessio, qvod in omni recta veraqvè confessione reqviritur: *In nostra*, scribit th. 136. *Confessione auriculari ad sacram synaxin accessuri confitentur Deo peccata*: Deo verò recte fit confessio, qvod *sectione III. Francig* prolixe notaverat, cumprimis *th. 26. Privatam Confessionem DEO fieri solitam, patet ex illo Psal. XXXII. 5. 6. Dixi confitebor adversus me injustitiam meam Domino, & tu remisisti iniqvitatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctg in tempore opportuno.* (2) *rectitudine ministri*, qvia coram ministro verbi sua peccata pœnitentes Deo confitentur, juxta Franzium d l. jam ministri sunt dispensatores mysteriorum divinorum *I. Cor. IV. 1.* qvibus claves Ecclesiæ commissæ sunt *Matt. XVI. 19. XIIX. 18. Joh. XX. 23.* jure proinde non tantum in aliis, sed etiam in hoc gravissimo negotio nos ad Ecclesiæ ministros convertere debemus, cumprimis qvia DEus hodie nobiscum non agit absolute, vel immediate, sed per suos ministros, tanqvam legatos reconciliationis *II. Cor. V. 20.* (3) *rectitudine subjecti*, qvia sacram synaxin accessuri confitentur coram ministro sua peccata, qvi præsumuntur vere pœnitentes, & an tales sint, atq; digne sacram synaxin accedere qveant, in tali privata Confessione & absolutione explorantur, sicut dicitur art. XXV. *Aug. Confess. Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissime de fide absolutionis, de qva ante hac tempora magnum erat silentium. Docentur homines, ut absolutionem plurimi faciant, qvia sit vox DEI, & mandato DEI pronuncietur, Ornatur potestas clavium & commemoratur, qvantam consolationem afferat perterrefactis conscientiis, & qvod reqvirat Deus fidem, ut illi absolutioni, tanqvam voci de cœlo sonanti credamg, & qvod illa fides in Christum verè conseqvatur, & accipiat remissionem peccatorum* (4) *rectitudine modi*, qvia tantum modo *in genere peccata pœnitentes confitentur, & petunt à Deo per ministrum absolutionem in genere*

nere ab iisdem: si qvis tamen scrupulos suæ conscientiæ, & specialia qvædam urgentia & mentem excruciantia crimina, apud DEum coram ministro vult exprimere, & adversus ea consolationem & consilium in specie expetere, id liberrimum cuivis relinqvitur, ministroq; verbi præcipitur, ut specialiter Deo coram se commissa fideliter retineat, tanqvam Deo (qvanqvam coram se, DEI ministro) dicta nullis hominibus publicet. (4) *rectitudine scopi*, qvia, juxta Franziū, Lutherus, ejusq; fideles parastatæ hoc unicè spectarunt. [a] *ut exterminarētur* ἀνθρωποθρησκεῖαι, διδασκαλίαι τῶν ἀνθρώπων *Col. II. 22 qvæ sub mentito mādatorum divinorum axiomate & titulo in Ecclesia grassabantur, & ab omnibus ac singulis sub æterna damnationis certissima pœna exigebantur.* [b] *ut in Ecclesiasticis congregationibus fierent* εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν *I. Cor. XIV. 40.* [5] *rectitudine abrogati oppositi*, qvia Lutherani sic *abrogarunt & ejecerunt ex communitate sacr. Papisticam auricularem* Confessionem, *qvia ex sacris literis nunqvam probari potest* [a] *omnium peccatorum mortalium enumerationem vel ante sacræ synaxeos usum vel ante Baptismum adultorum, vel alio tempore coram ministro jure divino exigendā & instituendam esse:* (b) *& ita qvidem rigide & exacte, ut nulla reticeantur circumstantiæ, qvæ speciem facti varient vel mutent* (c) *ita deniq; ut aliter absolutio peccatorum illis rata efficax esse neqveat: id qvod eo rectius fecerūt, qvia probe patuit, illā partim conscientiarum infirmarum carnificinā esse, partim verò esse in securis potius recordationē peccatorum, qvando secundum omnes turpes circumstantias, qvas etiam intra cogitationes solummodo finxerāt, à sacerdote ducebantur, imò qvando etiam mutos nutibus & signis externis peccata commissa repræsentare cogebant.* Hæc & alia plura d. l. *Franzius* prolixe perseqvitur, ex qvibus falsum esse deprehenditur, qvod à Smalzio sine merito sic accusetur, qvod non docuerit, recte fieri Confessionem privatam.

9. (II) *A veriori Photinianorum sententia*, qvia pergit *Smalzius, non negamus nos, peccata aliqvem confiteri posse coram ministro verbi divini, ut scilicet, ab eo institutus, discat in posterum à peccando cavere & precibus ejus adjutus, facilius remissionem peccatorum consequatur.* Resp (1) non tantum de τῷ *posse*, sed etiam de τῷ *esse* nobis sermo, & certo modo qvoq; de τῷ *debere*, qvod ex superioribus certum. (2) Si verum, qvod dicit *Smalzius*, à *Socinianis* mi-

nime

nime negari, *qvod aliqvis peccata coram ministro confiteri possit, ut scilicet institutus ab eo discat inposterum á peccando cavere, & precibus ejus adjutq remissionem peccatorum conseqvatur, seqvitur,* qvod *propter* has & alias causas confessio privatæ non sine causa retineri possit, & actu retineatur: At verum *prius*, Ergo & *posterius*, & sic habemus, qvod volumus. (3) *Dist.* inter *confessionem privatam*; & *hun, vel illum modū privatæ confessionis*: non *hunc*, vel *illū modū peculiarem* urgemus, cum certum sit, qvod etiam inter orthodoxos diversi ritus privatæ Confessionis inveniantur, sed *ipsam Confessionem privatam* rectè retinemus.

10. (III) *A non necessario*, qvia *privatam Confessianem in templo fieri non est necesse*, cumprimis qvoad eum modum, qvod aliqvis confiteri possit peccata coram ministro verbi divini, ut scilicet ab eo institutus discat in posterum à peccando cavere, & precibus ejus adjutus, facilius remissionem peccatorum conseqvatur: Resp. [1] ipsa *privata Confessio* non est *absolutè necessaria*, multo minus *aliqvis ejus modus necessarius* erit, adeoq; sic minime nobis contradicit. [2] *Dist.* inter *necessitatem de jure divino*, & de *jure Ecclesiastico*, inter *necessitatem absolutam* & *hypotheticam*, *immutabilitatis* & *ordinis*: si qvid necessitatis hic invenitur, illud saltem est *Ecclesiæ, hypotheseos* & *ordinis*, adeoq; *simpliciter* urgeri neqvit. (3) *Privata Confessio* vel consideratur *ordinariè*, pariterq; in ordinario loco suscipitur, vel *extraordinariè*, qvatenus in certis casibus etiam alibi, cumprimis apud ægrotos, conceditur: *priori* modo saltim in templis privata confessio pœnitentium admittitur, cum certum sit, qvod *ordinaria* dispensatio mysteriorum saltem in templis instituatur, interim tamen *extraordinariè* nihil impedit, qvo minus etiam alibi suscipiatur: sed ab *extraordinariis ordinaria* neutiqvam impugnare licet.

11. (IV) *A falsa persvasione*, qvia *Confessio neutiqvam pro re tali censenda, sine qva nemo ad cœnam Domini admitti possit* R. (1) nec *confessionem talem simpliciter B. Franzius* ante cœnæ Domini usū urget, sed *consvetudinem orthodoxorū laudabilē* recēset. (2) ad cœnæ Domini usum non *impœnitentes*, sed *pœnitentes* peccatores sunt admittendi, ne sanctū canibus, & margaritæ porcis projiciantur *Matth. VII. 6. exploratione* qvalicūq; proinde videtur opus esse, sive

sive per *Confessionem* sive per *aliud medium* fiat, respectu *Pastorū*; & *peccatorum recordatione, detestatione, seria contritione*, per confessionem aut alio qvodam modo, carere non potest is, qvi digne vult ad sanctam Domini cœnam accedere; nam juxta mandatum Apostolicū *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui n. manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini: 1. Cor. XI. 28.* cum igitur qvilibet simpliciorum semetipsum probare non possit, utiq; juxta consvetudinem Ecclesiæ pastorem accedere, seq; peccatorem agnoscere, vere pænitentem ostendere tenetur. [3] Et certè si in aliorum munerū ad altare oblatione fratribus reconciliari debemus, ut munus nostrum acceptum sit DEO, juxta Christi præceptum *Matt. V. 24. si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, qvod frater tuq habet aliqvid adversum te, relinqve ibi munus tuum ante altare, & vade primum, reconciliare fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum:* multo magis in expectatione tantorum donorum, Corporis & sangvinis Christi, debemus ipsi Deo reconciliari per veram peccatorum Confessionem. [4] Cum igitur medio qvodam opus habeamus, ut Deo per veram pœnitentiam reconciliemur, & scriptura nos ad verbi ministros remiserit, atq; confessionem peccatorum seriò commendaverit, utiq; sic per veram peccatorum confessionem ad DEum accedere debemus, idq; non immediate, cum DEus hodie nobiscum immediate non agat, sed mediate, mediante DEI ministro. [5] *Confessio* non habetur pro re tali, sine qva nemo simpliciter ad Domini Cœnam admitti possit, sed sine qva nemo juxta consvetudinem Ecclesiæ laudabilem in scriptura fundatam admitti non debeat.

12 (V) *A ministri determinatione*, qvia non *est statuendum*, *idem etiam coram alio, præter verbi ministrum, fieri non posse, qvi scilicet sit homo probus, & ad erudiendum ac juvandum precibus suis eum, qvi alios offendit, vel deliqvit, aptus.* Resp. [1] *Dist.* inter *actꝰ privatæ conversationis*, qvos omnes in universum Christiani, juxta DEI verbum, expedire possunt, & inter *actus Ecclesiasticæ dispensationis, vel administrationis*, ad qvos ministri verbi deputati sunt, qvia *nemo sibi sumit honorem, nisi qvi vocatur, sicut & Aaron Heb. V. 4.* hinc Christus discipulis suis dixit: *Sicut misit me Pater, sic ego mitto vos Joh. XX. 21.* & ipse DEus conqveritur *Jer XXIII. 21.*

Curre-

Currebant, & non mittebam eos; non omnes Christiani, sed verbi ministri sunt œconomi mysteriorum divinorum *I. Cor. IV. 1.* (2) *Dist.* inter *Confessionem publicam & deprecationem privatam*, sive *fraternam*, *hac* omnium, *illa* publicorum ministrorum. (3) *dist.* inter *confessionem absolutam*, qvæ sine respectu certo fit ad veram pœnitentiam, qvam omnino coram aliis piis edere possumus; & inter *confessionem relatam*, qvæ respicit veram pœnitentiam ad usum Cœnæ Dominicæ peculiariter ordinatam, hæc spectat ad publicos Ecclesiæ ministros, cum horum tantùm sit publicam absolutionem in Ecclesia dispensare, & sacramentum Eucharistiæ fidelibus in templo communicare.

13. (VI) *A Pontificia Confessionis similitudine*, qvia *sicut Pontificii omnem sibi in omnes potestatem ista sua auriculari scrupulosa confessione arrogarunt: sic apud Lutheranos per istas reliqvias auricularis confessionis nonnihil etiam sibi ministros, præter verbum DEI, arrogare, vel saltem arrogare posse, & homines in peccatis detineri, obvium est.* ℟. (1) Qvod *Pontificia Confessio* multis modis atqve præcipuis punctis διὰ διὰ πασῶν differat à nostra Confessione, jam superiù indicatum, & vel in ipsa *Confessione Augustana Art. XI & XXV.* notandum: est igitur mera calumnia, qvod apud *Lutheranos* vel eadem maneat confessio, vel reliqviæ saltem papisticæ confessionis. (2) *Reliqviæ papisticæ confessionis* vel dicuntur *materialiter*, pro *peculiari saltem confessione*, vel *formaliter*, pro *formali conditione*, respectu *necessitatis, potestatis, virtutis &c.* non ex *priori*, sed ex *posteriori sensu* de *reliqviis papisticæ confessionis* judicandum. (3) à *posse* ad *esse* non valet conseqventia: non qvid possit fieri, sed qvid ex natura rei fiat, respiciendum est. (4) *Dist.* inter *naturam confessionis, & culpam confessariorum*: non ex *natura Confessionis, sed ex culpa confessariorum* illa proficiscuntur, qvæ nonnunqvam contingunt. *Servetur usus, tollatur abusus*: nec ob *personarum culpam* ipsam *rei naturam* improbare decet. (5) *Dist.* inter *jus & factum*: si malè dispensatur clavium potestas, fit *de facto*, *de jure* fieri non debet.

QVÆSTIO SECUNDA.

An pœnitentia sit ad salutem necessaria?

1. Circa *statum controversiæ* non incommodum erit, ut ad pleniorem veritatis perceptionem unum, vel alterum præmittatur, ideo notandum (1) qvod non agatur hîc de *salute infantum*, sed *adultorum*, qvemadmodum ex contextu Smalzii, ubi qvæstionem hanc tractat, videre licet: adeoqve juxta scripturam affirmamus, qvod pœnitentia sit ad salutem adultorum, in peccatis genitorum, vel etiam in peccatis viventium, necessaria, licet etiam infantibus non omninò pœnitentiam omnem denegare velimus.

2. (2) Qvod non agatur hîc de *pœnitentia certo modo*, sed de *reipsa*, qvà videlicet *conversionem ad DEum* importat: nam aliàs facilè largimur, qvod non idem modus pœnitentiæ conveniat omnibus, nec eadem ratio pœnitentiæ reperiatur apud omnes, multo minus hunc, vel illum pœnitendi modum Ecclesiasticum attendere debemus. Nam omninò certum, qvod talis *pœnitendi modus publicus*, qvalis in Ecclesiis nostris servatur, ubi mediante privata tùm Confessione, tùm absolutione, remissio peccatorum dispensatur, ratione sui non sit ad salutem necessarius.

3. (3) Qvod hîc minimè soliciti simus de *salute*, vel *beatitudine simpliciter* spectata vel etiam *sub modo, vel momento primo*, qvatenus illa qvondam *in statu integritatis* hominibus integris, in veritate primæva persistentibus, contigisset; vel etiam *sub modo, vel momento ultimo*, seu *perfectissimo*, & in *statu plenariò respectu status glorificationis*, considerato: nam in æterna vita non opus erit ampliùs pœnitentiâ, qvia prorsus erimus perfecti, & ab omni peccato, & sic etiam à dolore de peccatis, vel etiam à pœnitentia liberati: sed potiùs de *salute* hîc agimus *sub modo, vel momento medio*, qvatenus illa, qvoad *statum reconciliationis & restitutionis*, spectatur, qva ratione neutiqvam peccatoribus citra pœnitentiam, vel reconciliationem, aut conversionem, venia, vel salus ipsa contingere potest.

4. (4) Qvod hîc non tam respiciamus ipsum *esse salutis*, qvam τὸ *fieri*, non tam *salutis constitutionem*, qvam ejus *collationem*, vel *consecutionem*, non *salutis principium*, sed ejus *medium*, non *salutis causam*, sed *viam*, non *qvidditatem*, sed *ordinem*, non ejus *formale*, sed

sed *materiale*, qvomodo nimirum secundum ordinem divinitùs institutum atq; præscriptum, ad salutem in statu corruptionis pervenire vel possimus, vel etiam debeamus.

5. (5) Qvoad *necessitatem*, itidem non *absolutam*, sed *hypotheticam*, non *simplicem*, sed *modificatam*, non respectu *DEI*, sed respectu *nostri*, vel ipsius *subjecti*, non *rei*, sed *modi*, &c. hîc intelligimus, cum ex sacris literis certum sit, qvod nullum peccatorum DEus sine pœnitentiâ sermone voluerit, & conversionem ex necessitate qvadam ordinis & divini præcepti reqvisiverit. His expositis atq; præsuppositis, nunc ad ipsam qvæstionem progredimur, & *pœnitentiam ad salutem necessariam esse*, vel *omnes peccatores pœnitentia opus habere, nullos autem peccatores vel homines, secundum naturam propagatos, repertos fuisse, qvi sine pœnitentia servati fuerint*, cum scripturis sacris pronunciamus.

6. *Affirmativam* nostram multis demonstrare possemus, hic vice saltem adducimus *octo* rationes, qvas *Venerandus Dn. D. Calovius* in Socinism proflig. artic. de *Pœnit.* qvæst. 1. producit: (1) *Qvia* nusqiam scriptura tradit, qvenqvam adeò justum esse, ut pœnitentia haud indigeat. Verba *Christi Luc. XV. 7. Augustin. Psal. LXI.* accepit *κατὰ δόξαν, secundum opinionem*, sed *distingvendum* potius inter *pœnitentiam stantium*, & *pœnitentiam lapsorum*, cum verba *comparatè*, ut è *Matth XIIX. 13.* liqvet, intelligenda sint, qvod scilicet justi tali pœnitentia non opus habeant, qvali indigent, qvi inde, via peccatorum abrepti, vitiis implicati sunt. (2) *Qvia* ab omnibus pœnitentia reqviritur, cum conciones pœnitentiales universales sint, omnesq; homines invitentur passive. (3) *qvia* non est homo, qvi non peccet. *I Reg. IIX. 46.* & in multis labimur omnes *Jac. III. 2.* omnes ergò opus habemus, ut surgamus, & pœnitentiam agamus. Cujus loci evidentiam cum effugere neqveat *Smalzius*, fingit *l. cit. c. Franz. p. 456.* vel *hyperbolicè* dictum esse, uti *Psal. XIV. 1.* ne unum qvidem esse, qvi à DEO non declinaverit, ubi tamen nullum *hyperboles* vestigium, imò totus contextus, & locus parallelus *Rom. III. 10.* excludant penitus *hyperbolem*: vel de *lapsibus* & *ignorantiis veris*, qvas DEus pro peccatis non imputat. At nullæ sunt ignorantiæ, ac lapsus morales, qvibus

à lege divina declinamus, qvia peccata sint, cum omnis *ἀνομία* sit *ἁμαρτία* I. *Joh.III.4.* & aliud est, *peccatum esse*, aliud *imputari in condemnationem*: Qvod DEus ea non imputet in condemnationem, non fit, qvasi per se peccata non sint, pœnitentia indiga, sed ideò qvod ob pœnitentiam conjunctam, & fidem in Christum, ea gratis condonet. (4) *qvia* peccatum adhæret renatis, eosq; subinde ad malum incitat *Rom.VII.15. Gal.V.17. Jacob. I. 14. Hebr. XII.1.* Hæc autem prava concupiscentia, hi motus mali pœnitentiam reqvirunt. (5) Qvia in V.T. sacrificia constituta erant pro omnibus, nemine excepto, vera pœnitentia & fide offerenda *Psal. LI 19.* (6) Qvia omnes insuper necessum habent expetere remissionem peccatorum *Psal.XXXII.9. Matt.VI.10.* ideoq; nemo adeò justus est, qvin pœnitentia & remissione peccatorum opus habeat. (7) Qvia hypothesis, qvæ supponitur, falsissima est, nempe qvosdam esse, nullius peccati habitu implicatos Habitus enim concupiscentiæ pravæ, peccatum illud *εὐπερίστατον, Heb. XII. 1.* Lex peccati in membris nostris nunqvam nisi cum ipsa vita exuitur *Rom VII.23.24. Locus Rom V.14* non docet, qvosdam esse, qvi non peccarint, sed qvi non peccarint *ἐν παραβάσει* in similitudinem transgressionis Adami, qvæ limitatio disertè addita, subdolè à Smalzio prætermittitur. (8) Deniq; fatetur S*malzius l.c. justos qvandoq; errare & peccare. Justi possunt interdum errare & peccare, imò errant & peccant interdum*, ait Smalz. *p 456 Et p.357.* asserit, *infirmitates & ignorantias reperiri in iis, qvi à peccati habitu liberi sunt, ob qvas, si DEus summo jure agere vellet, omnes damnationi sint obnoxii.* Si autem peccant, necessum est, ut peccata agnoscant, ac deplorent, & gratiam DEI implorent, hoc est, pœnitentiam agant. Si tales in illis sunt infirmitates, ob qvas damnationi possunt esse obnoxii, qvî, opus eos habere pœnitentiâ, negari potest?

7. *Negativa* Socinianorum est apud S*malzium* contr. *Franz. p. 356.357. Error hi Franzii* (Opera bona non esse necessaria ad salutem) *tantò major censendus est, qvod (contra qvam ille affirmat) qvidam sine pœnitentia servari possunt*; *Sine operibus verò bonis nemo prorsus. Certè enim illi, qvi non egent pœnitentia, sine ea servari possunt. At tales sunt justi. Idq; totum Christus tot verbis expressit Luc.* 15.7.

15.7. *Justi autem sunt ex mente sacrarum literarum, qvi peccati nullius habitu sunt implicati, etiamsi interdum per ignorantiā, aut infirmitatem errent, vel peccent. Tales autē qvosdem sadem fuisse, & credibile admodum est, & prater hunc locum alibi etiam affirmatur. Vid. Rom. 5.14. ubi Paulus disertè ait, peccatum etiam in eos regnasse, qvi non peccarunt. Maxima autem Johannis, si dixerimus, qvod non peccavimus, vel de eo qvod in plerisq; fit, accipienda est, vel vox peccati ita explicanda est, ut etiam eas infirmitates & ignorantias comprehendat, qva in iis, qvi à peccati habitu liberi sunt, reperiuntur, ob qvas, si DEus summò jure agere vellet, omnes damnationi sunt obnoxii.*

8. His in verbis certa qvædam argumenta Smalzius pro sententia sua stabilienda proferre videtur. Probat igitur sententiam suam (I) *qvia qvi non egent pœnitentiā, sine ea servari possunt. At tales sunt justi, qvod totum Christus tot verbis expressit Luc. XV. 7.* Resp (1) Christus *Luc. XV.* in *parabola* loqvitur, & respicit ad *oves non perditas*, qvæ non egent vel inqvisitione, vel reversione: jam autem *Theologia parabolica* non in omnibus firmiter est *argumentativa*, comprimis qvia in hac parabola qvoq; plura reperiuntur, qvæ simpliciter urgeri nec debent, nec possunt (2) *Augustini* sententiam *ib. 6. n. 1* recitavimus, qvod κατὰ δόξαν videantur intelligendi justi, nimirum *Pharisæi*, contra qvos obmurmurationem de pœnitentia & receptione publicanorum & peccatorum Christus hanc parabolam proponebat. (3) si rigorosè *justi* nomen acciperetur, utiq; verissimum id foret, sed ita justi saltem in statu integritatis fuissent, qvi pœnitentia non indiguissent; verùm post lapsum inter homines nemo justus, ne unus qvidem, dum omnes declinaverunt, & inutiles facti sunt *Psal. XIV. 3.* & omnes qva oves erravimus *Esa. LIII. Conf ib. 6. n. 1.*

9 (II) *Qvia justi sunt ex mente sacrarum literarum, qvi peccati nullius habitu implicati sunt, etiamsi interdum per ignorantiam, vel infirmitatem errent, vel peccent. Tales autem qvosdam saltem fuisse, & credibile admodum est, & prater h. l. alibi etiam affirmatur.* Resp (1) *Justi*, secundum scripturam, homines *fide*, non *opere* dicuntur, qvia ex lege, vel operibus legis non justificatur ulla caro *Rom III. 20.* & omnis nostra justitia instar panni menstruatæ *Esa LXIV. 6.*

 (2) Pec-

(2) *Peccatum* sive ex *habitu*, sive ex *nudo qvodam actu*, sive ex *scientia*, sive *ignorantia*, sive ex *infirmitate*, sive ex *plena voluntate*, committatur, est verum peccatum, adeoq; vera *ἀνομία I. Joh. IV. 4.* & vera *ἀδικία*, vel *injustitia*, qvæ certè cum justitia vera vel plena consistere neqvit: *scientia*, vel *ignorantia*, *infirmitas* & *pravitas*, sunt *conditiones* magis *subjecti*, qva *proprietales objecti*, vel ipsius *peccati*. Omne proinde peccatum est *aberratio*, vel *aversio à Deo*, *Deiq; lege*, adeoq; omne peccatum reqvirit etiam *reversionem ad DEum*, à qvo justitia omnis promanat, *qva reversio*, vel *conversio*, non alio modo fit, qvàm per ipsam *pœnitentiam*. (2) licet scriptura dicat, eos etiam *justos*, *qvi nullo peccati habitu sunt implicati*, tamen illud non fit *simpliciter*, respectu *hominum*, sed *secundum qvid*, respectu *fidelium*, nimirum qvi *fideles* sunt & tales manent, adeoq; nullo peccati habitu contra conscientiam implicantur, illi *justi* censentur, sed qvia extra Ecclesiam vivunt, & peccati habitum non admittunt, illi tantum justi *coram mundo*, non *coram DEO*, in *politiâ*, non in *Ecclesia*, *ethicè* vel *politicè* sed non *Theologicè*.

10. (III) *Qvia Rom. V. 14. Paulus disertè ait, peccatum etiam in eos regnasse, qvi non peccarunt.* Resp. (1) Committitur *fallacia compositionis & divisionis*, qvia dicitur, qvod qvidam non peccaverint *in similitudinem prævaricationis Adæ*: jam autem aliud est *planè non peccare*, & aliud, *non peccare in similitudinem prævaricationis Adæ*: hoc *secundum qvid* dicitur à *Paulo*, illud *simpliciter* adducitur à *Smalzio*: (2) neq; dicitur, qvod *peccatum* etiam *regnaverit* in eos, qvi non peccarunt, sed qvod *mors* etiam in eos *regnaverit*: sic enim habet integer locus: *Usq; ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputatur, cum lex non esset, sed regnavit mors ab Adam usq; ad Mosen, etiam in eos, qvi non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qvi est forma futuri.* (3) multi adhuc hodiè non peccant *in similitudinem prævaricationis Adæ*, hoc est, non comedunt de fructu arboris vetitæ, qvippe qvæ non amplius in mundo nunc extat, vel etiam non peccant actuali peccato, qvale pariter fuit *Adami* peccatum, verè tamen sunt peccatores, & peccato cumprimis originali commaculati, ut hinc morti sint obnoxii, qvod est mortis imperium, de qvo *Paulus* loqvitur;

qviritur; nam hoc imperium, morti tribuitur in homines, qvatenus sunt extra Christum: in Christo enim sunt domini mortis, dum Christus mortem nostri causa devicit, & ipsum etiam, qvi mortis habebat imperium, Diabolum. Addimus hic *B. Hunnii* testimonium ex comment. super h.l. *His verbis*, inqvit, *posteros Adæ non expungit è Catalogo peccatorum, sed tantùm ostendit, aliam fuisse rationem peccati in Adamo, aliam in posteris. In Adamum enim peccatum non fuit propagatum generatione carnali: siqvidem is non agnoscit parentes se priores, utpote qvi immediatè à DEO conditus est justus, & per actualem transgressionem mandati de fructu vetito polluit naturam suam. At posteri demum non per actum polluerunt naturam, sed ex nativitate peccatum secum trahunt; licet non comederint ipsi de fructu arboris prohibitæ, aut ad similitudinem ejus peccati delinqverint. Qvamvis enim posteri non impegerunt ipsimet in præceptum illud, datum Adæ in paradiso, de non comedendo fructu arboris prohibitæ: tamen non omni lege caruerunt etiam ante Mosen, habentes legem naturæ suis cordibus inscriptam.*

11. (IV) *Qvia maxima Johannis, si dixerimus, qvod non peccavimus, vel de eo, qvod in plerisq; fit, accipienda est, vel vox peccati ita explicanda est, ut etiam eas infirmitates & ignorantias comprehendat, qvæ in iis, qvi à peccati habitu liberi sunt, reperiuntur, ob qvas, si Deus summo jure agere vellet, omnes damnationi sunt obnoxii.* Resp. (1) *Johannes* loqvitur in prima persona plurali, atq; seipsum includit, seq; peccatorem clarissimis verbis agnoscit, adeoq; se pœnitentia indigere luculenter ostendit. (2) ut eò certiùs nobis de eo constaret, & de *peccato habito* v. 8 & de *peccato actu præstito* v. 10. mentem suam exponit, illudq; sibi, ut & aliis sanctis, vel justis tribuit v. 8 *Si dixerimus, qvoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, v. 10. Si *dixerimus, qvoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* (3) ut pœnitentiæ necessitatem simul indicaret, ideò v. 9. de ea verba facit: *Si confitemur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniqvitate.* (4) Si peccata *infirmitatis & ignorantiæ* reperiuntur in sanctis atq; justis, seqvitur etiam, qvod illorum respectu pœnitentiam agere debeant: sed verum prius, juxta *Smalzium*, Ergò. (5) Si talia reperiuntur in

tur in iis, qvi à peccati habitu liberi sunt, peccata, propter qvæ si DEus jure vellet agere, morti, vel damnationi essent obnoxii, seqvitur iterum, qvod eorum respectu pœnitentiâ opus habeant: At verum prius de omnibus, juxta *Smalzium*: Ergo. Et sic nostra sententia per ipsum Smalzium confirmatur Nam Deus omninò vigore suæ *legis* & *justitiæ*, a *severitatis*, non potest peccatum non ulcisci, cum maxime peccatum oderit, illud severè prohibuerit, sub gravissimis comminationibus homines de peccato fugiendo sæpiùs admonuerit, & horrendas pœnas peccatis atq; peccatoribus constituerit. *Jus* etiam DEI prorsus immutabile adeoq; non potest jure non agere DEus, qvia secus sibimetipsi contrarius esset suumq; *jus* & *justitiam* verè divinam, imò semetipsum abnegaret, si *jure* non ageret, unde facile patet, qvod in omnibus peccatoribus pœnitentia sit necessaria, ut cum nihil juris coram justitiæ throno possideamus, per veram pœnitentiam coram throno misericordiæ veniam inveniamus. Omnes igitur sancti pœnitentiâ opus habent, sicut mul is David, vir aliàs sanctissimus *Psal.XXXII. 1.seqq* testatur, qvod beati sint, qvorum remissæ sunt iniqvitates, & qvorum tecta peccata: qvod beatus sit ille vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus: simulq; demonstrat, continuam peccatorum confessionem necessariam esse *v.3 4 5.* & respectu sanctorum omnium verè catholicam *v. 6. Pro hâc* (remissione peccatorum) *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno* (6) Falsum est, qvod *maxima Johannis* saltem *plerùq;* secundum naturam propagaris, hominibus valeat, cum verè valeat de *omnibus*, sicut scriptura passim demonstrat, qvod *peccatum in universum mundum intraverit Rom.V.12. tota terra corrupta sit coram Domino Gen.VI.11. omnes peccaverint Rom.V.12. omnes simus immundi Esa LXIV.6 universæ justitia nostra, sicut pannus menstruata ibid. omnes peccaverint, & egeant gloria DEI Rom. III. 23.* &c. ideò *socinianas hypotheses* de non *nullorum sanctitate*, vel *perfectione* repudiamus.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo XIV.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE

MINISTERIO VEL ORDINE ECCLESIASTICO.

Disp. XV. R. M JOHANNES EILERUS. Osnabrugensis.

QVÆSTIO PRIMA.

An Vocatio Ministris Ecclesiæ necessaria sit ad functionem Ecclesiastici Ministerii?

I.

DE *Vocatione Ministrorum* docet *Augustana Confessio* disertis verbis, qvod *nemo in Ecclesia debeat publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite vocatus, adeoq; vocationem* legitimam, ad Ecclesiastici Muneris functionem, *necessariam* esse statuit. Ubi circa *statum controversiæ* notandum (1) qvod non agatur hic de *Ecclesia plantanda*, vel *constituenda*, sed de *Ecclesia plantata, recte q; constituta:* nam ad Ecclesiam plantandam qvilibet Christianus operam suam conferre potest, cum unusqvisq; Christianorum ad DEI gloriam & Ecclesiæ propagationem operam suam collocare debeat. (2) Hinc non de *ministris inter barbaros & paganos*, sed inter *Christianos versantibus*, hic sermo, cum vocatio necessaria sit inter Christianos, qvæ nemini contingere potest inter homines paganos, qva ratione nonnunqvam fœminæ verbum inter homines gentiles manifestarunt atq; prædicarunt, sicut *ancilla Israelitica* apud *Naaman Syrum II. Reg. V. 2.* & *Theodoretus lib. 1. Hist. Eccles. c. 23* historiam recenset, qvod *Iberis mulier captiva viam veritatis demonstrarit, & qvoad ejus fieri potuit, divinis præceptis erudierit, post hortata fuit, ut SS. Templum ad honorem Christi, qvi Reginam morbo eripuerat, ædificarent, Rege etiam converso, templum*

 ædifi-

ædificatum, & Episcopus à Constantino Magno petitus & impetratus est. (3) qvod non de *vocatione generali,* vel *occasionali* sermo fiat, qvando *subjectis idoneis* etiam ante vocationem, inter non conversos ex divina providentia datur occasio convertendi homines, sicut *Sozomenus* lib. 2. hist. Eccles. c. 23. refert, *Frumentium etiam ante vocationem & ordinationem Indos,* occasione captivitatis, ad Christianismum converterit: *Veniens,* inqvit, (Frumentius) *cum Athanasio Ecclesiæ Alexandrinæ præsule in colloqvium, res apud Indos gestas exponit; docetq; Christianos, qvi ibi sunt, opus habere Episcopo, qvi ipsis praesset, Athanasiq convocatis sacerdotib9, Alexandriam incolentibus, cum illis super hâc re init consilium, ordinatq; Frumentium Indiæ Episcopum, ratus eum tum maxime idoneum esse, tum posse Religionem Christianam vehementer propagare, apud eos præsertim, inter qvos & nomen Christianorum primus prædicasset, & in qvorum animis fidei Christi semina inseviíset: Theodoret.* lib. 1. H.E.c.23. hoc modo recenset eandem historiam, de *Frumentio & Hedesio fratrib9, qvod à barbaris capti, & ad regem Indorum deducti, tandem fide & ingenio ipsorum explorato, domui regiæ præfecti, & apud filium, etiam Regis successorem, in magno precio habiti fuerint. Hac illi arrepta occasione, Christianos convocarũt, & divina ministeria obierunt. Laici erant, nullo dum Ecclesiastico munere functi. Tandem multis annis post Athanasius Frumentio munus Episcopatus impertivit, & ad animos Indorum pietatis doctrina excolendos misit.* (4) Nec de *vocatione* prorsus *extraordinaria,* respectu functionis, qvando DEus, extra ordinem prorsus, præcones verbi, seu voluntatis suæ per spiritum suum excitavit, sicut *Pastores Bethlehemitici* facti sunt præcones nativitatis Dominicæ, secundum nuncium ab angelis allatum *Luc.II.17. Videntes autem pastores, divulgarunt de verbo, qvod dictum erat illis de puero. Et omnes, qvi audierunt, mirati sunt de his, qvæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.* Tales *præcones* passim in sacris literis, cumprimis in *historiis Evangelistarum,* introducuntur. (5) Nec de *vocatione,* vel *legatione extraordinaria* respectu *subjectorum,* qvando DEus *angelos,* cœlestes Spirit., ad voluntatis suæ manifestationem, vel mysteriorum divinorum annunciationem, ad homines ablegavit, cujus generis exempla non

pauca

pauca reperiuntur in sacris literis. (6) Nec de *vocatione extraordinaria* ratione *ordinationis ad verbi praeconium*, qvo referunt exemplum *Stephani*, qvi mascule Christum prædicavit *Act. VI. & VII. Philippi* (sed non Apostoli) *Eunucho reginæ Candaces* prædicavit, imò & baptisavit *Act. IIX. 30.* & aliis locis de Christo docuit, ut hinc nomen *Evangelistæ* consecutus sit *Act. XXI. 8.* qvia neuter horum de numero fuit Apostolorum, sed tantum Diaconorum, qvi tam ad verbi præconium, qvam ad mensarum ministerium *Act. VI.* destinati fuerunt. (7) Neq; de *vocatione divina immediata*, qvæ contigit *Patriarchis, Prophetis, Apostolis*, aliisq; viris divinis: talis enim vocatio divina, vel immediata, neutiqvam hodie nobis expectanda. (8) Neq; qværitur de *more*, vel *factis*, vel *exemplis Veterum* circa Vocationem ministrorum? Annon olim in Ecclesia Ministri vocati sint? (9) Neq; de *factis recentioris Ecclesiæ*, vel *licito jure* illius circa vocationem? Nam utrumq; *Andreas Radecius* in not. ad refut. dissolut. Nodi Gordii p. 3. disertis verbis asserit, inqviens: *Confitemur & olim ministros Ecclesiæ vocari potuisse, imò vocatos fuisse, & nunc etiam vocari posse. An vero id, qvod olim factum est, & hodie fieri potest ad munus ministerii constituendum reqviritur, hoc verè & perpetuo qværitur.* (10) Nec qværitur, *Annon propter εὐταξίαν & decorum, vel etiam propter autoritatem Ecclesiæ primitivæ conveniat vocationem Ministrorum retinere?* Nam hoc etiam *Smalz. contr. Fr. pag. 379.* largitur: *Jam responsum est, ut ordo, qvi sufficiat, adhibeatur, non ex necessitate, sed ob εὐταξίαν & decorum. Et si velis etiam hoc addere, ob autoritatem primitivæ Ecclesiæ, qvæ hoc ordine etiam usa fuit, licèt non in omnibus, qvi tunc alios docebant*: Sed qværitur de *Vocatione speciali, humana & ordinaria*, qvæ hodie juxta communem orthodoxorum sententiam, & *Confessionem Augustanam*, atq; scripturam ipsam, ex necessitate qvadam ministris Ecclesiæ contingit. Hanc enim nos omnino tuemur, licet falso Papistæ cum aliis nobis per calumniam contrariam sententiam tribuant, sicut scribit ex *sententia Lutheranorum Henricus Lancellot. Pseudominister sect. 15. D. Paulus legitime missus est à Deo Apostolus, & verbi divini minister; atqvi non est missus ab hominibus, neq; per hominem, nec ordi-*

 natus,

natus, sed immediate à DEO; Ergo supervacanea est missio & ordinatio humana. Sed contrarium ex *dictis, scriptis, Symbolis & factis Lutheranorum* est manifestum. Hinc ipse *Smalz.* d. l. p. 377. sic de statu controversiæ disserit: *Non negamus, ex ista consvetudine primitiva Ecclesia Apostolica consequi, illud etiam jure fieri posse hodie, qvod olim fiebat; & si Ecclesia semper incorrupta mansisset, non dubitamus, qvin valde justum fuisset, ut modus iste ordinandi ministros observaretur, qvemadmodum etiam nunc, ubi est constituta Respublica Christiana, valde decorum esse arbitramur, ut id observetur, sed non hoc potissimum qvaritur: Hoc enim in qvæstione est, An hujusmodi constitutio sit prorsus necessaria ad constituendum Verbi DEI ministrum. Hoc autem nos negamus.* Uno verbo agitur de *necessitate mediata vocationis Ministrorum.*

2. Nostram orthodoxam sententiam *Venerandus Dn. D. Calovius in Socinism. proflig. sect. 8. art. 2. controv. 1.* prolixe defendit, qvod vocatione sit opus ad ministerium Ecclesiasticum (1) *ob detestationem divinam eorum, qvi non vocati publice docere præsumunt Jerem. XXIII. 21.* (2) *ob generalem maximam* Joh. III. 27. (3) *ob Apostolicam autoritatem Rom. X. 15.* (4) *ob axioma Spiritus S. universale Heb. V. 4.* (5) *ob exemplorum inductionem in V. & N. T.* (6) *ob cœlestem missionem Doctorum Eph. IV. 11.* (7) *ob ministerii conditionem, qvia ministri sunt DEI legati Heb. V. 20. œconomi DEI I. Cor. IV. 1.* (8) *ex rationum adversariorum futilitate* &c: qvæ loco dicto plenius exposita sunt.

3. *Sociniani* dicam orthodoxiæ nostræ scribunt, & vocationem in Ministris non modo dubiam, sed necessitatem illius omnino nullam efficiunt. Sic enim *Socinus in tract. de Eccles. p. 10. Qvid est, cur à nostris ministris reqvirunt, ut legitimum sibi muneris autorem ostendant? annon cuivis Christiano homini licet, etiam sine speciali ullo sibi demandato legitime ejus rei munere, charitatem ergà proximum exercere. Catech. Racov. de Eccles. cap. 2. p. 344.* Ists nötig/ daß die/so andere Lehren/ und Ordnung in des HErrn Gemeine unterhalten/ auff eine sonder Weise gesand werden? R. Nein/es ist nicht nötig. Idem etiam passim alii Socinianorum affirmant, & propugnare laborant.

4. Probant verò suam sententiam, in *Catechesi Racov. d. l.* (I) *Qvia modo nullam novam prius non auditam doctrinam afferunt*, denn/ inqvit, sie bringen itzt keine neue Lehre für/die zuvor nicht gehöret. ℞. (1) *Vocatio*, sicut vulgo notum, magis *officium*, qvam *objectum* certum respicit, sicut ex *vocatione Magistratuum, officialium, œconomorum & aliorum*, est manifestum; nam hi omnes *vocatione* certa opus habent, & vocantur ad *certum officium*, sed non ad *determinatum objectum*. Hinc (2) notandum, qvod vocatio sit *personæ*, non *rei*, cum *personæ*, non *res* vocentur, *personæ* verò per *vocationem* officium administrare dicuntur. (3) *Dist.* inter *objectum ipsum*, & inter *objecti adjunctum*: *officium*, & *vocatio*, *per officium objectum* respicit, sed *objectum ipsum*, non autem *accidentarium objecti adjunctum*, sive proinde *novum*, sive *vetus* sit *objectum*, per officium vocati homines illud administrare tenentur. (4) Falsum est, qvod omnes *Prophetæ Veteris Testamenti novum* semper *objectum*, antea non auditum, habuerint; contrarium ex collatione *prophetarum* manifestum erit, multo minus *doctrinam novam* semper attulerunt, qvia fides tantum una *Eph. IV.4.* eadem de Messia futuro doctrina fuit omnium prophetarum *Act. X 43.* qvæ fuit in ipso paradiso revelata *Gen. III. 15.* & *vetus doctrina, vera doctrina, nova doctrina, suspecta doctrina.* Idem etiam de *Apostolis* dicendum, ut postea patebit.

5. (II) *Qvia moderni ministri tantum proponunt Apostolicam doctrinam, jam olim receptam, & exhortantur homines, ut ad illam suam conforment vitam:* Sie tragen den Menschen nur die Apostolische Lehre für/ welche längst angenommen ist/ und vermahnen sie/ Ihr Leben darnach anzustellen. ℞. (1) *Nulla Conseqventia*, Qvicunq; tantum hominib. proponunt Apostolicam doctrinam, olim receptam, illis non est necessaria vocatio: nam ab *Apostolicæ doctrinæ præexistentia*, non licet ad *necessariæ vocationis absentiam* argumentari. Hinc (2) potius *invertendum argumentum*: Q: veterem doctrinam Apostolicam, à vere vocatis Ecclesiæ ministris olim prædicatam & promulgatam, proponunt, illis vocatio necessaria, qvia sine vocatione nemo res divinas, ceu Dei minister, proponere debet: *nemo sibi sumit honorem, sed qvi vocatus est, sicut*

& Aaron Heb. V. 4. & ut nec in privata domo qvidam autoritate propria sibi potestatem œconomicam dispensandi res familiæ rapere, salvo jure patrisfamilias, potest, sed is verus œconomus est, qvi per ipsum Patremfamilias ad familiæ totius administrationē vocatur, sic multo magis hoc valet de magna DEI domo, qvæ dicitur Ecclesia *I. Tim. III. 5.* cujus fideles pastores *Oeconomi* dicuntur, cum sint *œconomi mysteriorum divinorum I. Cor. IV. 1.* (2) *Dist.* inter. *studium doctrinæ privatum*, & *præconium ejus publicum*: non *illud*, sed *hoc* vocationem necessariam reqvirit.

6. (III) *Qvia Apostolus in recensendis Ministri reqvisitis vocationem ut necessariam non reqvirit*: Weil der Apostel/ pergit, da er die dinge sonderlich beschreibet/ welche zur bestätigung solcher Personen gehören/ im geringsten der sendung nicht gedencket. R. (1) Apostolus *Ministrum Ecclesiæ* qvoad varia reqvisita describit *I. Tim. III. 1. Fidelis sermo, si qvis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, modestum, bene moratum, hospitalem, aptum ad docendum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed æqvum, non litigiosum, non avarum, qvi domui suæ bene præsit, filios habentem subditos, cum omni honestate: si qvis autē domui suæ praeesse nescit, qvomodo Ecclesiæ DEI curam habebit, non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat calumniatoris: oportet autem & illum testimonium habere bonum ab his, qvi foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqveum.* Item *Tit. I. 6. seqq. Si qvis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut DEI dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, modestum, justum, sanctum, continentem, firmiter tenentem eum, qvi secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit, & exhortari in doctrina sana, & eos, qvi contradicunt, arguere.* Ex qvibus apertum est, qvod pleraq; reqvisita magis Episcopi *vitam*, qvam *doctrinam*, aut *spartam immediate* respiciant, licet unum vel alterum etiam eo respiciat, & qvod magis de *Episcopis constitutis*, qvales in officio se gerere debeant, qvam de *constituendis*, qvales

les ad officium vocari qveant, sermo fiat, sicut omnes circumstantiæ textus, & ipse verborum sensus edocent. (2) Falsum, qvod vocatio prorsus in istis locis Apostolocis negligatur, & in Ecclesiæ ministris non reqviratur: nam contrarium patet (a) *ex ipsa denominatione*, qvia dicuntur *Episcopi* non *privati*, sed *publici*, non *familiæ*, sed *Ecclesiæ*: tale *munus publicum Episcopatus publicam vocationem* prærequirit. Ut enim nemo citra vocationem potest *Episcopus* esse totius *politiæ*, sic pariter nemo vel potest, vel debet esse citra legitimam vocationem *Episcopus* totius *Ecclesiæ*. (b) *ex substratæ materiæ conditione*, qvia talia ministri reqvisita, per Apostolorum recensita, personæ ministerialis idoneitatem ad functionem publici muneris Ecclesiæ manifestare debent, adeoq; per se vocationem ad ejusmodi munus publicum vel includunt, vel præsupponunt. (c) *ex specialium reqvisitorum consideratione*, qvia vocatur *DEI dispensator* in Ecclesia, *Curator Ecclesiæ*, qvi *bene præsit Ecclesiæ* &c: qvæ cum aliis veram & legitimam vocationem inferunt. (3) Falsum, qvod vocationis etiam mentio non fiat. Nam *I. Tim. III. 1.* dicitur: *Si qvis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, & hoc omnibus reqvisitis enumeratis præmittitur: ubi certe non *appetitus inordinatus*, sed *ordinatus* intelligitur, cum in Ecclesia cuncta κατὰ τάξιν fieri debeant *I. Cor. XIV. 40.* tale verò *desiderium ordinatum vocationem*, ejusq; *necessitatem* respicit: nam qvi desiderat Episcopatum, ab aliqvo desiderat, ut illud, qvod desiderat, certo qvodam modo vel expectare, vel accipere qveat, aliàs frustraneum foret desiderium: desiderium autem respicit *Ecclesiam*, aut *eos, penes qvos est Ecclesiæ, vel ministros vocandi, potestas*, adeoq; fertur desiderium in eos, qvi vocare possunt & debent ministros, ut publice docere qveant: qvia si qvilibet ausu proprio, vel etiam pro lubitu munus Episcopatus invadere posset, nec vocationem legitimam expectare deberet, tali desiderio non opus foret: desideramus enim ea, qvæ non nostra, vel modo præsentia, vel ea plerumq;, qvæ non sunt in nostra, sed alterius potestate, cum ea, qvæ nostræ potestatis sunt, jam possidere, non autem ab aliis desiderare videamur. Sic etiam *Paulus Tit. I. necessitatem vocationis* explicitis verbis præmittit, & ante functionem

onem

onem omnem ministri reqvirit: nam v. 5. scribit: *Hujus rei gratia reliqvi te Creta, ut ea, qvæ desunt, corrigas, & CONSTITUAS per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Jam Cretenses in Evangelii doctrina per Apostolum Paulum erant informati, adeoq; novam doctrinam à Tito, vel ab aliis verbi præconibus expectare non poterant. Et tamen his Cretensibus Ecclesiæ ministri constituendi per Titum erant, mediante necessaria qvadam vocatione.

7. (IV) *Qvia duo præcipuè sunt necessaria reqvisita, nim. inculpata vita, & aptitudo ad docendum.* Aber gleichwol/ subjungit porro, **wenn solche Personen nach dem/ so der Apostel vorgeschriben/ erwehlet werden/ und vornemblich die zwey Dinge in ihnen sind: Erstlich ein unsträfflich Leben/ darnach die Geschicklikeit zu Lehren: so sollen sie wegen solcher bestätigung billich von iederman gescheuet und geehret, werden.** R. (1) si ministri sunt *eligendi*, vel *secundum Apostoli præscriptum eliguntur*, seqvitur etiam, qvod sint *vocandi*, vel *secundum Apostoli præscriptum*, adeoq; *necessario* (qvam *necessitatem* infert *Apostolicum*, vel etiam *divinum præscriptũ*) vocentur, & hoc est, qvod volumus. (2) Si Ministri *propter talem CONSTITUTIONEM* sunt *in honore habendi*, vel illis etiam *parcendum* est, seqvitur, qvod omnino *vocatio* sit *necessaria*, qvia publica doctrina tum honorem, tum autoritatem & immunitatem in Doctoribus ex necessitate qvadam exigit, cùm illi Doctores, qvi nullius sunt honoris & autoritatis, sint etiam vel nullius, vel exiguæ saltem utilitatis; qvibus ob vocationem & autoritatem publicam non *parcitur*, illis nec creditur, nec multum tribuitur. (3) Unius vel alterius positio non est reliqvorum vel suppressio, vel rejectio: reqvisita *inculpata vita* & *aptitudinis doctrinæ*, suam merentur laudem, & sunt virtutes generales, reliqvis autem reqvisitis vel nihil adimunt, vel pondus illis addunt, (4) *Inculpata vita aptitudinem docendi* non antegreditur, qvoad *functionem ministerialem*, sed in ordine reqvisitorum seqvitur, cum magis sit *reqvisitum personale*, qvam *officiale*, recte tamen utrumq; conjungitur. (5) Nec *inculpata vita*, nec *aptitudo docen-*

docendi nec *utraq;* simul immediate ministri munus infert, cum multi sint inculpatæ vitæ, habeant etiam aptitudinem ad docendum, non tamen sunt *ministri*, qva de causa manifestum est, qvod *vocatio*, vel *publica constitutio*, sit *necessaria*, ut is, qvi dicitur inculpatæ vitæ, simulq; deprehenditur aptus ad docendum, actu qvoq; docere, vel populum informare possit, cum alias à *posse* ad *esse*, vel *fieri* non valeat consequentia.

8. (V) *Qvia dictum Apostoli Rom. X. 15. nullã vocationis necessitatẽ infert:* **Was helfſtu denn von den Worten des Apoſtels: Wie ſollen ſie verkündigen/ wenn ſie nicht geſand werden? Das/ daß der Apoſtel in den Worten nicht von einer jeden verkündigung/ redet/ ſondern allein von verkündigung newer Dinge/ ſo zuvor nicht gehöret/ wie ſolche eine der Apoſteln/ und anderer/ damalß ihrer mithelffer verkündigung war/ welche gentzlich einer ſendung bedurffte. Weil nun die verkündigung der jetzigen Lehrer und auffſeher ſolch eine nicht iſt/ ſo bedürfen ſie auch keiner ſendung nicht.** ℞. (1) ad *res novas* annunciandas *extraordinaria missione* fuit opus, qvæ fuit *prophetarũ*, & *Apostolorum*, sed qvia *extraordinaria* non est opus, non propterea statim *missio*, vel *vocatio ordinaria* neganda venit. (2) Apostolus in *Epistola ad Romanos* non *res novas* prædicavit, sed omnem suam doctrinam ex *Veteri Testamento* demonstravit, sicut ex allegatis, in singulis capitibus occurrentibus, est manifestum, & in genere de suo præconio pronunciat emphaticis verbis, qvod non *res novas*, sed *antiqvas* annunciaverit *Act. XXVI. 22. Auxilio adjutus DEI, usq; in hodiernum diem sto, testificans minori, atq; majori, NIHIL EXTRA DICENS, QVAM EA, QVÆ PROPHETÆ LOCUTI SUNT, FUTURA ESSE, ET MOSES.* Hæc autem non sunt *nova*, sed jam olim scriptis consignata fuerunt. (3) *Paulus d. l. Rom. X. 15.* non loqvitur de *speciali praconio suorum temporum*, neq; de *praconio rerum novarum*, sed potius de *praconio generali temporum omnium*, & de *praconio salutis*, qvod est antiqvissimum, unde in hoc *capite X.* qvam plurima testimonia V. T. producit, suamq; doctrinam ex illis deducit, & harmoniam cum illis ostendit. Nam (a) *v. 5.* allegat *Lev. XIIX. 5. Ezech.*

XX.11. (b) *v.6.* citat *Deut.XXX.14.* (c) *v.12.* adducit *Esa.XXIIX.16.* (d) *v.13.* profert *Joel.II.23.* (e) *v.15.Esa.LII.7.Nahum.I.15.* (f) *v.16. Esa.LIII.1.* (g) *v.18.Psal.XIIX.5.* (h) *v.19. Deut. XXXII. 21.* (i) *v. 20. Esa.LXV.26.* (k) *v.21.Esa.LXV.2.* Prævidit igitur hanc Pseudherminiam *Socinianorum*, & tot allegatis explicitis veteris Testamenti hunc errorem refellere voluit, ex qvibus plenarius hujus doctrinæ consensus cum Veteri Testamento, & antiqvus doctrinæ Præsentis status luculenter innotescit. (4) Ipsa verba qvoq; *rerum novarum* suspicionem refutant, qvia loqvitur de *verbo fidei*, de *verbo salutis*, de *religiosa invocatione*, de *verbo Evangelii* &c: qvæ non sunt *nova*, sed *vetera*, jam antiqvis temporibus revelata, cumprimis qvia *Paulus* l. d. potissimum de Judæis verba facit: *Ignorantes* (Judæi) *justitiam DEI, & justitiam suam qværentes statuere, justitiæ DEI non sunt subjecti. Perfectio enim legis Christus, ad justitiam omni credenti. Moses enim describit qvidem justitiam, qvæ ex lege est, qvod, qvi fecerit homo ea* [mandata DEI] *vivet in eis. Qvæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Qvis adscendet in cœlum? id est, Christum deducere: aut qvis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reducere. Sed qvid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est Verbum fidei, qvod prædicamus, qvia si confiteatis in ore tuo Dominum JEsum, & in corde tuo credideris, qvod DEus illum suscitavit à mortuis, salvus eris: Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis, qvi credit in illum, non confundetur: Non enim est distinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium dives in omnes, qvi invocant illum. Omnis enim, qvicunq; invocaverit nomen Domini, salvus erit. Qvomodo ergo invocabunt, in qvem non crediderunt: qvomodo credent ei, qvem non audierunt? Qvomodo autem audient sine prædicante? qvomodo vero prædicabunt, nisi mittantur, sicut scriptum est: Qvam speciosi pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona? Sed non omnes obediunt Evangelio. Esaias enim dicit: Domine, qvis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum DEI* &c: Et mox rursus de *Israelitarum cognitione*, vel *auditu* verba facit. Ex qvibus apparet, qvod totus contextus indiffe-

differenter agat de *ministrorum prædicatione*, tum respectu *Veteris*, tum respectu *Novi Testamenti*, tum respectu *ordinariorum* & *extraordinariorum ministrorum*, tum respectu *antecedentium, præsentium & seqventium temporum*. (4) *Missio*, vel *vocatio* respicit *officium*, ut vulgo notum, *officium* respicit *objectum ipsum*, sive *novum* illud, sive *vetus* sit, hæc temporis diversitas nihil ipsi rei præjudicii afferre potest.

9. Alias nonnullas rationes *Venerandus Dn. D. Calovius d. l. th. 8.* introducit, scribens: *Addi posset, qvam futiles sint rationes Adversariorum, qvibus thesin suam, posse ministerium docendi suscipi sine vocatione, adstruere conantur, utpote* (1) qvod liceat concupiscere Episcopatum I. Tim. III. 1. Resp. *Aliud est concupiscere, aliud sibi sumere officium: illud licitum est, ita ut non sumatur, nisi accedente vocatione: hoc illicitum*. Item (2) qvod opus sit Christianæ charitatis, alios docere. Resp. *At publicè docere, opus est charitatis non commune, sed peculiare, proprium ministrorum verbi, ad id constitutorum. Deniq;* (3) qvod nonnulli prædicarint non missi Act. IIX. 4. c. XI. 26. Apollo c. XIIX. 24. Resp. *Etsi missio peculiariter non commemoretur, non tamen ideo neganda est, prout ipse Faustus Socinus sub nomine Gratiani Prosperi in instr. & Doctrin. Aristotel. p. 36. largitur, Philippum Evangelistam ab Apostolis missum fuisse: sed de his vide Dn. D. Gerhard. in LL. CC. Tom. IV. de Minister. Eccles. p. 56. ubi rationes Socinianorum plenius discutiuntur.*

QVÆSTIO SECUNDA.

Num detur vocatio Ministrorum mediata?

1. Circa *qvæstionis Statum* observandum, qvod (1) non qværatur de mediata vocatione *ratione Christi*, an DEus per Christum Apostolos vocaverit, adeoq; *Christus medium vocationis* extiterit? Hoc enim *Sociniani* facilè concedunt, qvi Christum *mediam causam* etiam in aliis mysteriis constituunt. Licet falsum sit, hanc propriè loqvendo *mediatam* esse *vocationem*, cum revera sit *immediata*, vereq; *divina vocatio*, cum Christus reipsa sit *naturalis DEI Filius*, & *verus DEus*.

2. (2) Nec qværitur de *vocatione mediata* respectu *Prophetarum* & *Apostolorum*, annon Prophetæ tempore *Veteris*, & Apo-

stoli tempore *Novi Testamenti* suos qvosdam discipulos ad verbi præconium vocaverint atq; constituerint, cum illud etiam Sociniani passim largiantur, olim ad *res novas* annunciandas vocationem aliqvam fuisse necessariam,

3. (3) Nec qværitur de *vocatione mediata* respectu *primitivæ Ecclesiæ*, num talis *mediata vocatio* temporibus Patrum, & in Ecclesia primitiva fuerit in usu, cum passim etiam *Sociniani* fateantur, in Ecclesia primitiva talem vocationem in usu fuisse.

4. (4) Nec qværitur *de vocatione mediata* respectu *verbi*, annon DEus, interveniente qvodam verbo vocationis, Prophetas & Apostolos, & alios Ecclesiæ ministros vocaverit? Cum enim Verbum DEI sit medium illud vel solitarium, vel consvetudinarium, qvo DEus vel in omnibus, vel in plerisq; cum hominibus actionibus uti voluit, ideo passim ex sacris literis apertum, qvod DEus etiam in vocationibus maxime extraordinariis verbum aliqvod Vocationis usurparit, qvemadmodum ex vocatione *Abrahami Gen. XII. 1. Mosis Exod. III. 4.* & aliorum, idipsum manifestum, adeoq; contra manifestam scripturam à Socinianis illud negari non potest.

5. (5) Nec qværitur de *vocatione mediata*, qvoad *necessaria reqvisita subjecti*, Num futurus Ecclesiæ Minister sibi per media qvædam idoneitatem ad ministerium comparare debeat? Certum enim est, qvod DEus hodie per media nobiscum agat, nec cuiqvam assa columba per ventos veniat, sed ut alias omnis virtus labore, vel sudore paratur, sic etiam idoneitas ad ministerium non nisi per *media* comparatur, sed hæc sunt *media* qvæ ad *Episcopum*, non ad *Episcopatum* reqviruntur, sunt *media*, vel *adjuncta subjecti*, non autem sunt *media*, vel *principia officii*, sunt *interna dona ministri*, non sunt *externa media ministerii*.

6 (6) Sed qværitur de *vocatione Mediata* respectu *Ecclesiæ*, qvalis nunc post *Ecclesiam constitutam* & olim fuit, & adhuc hodie, qvoad legitimum statum, est in usu, qvæ nimirum hodie non alia ratione, qvam Ecclesia mediante fit à DEO & Christo, qva ratione de *causa* potissimum *externa*, vel *Efficiente*, hic est sermo, num *mediata* qvædam *vocatio* respectu *Ecclesiæ* necessaria sit, ita

qvi-

qvidem ut nullus in Ecclesia publice docere, vel administrare Sacramenta debeat, nisi qvi rite sit ab Ecclesia vocatus, & ad eadem destinatus. Hinc recte scribit Venerandus *Dn.D. Calovius in Socin. proflig. loc. de Eccles. controv. 3. Nos vocationem divinam non immediatam solum esse, sed etiam dari divinam vocationem mediatam, qva mediante Ecclesia fiat à DEO & Christo, statuimus: Illum verò modum, qvo qvis aptus fiat ad annunciandum Evangelium, per acqvisitionem eorum, qvæ in Episcopo reqviruntur, meritò rejicimus; qvum non de adjunctis, aut reqvisitis ministrorum Verbi, sed de Causa Efficiente, qva constituuntur in ministerio, non de internis eorum donis, sed de externa eorundem ad ministerium designatione, & in locum certum ordinatione disqviratur, ad qvam certe vocatio reqviritur præter internam ἱκανότητα, ne αὐτόκλητοι sese ingerant huic, aut illi cœtui, sine missione, aut vocatione; qvum DEus sit DEus ordinis, non confusionis I. Cor. XIV. 33. 40.*

7. Sed hanc *Mediatam Vocationem*, vel *missionem*, *Sociniani* communiter inficiantur: nos jam audiemus *Theophilum Nicolaidem refutat. tractat. de Minister. contr. BorKoWsKy Cap. X. p. 97. Notandum*, inqvit, *hic inprimus illud est, nullam missionem, qva ab hominibus proficiscatur, vel mediatam dari. Missio solius DEI est, & Jesu Christi, adeo, ut nec ipsi Apostoli qvenqvam mittere proprie loqvendo potuerint, aut misisse legantur. Modus, qvo ad annunciandum Evangelium homines apti fiunt, duplex dici potest, alter per missionem, qva Apostolis, & aliis fortasse paucis eorum sociis contigit, alter per acqvisitionem eorum, qvæ Paulus in Episcopo reqvirit. Ille modus penes solum DEum est, & Christum, hic penes homines perpetuò.*

8. Ex qvibus apparet, qvod non tantum *mediatam ministrorum vocationem* constanter neget, sed etiam *fundamenta* qvædam supponere cogitet, qvæ paucis examinabimus. Directè proinde nostræ *thesi* suam *antithesin* opponit *Nullam dari missionem, vel vocationem mediatam* (I) *Qvia nulla missio proficiscitur ab hominibus*: nam hæc verba licet videantur ipsius *theseos*, tamen *materialiter argumentum* aliqvod includunt. ℞. (1) de *Pauli* qvidem *missione*, vel *vocatione* dicitur ad *Galat. I. 1.* qvod sit *Apostolus non ab* *homi-*

hominibus, neq; per hominem, sed per Jesum Christum, & DEum Patrem, qvi suscitavit eum à mortuis, sed qvod in universũ nulla *missio*, vel *vocatio*, proficiscatur *ab hominibus*, illud à *Nicolaide* dicitur, verum ex sacris literis non deducitur. (2) *esse ab hominib9* vel sumitur *originaliter* & *principaliter*, vel *actualiter* & *minus principaliter*: nulla vocatio ministrorum *originaliter*, vel *principaliter ab hominibus* est, vel esse debet: qvod tamen suo modo *actualiter* & *minus principaliter* sit ab hominibus, illud nec à Socinianis negari debet, si hypotheses suas, præcedenti thesi propositas, conferre velint. Hinc (3) *dist.* inter *rem* & *rei modum*: *res ipsa vocationis* & *DEO* & *Ecclesiæ communis*, sed *modus competentiæ* maximè diversus, qvia *DEO* καθ' αὑτο, *Ecclesiæ* κατ' ἄλλο, *DEO* per *competentiam propriam*, *Ecclesiæ* per *competentiam communicatam*, vel *delegatam*, sive *subordinatam* convenit, *DEO soli* tribuitur *independenter* & *autoritativè*, sed *Ecclesiæ dependenter* & *subordinate* tantum appropriatur.

9. (II) *Qvia missio est solius DEI & Jesu Christi*: Est igitur *immediata*, non *mediata*. ℞. (1) *Jesum Christum* alias in omnibus mysteriis non ut *causam primam* & *supremam*, sed ut *causam secundam* & *mediam* considerant, prout alibi sæpius est demonstratum, sic igitur is etam mediatæ vocationis autor erit. (2) Qvia *Jesus Christus*, juxta *Socinianos*, non est *verus naturalis DEus*, sed *homo* tantum est *essentialiter*, hæc *secunda ratio primam* evertit: Nam si *Jesus*, qvoad naturam est *nudus homo*, & *autor est vera vocationis*, seqvitur etiam, qvod *qvadam vocatio* proficiscatur *ab hominibus*: at verum est prius, juxta primam rationem: falsum igitur, qvod nulla vocatio procifiscatur ab hominibus (3) E contra si *missio solius DEI*, & *Jesu Christi*, manifestum hinc erit, qvod *Jesus Christus sit verus DEus*, qvod aliàs *Sociniani* pertinaciter negant. (4) *Missio est solius DEI*, sed non semper *immediate*, verum ex DEI misericordissima dispensatione & dispositione etiam *mediatè*, videl. per Ecclesiam: nam qvæ DEus *mediate* facit, *verè* qvoq; facit, cumprimis *DEI solius* est, ratione *autoritatis* & *proprietatis*, qvia *jus vocandi* dicitur *Ecclesiæ* non *jure proprio*, sed *communicato*.

10. (III) *Qvia nec ipsi qvidem Apostoli qvendam mittere pro-*

prio

prie loqvendo potuerunt, aut misisse leguntur. ℞. (1) alia fuit ratio *Apostolorum*, alia *patronorum modernorum*: *illi* vixerunt tempore *Ecclesia constituenda*, *Patroni moderni* vivunt tempore *Ecclesia constituta*, adeoq; res aliter nunc se habet, cum in Ecclesia constituta tum *Ministerium*, tum *Magistratus politicus*, tum ipse *populus*, Christianæ religioni sint addicti, curamq; gerant *Ecclesia* totius & *Ministerii*. (2) Falsum est, qvod *Apostoli* nullos ministros miserint, vocaverint & constituerint: contrarium & *facta*, & *testimonia Apostolorum* luculenter evincunt. Apostoli qvodammodo *mediatè* promoverunt, ipsius *Apostoli Matthia constitutionem Act. I. v. 15. seqq.* postea *varios discipulos* fecerunt, eosq; in ministerium Ecclesiæ, tanqvam cooperarios admiserunt, ut *seqq. capita* testantur. *c. VI. septem Diaconos* in Ecclesiæ ministerium elegerunt, inter qvos Stephanus illustrissimum specimen edidit *v 9. seqq.* & suæ vocationis ac fidelis dispensationis mercedem, *martyrii coronam*, reportavit *v. 58.* similia passim, tum in Actis, tum in *Epistolis Apostolorum* inveniuntur. Nec videtur *Nicolaides* domi suæ habitare, qvi tam audacter negat, qvod de Apostolica Ecclesia reliqvi *Socinianorum* nobis sua sponte de *Ecclesia Apostolica* largiuntur, ut præcedenti qvæstione circa *statum controversia* notavimus. Hinc (3) qvoq; falsum est, qvod *jus vocandi*, vel *mittendi*, *proprie loqvendo* penes *Apostolos* non fuerit: nam & miserunt jam vocatos, *Petrum* & *Johannem in Samariã Act. IIX. 14. Barnabam* usq; ad *Antiochiam c. XI. 23.* ut & *Ministerium Antiochenum Paulum* & *Barnabam* instinctu Spiritus Sancti in omnem gentilitatem *Act. III. 1. seqq.* ut & alios nondum vocatos, qvod exemplo *Stephani* & aliorum demonstrari potest. Et qvis diceret, viros θεοπνεύστους *de facto* sibi jus vocandi, vel constituendi ministros rapuisse, *de jure* vero neutiqvam illud ex DEI voluntate habuisse.

11. (IV) *Qvia modus, qvo ad annunciandum Evangelium homines apti fiunt, duplex dici potest, alter per missionem, qva Apostolis & aliis fortasse paucis eorum sociis contigit: alter per acqvisitionem eorum, qva Paulus in Episcopo reqvirit: ille modus penes solum DEum est, & Christum, hic penes homines perpetuò.* ℞. (1) non tam de *modo*, qvam de *reipsa*, nunc soliciti sumus, sicut patet ex qvæstione, qvia

qvia qværitur: *Num detur qvædam mediata vocatio*, non *qvomodo hæc vocatio fiat, aut fieri debeat*. (2) *Dist.* inter *modum subjectivum* & *objectivum*, hic curæ nobis est, ut ad *objectum ipsum*, nim. ad *ministeriale munus*, & ejus *constitutionem*, respiciamus, non autem ad *subjecta*, vel eorum *idoneitatem* transire licet, cum *subjecta* minime cum *objectis* confundere liceat: adeoq; *modus alius fiendi* respicit *officium*, qvo minister Ecclesiæ constituitur *actu*, & sic *fit minister*, alius respicit *subjectum*, illudq; *idoneum reddit*, ut minister *fieri possit* licet actu talis nec sit, nec unqvam fiat, cum multi sint idonei, vel donis sufficientibus *materialiter* instructi, qvi *formaliter* & *actualiter* non sunt ministri, nec unqvam ministri fiunt, unde neutiqvam ab *acqvisitione materiali*, vel *personali* donorum, ad ministerium sufficientium, ad *formalem & officialem ministerii dispensationem* & *administrationem* argumentari licet, sicut *à posse fieri* ministrũ, *ad esse* vel *fieri* ministrũ non valet conseqventia. (3) Falsum est, qvod *missio* sit *peculiaris Apostolis* & *paucis aliis fartasse*, cum revera juxta scripturã sit *omnium ministrorũ*, qvi non possunt, nec debent publice docere, nisi mittantur, & legitime vocentur, nec illã in tali spontaneo cursu *non missi* felicẽ successum sibi promittere possunt, cum Diabolus & mundus innumera prorsus impedimenta loboribꝰ ipsorum objicere qveãt. (4) Confundunt *Sociniani vocationem extraordinariam* & *immediatam specialem*, qvæ *DEI solius*, cum *vocatione ordinaria* vel *generali*, qvæ licet *DEI* sit, tamen non semper immediate DEI solius manet. (5) Qvilibet per semetipsum acqvirere potest ea, qvæ *Paulus* in *Episcopo reqvisita personalia* postulat, nemo tamen seipsum ministrum ordinat, vel ordinare potest, unde inter *reqvisita personalia* & *officialia*, ut & inter *dona ministrantia* & *sanctificantia* distingvendum. (6) *τὸ aptum fieri* sumitur vel *materialiter*, sic omninò verùm est, qvod in Ecclesiæ ministro permulta reqvirantur, ut aptus fiat ad docendum, & ad publicum ministerium; vel *formaliter*, sic *publica designatio*, vel *vocatio* facit ad ministerium proxime, cum hæc ipsum publicum officium largiatur, sine qva nemo publicas res jure tractare, vel dispensare potest aut debet.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo XV.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE

Disp. XVI. M. CHRISTIANUS ROETING Finsterwaldâ Misnicus.

CEREMONIIS, VEL RITIBUS ECCLESIASTICIS.

QVÆSTIO PRIMA.

Num Ceremoniæ licitæ sint in Ecclesia retinendæ, vel omnes in universum prorsus sepeliendæ?

1.

INter alia *B. Frantzius Disput in Aug. Confess.* erudite qvoq;, juxta scripturam, de *Adiaphoris* disseruit: ad hanc dissertationem *Smalz. in refut. p. 356.* generalem, sed maxime suspectam ἐπίκρισιν adjecit, scribens: *In tractatu hoc de Adiaphoris, qvia cum Lutheranis facimus in plerisq; non est, qvod opponamus, vel annotemus. Nos enim ii sumus, qvi multa ad tempus ferre didicimus per DEI gratiam, & ceremonias honeste sepeliendas esse novimus Licet interim non monere non possimus, cavendum summopere esse, ne multitudo Ceremoniarum tandem introducat superstitionem, vel etiam religionem Christi sanctissimam, & vere virilem transformet in puerilem & elementarem DEI cultum.*

2. Hic præsupponimus (1) qvod non agamus de *Ceremoniis Ethnicis*, qvarum ingens fuit turpitudo, sicut passim apud historicos profanos, & alios scriptores videre licet. (2) neq; de *Ceremoniis Papisticis*, qvarum ingens in *Papatu* reperitur multitudo, sicut jam olim viri religiosi sub mediis Papatus tenebris de nimia multitudine ceremoniarum conqvesti sunt. (3) neq; de *ceremoniis impiis*, veræ fidei contrariis, vel *inhonestis*, ab honestatis studio prorsus alienis, & sic ipso jure, penitus illicitis, cum impium in tabulam Decalogi primam, in hone stum insecundam potissimum impingat. (4) neq; de *ceremoniis privatis*, qvas ex ἐθελοθρησκεία

καινὰ vana qvilibet excogitare, vel in cultu sacro peragendo sub specie qvadam devotionis, vel religionis usurpare posset. (5) neq; de *ceremoniis otiosis & penitus inutilibus*, qvæ nihil decori, vel ordinis, vel memoriæ, vel ædificationis qvæ se ferre videntur. (6) Sed agitur *de ceremoniis Ecclesiasticis, vereq; Christianis, piis & honestis, publicis, utilibus atq; fructuosis*, sicut ipsa *Confessio Augustana* docet *artic.XV. De ritibus Ecclesiasticis docent, qvod ritus illi servandi sint, qvi sine peccato servari possunt, & prosunt ad tranqvillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa & similia.*

3. Præterea notamus, qvod hic non agatur, (a) vel de *violenta ceremoniarum obtrusione*, num contra voluntatem & Ecclesiæ libertatem, ceremoniæ qvædam Christianis obtrudendæ sint, vel etiam obtrudi jure possint? Hoc enim maxime nos improbamus, sicut *Papistæ Cælibatum sacerdotum* vi *Germanis* obtruserunt, ut habet *August.Confess. art. 23.* idem de *Votis monasticis, Discrimine ciborum, Confessione auriculari*, & aliis, passim videre licet. (b) vel de *nova ceremoniarum introductione*, qvæ multas reqvirit cautelas: uti alibi fuit observatum (c) vel de *copiosa, vel infinita ceremoniarum multiplicatione*, qvæ multum incommodi secum trahit, sicut non uno loco *Confessio Augustana* luculenter ostendit. (d) Sed *de Ceremoniarum licitarum, & jam usitatarum conservatione*. Hinc recte dicitur in *Apolog p.212. traditiones veteres, factas in Ecclesia utilitatis & tranqvillitatis causa, libenter servamus, easq; interpretamur πρὸς τὸ εὐφημότερον exclusa opinione, qvæ sentit, qvod justificent. Ac falso nos accusant inimici nostri, qvod bonas ordinationes, qvod disciplinam Ecclesiæ aboleamus. Verè enim prædicare possumus, publicam formam Ecclesiarum apud nos honestiorem esse, qvam apud Adversarios* (Papistas.) *Et si qvis recte expendere velit, verius servamus Canones, qvam adversarii. Apud Adversarios Missas faciunt sacrificuli inviti*, & *mercede conducti, & plerumq; tantum mercedis causa, canunt Psalmos, non ut discant, aut orent, sed cultus causa, qvasi illud opus sit cultus, aut certe mercedis causa. Apud nos utuntur Cœna Domini multi singulis Dominicis, sed prius instituti, explorati & absoluti. Pueri canunt Psalmos, ut discant, facit & populus, ut vel discat, vel oret. Apud Adversarios nulla*

nulla prorsus est κατήχησις puerorum, de qva qvidem præcipiunt Canones. Apud nos coguntur Pastores & Ministri Ecclesiarum publice instituere & audire pueritiam. Et hæc ceremonia optimos fructus parit. Apud Adversarios in multis regionibus toto anno nulla habentur conciones, præterqvam in qvadragesima. Atqvi præcipuus cultus DEI est, docere Evangelium. Et cum concionantur Adversarii, dicunt de traditionibus humanis, de cultu Sanctorum & similibus nugis, qvas jure fastidit populus. Itaq; deseruntur statim initio, postqvam recitatus est Evangelii textus. Pauci qvidam meliores nunc de bonis operibus dicere incipiunt. De justitia fidei, de fide in Christum, de consolatione conscientiarum nihil dicunt. Imò hanc saluberrimam Evangelii partem lacerant conviciis. E contra in nostris Ecclesiis omnes conciones in his locis consumuntur, de pœnitentia, de timore DEI, de fide in Christum, de justitia fidei, de consolatione conscientiarum per fidem, de exercitiis fidei, de oratione, qvalis esse debeat, & qvod certò statuendum sit, qvod sit efficax, qvod exaudiatur, de cruce, de dignitate magistratuum & omnium civilium ordinationum, de discrimine regni Christi, seu regni spiritualis & politicarum rerum, de conjugio, de educatione ex institutione puerorum, de castitate, de omnibus officiis charitatis. Ex hoc statu Ecclesiarum judicari potest, nos disciplinam Ecclesiasticam, & pias ceremonias, & bonos mores Ecclesiasticos diligenter conservare.

4. Deniq; supponimus, qvod ceremoniæ non sint urgendæ, vel *tanqvam necessarii cultus*, vel ad *promerendam gratiam, remissionem peccatorum & justificationem*, qvod vere dicitur *Antichristianum*, sicut iterum luculenter exponit *Apologia Confessionis p. 208. Qvid in re manifesta verbis opus est? si hos humanos cultus defendunt Adversarii nostri, tanqvam promerentes justificationem, gratiam, remissionem peccatorum, simpliciter constituunt regnum Antichristi. Nam Regnum Antichristi est novus cultus DEI, excogitatus humana autoritate, rejiciens Christum, sicut Regnum Mahometi habet cultus, habet opera, per qva vult justificari coram DEO, nec sentit, homines coram DEO gratis justificari fide propter Christum. Ita & Papatus erit pars regni Antichristi, si sic defendit humanos cultus, qvod justificent.* Sed potius *ceremo-*

nias liberè retinemus *ad ordinem bonum, decorum & ædificationis usum*, ſicut *Paulus* I.*Cor. XIV.* prolixe docet.

5. *Schmalzius* eqvidem de *ſuorum cum Lutheranis conſenſu*, qvoad doctrinam de *Ceremoniis*, vel *Adiaphoris* gloriatur. Ac fruſtra, qvia prolixe demonſtrare foret in proclivi, qvod in plerisq; *Sociniani* doctrinam orthodoxam de *Adiaphoris*, vel deſerant, vel oppugnent. Sed hoc alibi perſeqvemur. Qvod autem *uſitatæ ceremoniæ retinendæ non ſint*, *Smalzius* probare videtur (I) *Ex Chriſtianorum circa ceremonias ſtudio*, qvia ceremonias ad tempus ferre didicerunt. *Nos* inqvit, *ii ſumus, qvi multa ad tempus ferre didicimus per DEI gratiam.* ℞. (1) qvod *Apoſtoli* nonnullas ceremonias ad tempus toleraverint. ex *Act. XV.* & locis aliis novimus: ſed ab *Apoſtolis* ad *Socinianos* argumentari non licet. (2) *Diſt.* inter *ceremonias Leviticas* & *Chriſtianas*; *illæ* fuerunt veteris, *hæ* ſunt Novi Teſtamenti; *illæ* cum Levitico cultu tranſire debuerunt, *hæ* cum Eccleſia Chriſtiana cœperunt, & in eadem obſervari conſveverunt; *illæ* fuerunt antiqvatæ, *hæ* ſunt uſitatæ; *illæ* fuerunt neceſſariæ, *hæ* ſunt liberæ; *illæ* typum geſſerunt, & corpus præceſſerunt, *hæ* reſpiciunt antitypum, & ipſum corpus ſeqvuntur. (3) *Diſt.* inter *ceremonias incommodas* & *commodas*: *illæ* ſunt ad tempus ferendæ, vel tolerandæ propter publicam Eccleſiæ pacem & veritatem, ſed *hæ* ſine gravi cauſa non ſunt abrogandæ. Qvod enim, etiam *incommodiores, ceremoniæ* propter evitanda majora mala nonnunqvam retineri poſſint, etiam docetur in *Apolog.p.214. Et in hoc ipſo conventu ſatis oſtendimus, nos propter charitatem ἀδιάφορα non gravatim obſervaturos eſſe cum aliis, etiamſi qvid incommodi haberent, ſed publicam concordiam, qvæ qvidem ſine offenſione conſcientiarum fieri poſſet, judicavimus omnibus aliis commodis anteferendam.*

6. (II) *Qvia novimus, ceremonias honeſte ſepeliendas eſſe.* ℞. [1] Dicitur hoc, ſed ex ſacris literis non deducitur [2] Notandum, qvod *ceremoniæ triplicis* ſint generis [a] aliæ ſunt *impiæ*, vel *malæ*, qvæ nunqvam & nuſpiam, & à nullis ſervari poſſunt, aut debent, cum ea, qvæ ſunt impia, vel mala, legi divinæ contraria ſint, adeoq; verè peccata, qvæ nullo modo ſervari poſſunt, cum ſint

sint illicita, & prorsus prohibita (b) aliæ *divina*, qvæ divinitus sunt mandatæ, adeoq; servari debent, nec à Christianis sunt omittendæ, qvo referri possunt Sacramenta, non eqvidem *sensu Sociniano*, sed *Christiano*, ne Sacramentorum rationem amittant, & nudè tantum ceremoniarum naturam induant. (c) aliæ sunt *media*, de qvibus potissimum hic est sermo. Hæ rursus varias differentias admittunt, cum aliæ sint *utiles*, aliæ *inutiles*, aliæ *fructuosæ*, aliæ *otiosæ*, aliæ faciunt ad *ædificationem*, aliæ ad *ostentationem* &c: ceremonias *inutiles* & *otiosas* cum honestate sepeliendas esse, facile largimur, sed minus rectè hoc *in universum* de *ceremoniis* omnibus dicitur, hinc *Smalz. fallaciam à dicto secundum qvid ad simpliciter* committit. (3) Vulgo dicitur de *ceremoniis Leviticis*, qvod *Synagoga Judaica* cum *ceremoniis Leviticis* cum honore sepeliri debuerit, sed inde ad *qvaslibet ceremonias* argumentari non licet.

7. (III) *Qvia cavendum est summopere, ne multitudo ceremoniarum sensim tandem introducat superstitionem.* ℞. (1) aliud est loqvi de *ceremoniarum conservatione*, aliud de *earum multiplicatione*; dicimus, qvod usitatæ ceremoniæ, qvæ sine peccato servari possunt, *retinendæ* sint, non autem statuimus, qvod ceremoniæ *multiplicandæ* sint: nam ipsa *Confessio Augustana* non semel *ceremoniarum multiplicationem* improbat. (2) *Ceremoniarum multitudo* non *per se superstitionem* infert, cum in V. T. DEUS varias ceremonias, easq; satis multas, instituerit, nec tamen ipse, nec lex ejus superstitionis causa fuit, sed *abusus varius ceremoniarum* superstitionem & idololatriam apud *Judæos* introduxit. Non *ex parte sui*, sed *ex parte nostri* ceremoniæ superstitionem pariunt.

8. (IV) *Qvia cavendum, ne multitudo ceremoniarum religionem Christi sanctissimam & vere virilem transformet in puerilem & elementarem DEI cultum.* ℞. [1] juxta *Paulum* non à qvibusvis ceremoniis, sed à leviticis potissimum ceremoniis hoc metuendum Col. II. 20. seq. nam in V. T. fideles, ut *pueri*, sub *pædagogia* fuerunt, in N. T. hac *pædagogia* non est opus. *Gal. III. 23. seq.* [2] *rectitudinem* & *pulchritudinem*, non autem *multitudinem ceremoniarum* nos urgemus: & certe multitudinem superstitiosarum ce-

remoniarum *nunqvam* tolerare salva conscientia possumus, adeoq; nec *ad tempus* illas ferre debemus.

QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum Ordinatio & Ritus Impositionis manuum in ordinatione Ministrorum sit utilis?

1. Circa *statum controversiæ* prius aliqva præmittere lubet, ut eo clarius appareat, qvid potissimum in qvæstionem veniat. Non autem qværitur (1) *Num Ordinatio & Ritus Impositionis manuum hodie sit apud Lutheranos in usu?* Nam & praxis & *doctrina Lutheranorum* id aperte satis comprobat, qvod hic ritus cum aliis ceremoniis utilibus inter Lutheranos conservetur.

2. (2) Nec qværitur *de dignitate* hujus *ordinationis*, num vere, proprieq; loqvendo sit sacramentum? Hæc enim *Papistarum*, non *Lutheranorum* est sententia, sicut patet ex *Concilio Trident.* sess. 14. de *Sacram. Ordin.* cap. 3. *Dubitare nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis*: & can. 3. *Si qvis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum, à Christo Domino institutum, vel esse figmentum qvoddam humanum, excogitatum à viris, rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum qvendam erigendi ministros Verbi DEI & Sacramentorum &c: anathema sit.* Licet enim *suo modo*, vel *improprie* concedamus, qvod Ordo *Sacramentum* appellari possit, tamen propterea minime dicimus, qvod *vere, proprieq; loqvendo Sacramentum* sit, sicut hæc *Apologia Confessionis August.* p. 201. luculenter exponit: *Sacerdotium intelligunt adversarii non de Ministerio Verbi & Sacramentorum, aliis porrigendorum. Sed intelligunt de sacrificio, qvasi oporteat esse in* N.T. *Sacerdotium simile Levitico, qvod pro populo sacrificet, & mereatur aliis remissionem peccatorum. Nos docemus, sacrificium* Christi *morientis in cruce satis fuisse pro peccatis totius mundi, nec indigere præterea aliis sacrificiis, qvasi illud non satis fuerit pro peccatis nostris. Ideo justificantur homines non propter ulla reliqva sacrificia, sed propter illud unum* Christi *sacrificium, si credant, illo sacrificio se redemtos esse. Ideo sacerdotes*

dotes vocantur, non ad ulla sacrificia, velut in lege, pro populo facienda, ut per ea mereantur populo remissionem peccatorum, sed vocantur ad docendum Evangelium, & Sacramenta porrigenda populo. Nec habemus nos aliud sacerdotium, simile Levitico, sicut satis docet Epistola ad Hebraeos. Si autem Ordo de Ministerio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus Ordinem Sacramentum. Nam Ministerium verbi habet mandatum DEI, & habet magnificas promissiones Rom. I. Evangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti. Item Esa. LV. Verbum meum, qvod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, qvaecunq; volui &c. Si Ordo hoc modo intelligatur neq; Impositionem manuum vocare Sacramentum gravemur. Habet enim Ecclesia mandatum de constituendis ministris, qvod gratissimum esse nobis debet, qvod scimus, DEum approbare ministerium illud, & adesse in ministerio. Ac prodest, qvantum fieri potest, ornare ministerium Verbi omni genere laudis, adversus fanaticos homines, qvi somniant, Spiritum S. dari non per verbum, sed propter suas qvasdam praeparationes, si sedeant ociosi, taciti, in locis obscuris, expectantes illuminationem, qvemadmodum olim ἐνθουσιασταὶ docebant, & nunc docent Anabaptistae.

3. (3) Nec disqviritur de *simplici Ordinationis necessitate:* nemo siqvidem *Lutheranorum* asserit, qvod Ordinatio *praecise, simpliciter & absolute necessaria* sit, qvae pariter est *Papistarum* sententia, & dum Ordinationem inter *Ritus Ecclesiasticos* numeramus, eo ipso necessitatem ejus improbamus, cum Ecclesiastici ritus ex *Ecclesiae libertate* pendeant.

4: (4) Neq; disqviritur de *divina Ordinationis autoritate*, num Ordinatio, qva talis est, sit vel *divini praecepti*, vel etiam *juris divini*: licet enim Ordinationis ritus per impositionem manuum etiam in sacris literis adhibitus legatur, tamen propterea neutiqvam de jure divino dicitur esse mandatus.

5. (5) Nec qvaeritur de *Ordinationis antiqvitate*, cum ex *Epistolis Paulinis* appareat, ab Apostolis & Apostolicis viris hanc ceremoniam χειροθεσίας adhibitam fuisse in signum consecrationis & benedictionis divinae, perqvam Ministri peculiariter DEO consecrati, ministerioq; sacro destinati fuerunt; & divini-

tus

tus etiam dona ad functionem Ecclesiastici muneris necessaria solenniter acceperunt, unde nec ipsi *Sociniani* possunt idipsum negare, qvemadmodum passim confitentur, talem ritum inter Apostolos & seqventibus temporibus in usu fuisse.

6. (6) Sed qværitur de *Ordinationis & χειροθεσίας utilitate*, sicut ipsa *qvæstio* luculenter id docet. Venerandus *Dn. D. Calov. in Socin. proflig.* sect. 8. art. 4. contr. 1. multis id rationibus confirmatum reddit, qvas illustrationis ergo modo recitabimus (1) Qvod Ecclesia antiqva *Apostolica*, & *Apostolorum temporibus proxima*, ritum *ordinationis*, & *impositionis manuum* observarit, cum *Diaconi*, vel *Ministri Verbi* constituti sunt, ut videre est *Act. VI. 6. c. XIII. 3. 1. Tim. I. 6.* (2) Qvod ipse qvoq; *Paulus* remissus fuerit ad *Ananiam*, à qvo ipsi manus imponebantur *Actor. IX. 17.* Cui etiam, cum ablegaretur ad gentes, manus impositæ sunt *Act. XIII. 2.* Qvod si factum hoc in eo, qvi vocatus fuit immediatè, qvanto magis in aliis, qvi mediate vocantur, id fieri decet? (3) qvod per *ordinationem* ob *manuum impositionem* Ministri ad sanctum ministerium consecrentur, qvemadmodum etiam *Levitæ* per impositionem manuum consecrari solebant *Num. IIX. 10.* ideò non inmeritò nec inutiliter iste ritus adhibetur. (4) Qvod publicè hoc ritu persona vocata sistatur, & ceu legitime vocata declaretur, uti *Moses* vocationem *Josua*, successoris sui, hoc ritu populo designavit *Num. XXIII. 18. Deut. XXXIV. 9.* (5) In *actu ordinationis* invocatur nomen Domini super *ordinandum*: ejus muneri benedictiones fiunt, qvæ uti olim *impositione manuum* fieri solebant *Gen. XLVIII. 14. Matth. XIX. 15. Marc. X. 16.* Sic etiam hic non immerito χειροθεσία adhiberi consvevit in Ecclesiis nostris (6) Qvanqvam *extraordinaria & miraculosa Spiritus S dona* hodie non conferantur per χειροθεσίας, non dubitamus tamen χαρίσματα Spiritus S ad munus sacrum necessaria, accedente *ordinatione Ecclesiastica*, augeri per *preces Ecclesiæ*, & *personæ ordinandæ publicas ac privatas*, cujus signum etiam qvoddam est illa manuum impositio, qvum in conferendis donis Spiritus S. eadem adhiberi consveverit *Act. IIX. 15. c. XIX. 6.* (7) Utut superstitiones & abusus hujus ritus in Papatu intervenian, utpote qvod *characterem indelebilem* imprimi persvaserint, ut & ex *opere operato*

operato conferri dona ministris necessaria, non tamen ob abusus res ipsa tollenda; sed *tollatur abusus, maneat verò rei bonæ usus*: alioqvin multa alia tollere oportebit. Valeat hic illud: *Usus habet laudem, crimen abusus habet.* (8) Qvid qvod *Nicolaides* ipse nostræ tandem accedat sententiæ, retineri posse ordinationem, *si superstitio Papistica absit*: Sic enim ille loc. cit. *Qvanqvam vicissim eam ceremoniam ordinationis observari posse, si absit superstitio, non diffitemur.* At idem etiam nos volumus, ut omnis hic absit superstitio; unde *Pontificii Sacramentum ordinationis*, variasq; *superstitiones* invehentes, hic graviter à nostris reprehenduntur ac confutantur.

7. *Theophilus Nicolaides* cum aliis *Socinianis* negativam sententiam tueri conatur in *defens. tract. de Miss. Ministr. c. XI. p. 176.* *Nobis*, scribit, *in religione perpetuo & necessario seqvendum est, non qvid Apostoli olim fecerunt, sed qvod nobis illi, ut perpetuum & universale præceperunt. Qvod de impositione manuum apprimè considerandum est. Tanta enim erat vis & autoritas Apostolorum, ut plerumq; illi, cuicunq; manus imponebant, dona spiritualia simul conferrentur. At hodie nemo est, qvi id sibi attribuere possit, tum qvia id non necesse sit, tum qvia impossibile sit ab homine errorum, & interdum etiam peccatorum, pleno divina dona posse proficisci, qvales hodie si non omnes saltem pleriq; sunt illi, qvi istam potestatem alios ordinandi sibi vendicant. Cumq; hodie facile fieri possit, ut observata hac ceremonia is, qvi eam aliis confert, credat etiam, se præditum esse illa potestate, qva olim illi præditi erant, qvi eam aliis conferebant, non necessarium omnino est, illam ceremoniam usurpari: imò utile etiam est, eam plane intermitti. Solet enim ex hujusmodi ceremoniis oriri superstitio, pestis omnis veræ religionis: dum homines (ut solent) plus illis tribuunt, qvam ipsi veræ pietati.*

8. Ex his verbis non obscurè qvædam argumenta colliguntur, qvæ pro sua sententia *Nicolaides* afferre videtur (I) *Qvia in religione perpetuo & necessario seqvendum est, non qvid Apostoli olim fecerunt, sed qvod nobis illi, ut perpetuum & universale præceperunt,* R. (1) *Apostoli*, qva tales, non tantum *doctrina*, sed etiam *vita*, non tantum *verbis*, sed etiam *factis* & *exemplis* docuerunt, & *exemplar* aliis Ecclesiæ ministris reliqverunt. Hinc dicitur, qvod

Apostolorum ministerialis πρᾶξις sit aliorum fideliũ ministrorũ πρᾶξις. (2) Apostoli *ritum ordinationis* & *impositionis manuum* vel *secundum*, vel *contra* doctrinam suam adhibuerunt: *hoc* minime dicendum est de tam illustribus verbi præconibus; manet igitur *illud*, adeoq; juxta doctrinam & praxin Apostolorum nos hanc *ordinationem* utiliter retinere possumus. (3) Mutatur *status controversiæ*, qy a non agitur hic de *præceptis divinis*, vel *Apostolicis*, sed de *ritibus Ecclesiasticis*, inter qvos etiam *ordinationem* & *manuum impositionem utiliter* retineri posse pronunciamus.

9. (II) *Qvia* Apostoli per impositionem manuum dona spiritualia contulerunt, qvod hodie minime fieri potest ab illis, qvi potestatem ordinandi sibi tribuunt. *Tanta*, pergit, *erat vis & Autoritas Apostolorum, ut plerumq; illi, cuicunq; manus imponebant, dona spiritualia simul conferrentur. At hodie nemo est, qvi id sibi attribuere possit, tum qvia id non necesse sit, tum qvia impossibile sit ab homine errorum, & interdum etiam peccatorum pleno, divina dona posse proficisci, qvales hodie si non omnes saltem plerìq; sunt illi, qvi istam potestatem alios ordinandi sibi vendicãt.* ℞. (1) *Gratia donorum Spiritus Sancti* qvidem per χειροθεσίας communicata, ut constat ex *Act IIX.13.* sed propterea χειροθεσία neutiqvam ad solam illam communicationem restricta fuit, ut passim ex Novo Testamento videre licet. Venit *Spiritus Sanctus* cum *donis suis* & sine χειροθεσία, ut patet ex *Act. II.4. Joh. XX. 22.* venit etiam per χειροθεσίας, ut apparet ex aliis locis, unde χειροθεσία nec *omni*, nec *soli*, nec *semper*, collationi donorum convinere dicitur, sed Spiritus pro libertate sua prout vult operatur *I. Cor. XII. 11.* Vidit hoc ipse noster adversarius, propterea dicit, qvod PLERUMQVE illis, qvibus Apostoli manus imposuerunt, dona spiritualia simul collata sint. (2) *Dist.* inter *gratiam peculiarem Ecclesiæ primitivæ*, & inter *gratiam universalem totius Ecclesiæ*: *dona* qvædam *miraculosa temporibus Apostolorum propria & peculiaria* fuerunt, qvæ cum Apostolicis viris cessarunt, sed *Ministerium Ecclesiæ toti* dicitur *universale*, ac proinde *gratia ministerialis* omnium temporum esse facile colligitur. (3) *Dist.* inter *ministros*, qvatenus *ut homines*, & qvatenus *ut DEI ministri*, vel *mysteriorum divinorum dispensatores*,

considerantur: *ut homines*, æqve sicut alii, peccatores sunt, nec ullam in DEI dona potestatem habent: sed qvatenus DEus eorum opera vult uti, sic per ipsos etiam gratiam suam dispensare dicitur. (4) *Ministri* vel considerantur *sine verbo*, vel *cum verbo*: *sine verbo* nihil gratiæ conferunt, sed erroribus & peccatis subjecti, vel ad minimũ obnoxii, verũ *cum verbo* gratiam DEI peculiarem conferre possunt, & ex verbo cœlestis veritatis Doctores sunt: *(5)* Deniq; respicere videtur ad *larvatos Papistarum Episcopos*, qvi sibi solis jus ordinandi rapiunt, licet nihil minus, qvam *veri* sint *Episcopi*, vel *DEI* & *Ecclesiæ ministri*, qvem errorem nos etiam improbamus.

10. (III) *Qvia hodie facile fieri potest, ut observata hac ceremonia is, qvi eam aliis confert, credat etiam, se præditum esse illa potestate Apostolorum, qva olim illi præditi erant, qvi eam aliis conferebant.* ℟. (1) *à posse ad esse* non valet conseqventia. (2) Si hoc ipsum fiat, non est *juris*, sed *facti*, est *peccatum hominis*, non *incommodum ordinationis*. (3) notum, qvod *impositio manuum*, & olim in *Veteri*, & in *Novo Testamento* variis in objectis sit adhibita, sicut & adhuc hodie tum in *benedictione*, vel *copulatione novorum conjugum*, in *baptismo infantum*, vel *initiatione novorum Christianorum*, in *regum novorum inauguratione*, vel etiam in aliis solemnitatibus multis in locis adhibetur: vix igitur per somnium aliqvis hoc ipsum concipere potest, qvod per χειροθεσίας sibi potestatem Apostolis propriam tribuere velit. (4) *Dist.* inter *gratiæ ministerialis substantiam* & *circumstantiam*: qvoad *rem ipsam* gratia ministerialis per publicas Ecclesiæ Ministrorum, & Candidatorũ Ministerii preces adhuc hodie confertur, sed cum iis peculiaribus circumstantiis atq; specialibus donis hodie non conceditur. Nam ut olim Christus per verbi ministerium homines convertit, & fidem in illis operatus est; sic idem adhuc hodie beneficium in Ecclesia per gratiam Ministris concessum operatur.

11. (IV) *Qvia non est omnino necessarium, illam ceremoniam usurpari.* ℟. (1) non tam de *necessitate*, qvam de *utilitate* modo soliciti sumus, ut ex qvæstione patet. (2) neq; dicimus nos, ut superius observatum, *ordinationem*, vel χειροθεσίαν *simpliciter* esse

necessariam, qvem errorem in *Papistis* notamus & refutamus, imò hic de ordinatione & *χειροθεσία*, tanqvam *liberis Ecclesiæ Ceremoniis*, disputamus: aliud autem est agere, de *liberis ceremoniis*, aliud agere de *necessariis reqvisitis, vel principiis*. (3) *Dist.* inter *omnimodam necessitatem*, qvæ est ipsius *rei*, & inter *modificatam, vel comparatam*, qvæ dicitur *ordinis*, aut aliorum *respectuum*: ordinatio non de *jure divino simpliciter*, sed de *jure Ecclesiastico, suo modo*, necessaria, qvod etiam de *χειροθεσία* dicendum.

12. (V) *Qvia utile esse potest, eam plane intermitti.* ℞. (1) iterum *à posse ad esse* argumentatur. (2) cum certum sit, qvod ordinatio, vel etiam *χειροθεσία* mediantibus publicis precibus, sit Ecclesiasticæ constitutionis, pulcherrimæ conditionis atq; decoris, boni ordinis & multiplicis ædificationis, ideo vere dicitur, qvod *utile* sit, eam non intermitti, sed studiose conservari.

13. (VI) *Qvia solet ex hujusmodi ceremoniis oriri superstitio, pestis omnis veræ religionis, dum homines (ut solent) plus illis tribuunt, qvam veræ pietati.* ℞. (1) aliud est loqvi de *ceremoniis ipsis*, aliud loqvi de *contingentibus eventibus ceremoniarum*: *superstitio* non est ipsa *ceremonia*, sed accidentaliter nonnunqvam ipsis contingit. (2) *Superstitio* non est *vitium ceremoniarum*, sed *hominum ceremoniis abutentium. Servetur usus, tollatur abusus.* (3) Sicut *excessus* improbatur, qvando plus ceremoniis tribuitur, ita *defectus* etiam non probatur, qvando ceremoniæ prorsus abrogantur. (4) *Dist.* inter *consvetudines hominum malas* & *bonas*, *has* retinendas, *illas* rejiciendas esse docemus. (5) aliud est loqvi de *ceremoniis* ratione *vitæ*, vel *pietatis*, & aliud est loqvi de *ceremoniis* ratione *Ecclesiasticæ hierarchiæ*, vel *Ministerialis autoritatis*; non de *illis*, qvod adversarius facit, sed de *his* modo soliciti sumus; cum ordinatio & *χειροθεσία* non ad cujuslibet privati pietatem, sed ad ministri publici autoritatem & constitutionem adhibeantur.

QVÆSTIO TERTIA.

Utrum in lege divina fabricatio imaginum prorsus interdicta sit?

1. In hac *qvæstione* proponenda, vel exponenda, primum circa *controversiæ statum* unum, vel alterum præmittemus, & ea, qvæ

qvæ controversa sunt minus, à præsenti tractatione dimittemus. Non enim qværitur [1] *de imaginum existentia*: num verè dentur imagines, vel statuæ? nam & multorum seculorum historia, & qvotidiana experientia, cum aliis indiciis plurimis, existentiam imaginum invictè demonstrant, nec ipsi *Sociniani* contra manifestam veritatem eam negare tentant, unde passim de imaginibus loqvuntur.

2. [2] Nec agitur hic de *qvibusvis imaginibus*, sive *licitæ*, sive *illicitæ* sint, sive *historicæ* sint, sive *idololatricæ*, sive *honestæ*, sive *inhonestæ*, sive *piæ*, sive *impiæ*, sive *DEI gloriam & aliarum rerum sacrarum memoriam*, sive *DEI ignominiam* præ se ferentes, sive *fructuosæ* sint, sive *scandalosæ*: nec enim *infidelibus*, & à vera religione prorsus alienis, ex studia honestatis, illicitas, inhonestas, scãdalosas, libidinosas & ignominiosas imagines habere licet, multo minus inter *Christianos* ejusmodi ferendæ sunt imagines. *Impium & inhonestum, ignominosum & scandolosum* sit à Christianis alienũ.

3. [3] Nec agitur in specie de *DEI*, *Christi, vel Sacrosanctæ Trinitatis imaginibus*, de qvibus alias in specie non pauca moventur, non tantum à *Calvinianis*, sed etiam à *Socinianis*, & aliis *hæreticis*, verùm hæc impræsentiarum non attingimus, dum in genere *de imaginibus*, earumq; *fabricatione* soliciti sumus.

4. [4] Neq; hic agitur de *vulgaribus & usui vel qvotidiano, vel humano, destinatis imaginib9*: licet enim generaliter *Sociniani* loqvantur, tamen qvando rectius qvodammodo causam hanc considerant, *politicas* & *domesticas* vel *imagines*, vel *statuas* concedere videntur, sicut scribit *Volkelius p. 234*. *Qvo in loco intelligendum est, neqvaqvam nos omnibus etiam illis probiberi simulacris, qvæ aliqvem in communi vita usum babent: veluti sunt illa, qvæ vel historiam aliqvam ante oculos nostros constituunt, vel qvibus herbæ ad medicinam faciendam necessaria depinguntur, vel qvæ ornatum qvendam ædibus profanis, aliisq; rebus extra religionem positis afferunt: sed illis tantum nobis interdici, qvæ qvacunq; ratione ad divinum cultum adhibentur:* Sic igitur *imagines usui communi destinatas* concedit, sed *imagines ad religionem qvacunq; ratione relatas* rejicit.

5. [5] Nec qværitur hac vel de *possessione*, vel de *usurpatione*, eaq; varia ut & devaria *relatione imaginum*, sed, ut qvæstio monstrat agitur saltem de *fabricatione*, num imagines, vel statuas conficere liceat?

6. [6] Nec qværitur hic de *legis divinæ ad imagines relatione*, annon leges qvædam DEI respiciant imagines; hoc enim facile largimur. [7] nec agitur de *fabricationis imaginum per leges divinas præceptione*, num DEUS imagines ejusmodi, ceu necessarias, præceperit, & ad cultum religiosum destinaverit, hominesq; ad fabricationem & usurpationem illarum obligaverit?

7. [8] Sed qværitur de *interdicto divino*, num in lege sua DEUS fabricationem imaginum prorsus prohibuerit? Nam hoc est, qvod potissimum *negamus*, & qvod *Sociniani* propugnare conantur, uti legimus apud *Volckelium lib. 4. de Vera Relig. c. 12.* qvo in loco potissimum urget, *confectionem imaginum* in lege divina prohibitam esse [I] Ex ipso interdicto divino, qvia *secundum Decologi præceptum est. Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, qvæ est in cœlo de super, & qvæ in terra deorsum, nec eorum, qvæ sunt in aqvis sub terra, non adorabis ea, neq; coles Ego sum Dominus DEus tuus, fortis Zelotes, visitans iniqvitatem Patrum in filios in tertiam & qvartam generationem eorum, qvi oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qvi diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* R. (1) qvod Sociniani cum *Calvinianis* præceptum de *sculptilibus secundum* faciunt, illud non fit accurate juxta textum, cum idem sit *objectum*, nimirum *materiale*, vid. idolum, & *formale*, præcepti interdictum, idem etiam finis, ne DEUS alius, præter verum, colatur: manet igitur eadem *præcepti thesis*, saltem illustrationis ergo *specialis* additur *exegesis* de imaginibus, sculptilibus & idolis, qvæ maxime tum inter gentiles usitata erant. (2) qvod εἰκονοποιΐα non simpliciter prohibeatur, patet ex *ipsa praxi DEI*, qvi *Cherubim* in tabernaculo facere præcepit, & in ipso templo multas imagines atq; statuas concessit, qvod prolixe probari posset, nisi res omnis in vado versaretur *Dist.* igitur inter εἰκονοποιΐαν & εἰδωλοποιΐαν, vel εἰκονολατρείαν; *hanc*, non *illam*, DEUS prohibuit.

8. (II)

8. [II] *Qvia in his verbis Exod. XX. tum ipsum DEI præceptum, tum præcepti continetur ratio, seu causa, ob qvam & hoc, & cætera omnia DEI mandata sint observanda. Spectat autem hoc præceptum non minus, qvam primum ad divini cultus rationem: & PRIMUM qvidem IMAGINUM CONFECTIONEM, deinde, & hoc qvidem potissimum, earundem cultum & venerationem prohibet.* ℞. (1) Si hoc verum, seqvitur, qvod in his verbis non *unum*, sed *duo* præcepta reperiantur, adeoq; sic plura, qvam *decem*, præcepta numerari debent, qvod aperto DEI verbo non tantum, sed etiam *Socinianis*, & ipsi *Volckelio* contrariatur, qvi totum præceptum *de sculptilibus* antea *secundum* nominabat. (2) Falsum est, qvod simpliciter *imaginum confectio* sit prohibita, qvia hoc contrariatur tum *legi naturæ*, cum natura vivas imagines qvotidie producat; tum *legi divinæ*, qvi præcepit confectionem *Cherubim* super arca fœderis & propitiatorio *Exod. XXV. 18. serpentis ænei Num. XXI. 9.* tum *praxi divinæ*, qvi ipse sub imagine antiqvi dierum *Dan. VII. 14.* viri insidentis Solio *Esa. VI. 1.* &c: apparuit: tum *legibus artis*, qvia ars effigiatoria, pictoria &c: sunt artes licitæ, nec unqvam simpliciter prohibitæ. (3) Falsum, qvod in præcepto de sculptilibus *duo præcepta nova* reperiantur, cum *primum præceptum* saltem in his verbis exponatur, adeoq; sic *in specie* prohibetur, ne sculptilia vel imagines faciamus, & habeamus ad cultum, ut instar DEI, vel numinis eas colamus.

9. [III] *Qvia in præcepto de sculptilibus non id revera agitur, ne imagines pro Diis habeantur ac colantur: (id enim primo præcepto satis jam cautum fuit, cum imago pro DEO haberi neqveat, qvin alienus DEus coram DEO vero habeatur:) Sed ne ullius sive veri sive falsi numinis imago fingatur, nec ullus ei cultus exhibeatur, eum nempe in finem, ut is honor in illud ipsum nomen redundet, cujus simulacrum aliqva ratione colatur.* ℞. (1) Si primo præcepto satis cautum, ne pro Diis habeantur atq; colantur imagines, seqvitur, qvod in his verbis tantum *explicatio primi præcepti* reperiatur, qvia disertis verbis hic dicitur. *Non adorabis, neq; coles ea*: male proinde distingvuntur, qvæ per Spiritum S. conjunguntur. (2) Qvod *habere DEum* h. l. non tam *theoretice*, qvam *practice*, sit intelligendum

cum

cum *ratione cultus*, ipse *Volkel.p.205.& 206.* exposuit: unus igitur utriusq; præcepti sensus atq; scopus est. Hinc (3) *habere DEum* h.l. & *religiose colere* DEum, συνωνύμως accipiuntur.

10. [IV] *Qvia fatentur omnes, & res ipsa loqvitur, hoc præcepto interdici Ethnicorum idololatriam, ac porro omnem simulacrorum cultum ei similem. At v. Ethnici DEos suos, qvorum imagines fingebant, colebantq;, aut in cœlo, aut in terra, aut in mari, ne de inferis ipsorum Diis nunc qvicqvam dicam, existere credebant, nec imagine aliqva confecta, vel corrupta, illum ipsum, cujus imago esset, DEum vel confici, vel corrumpi putabant. Qvare imagines non pro ipsis Diis habebant, aut colebant, sed in iis, aut per eas venerabantur Numina illa, qvorū essent imagines. Qvod idem de Israelitis, in vitulis olim DEum colere se arbitrantibus, statuendum est: adeoq; imagines conficere non licet.* ℞. (1) *Nulla conseqventia*, qvia rursus ab *εἰδωλολατρεία prohibita* fit argumentatio statim ad *εἰκονοποιΐας prohibitam*, qvæ maxime sunt diversa, cum aliud sit, *imagines facere, aliud* sit, *imagines colere: illud* licitum, *hoc* prohibitum: *ars pictoria* semper inter Christianos viguit, sicut olim & inter gentiles floruit, & naturam ipsam æmulatur: Si proinde DEus jure creaturas, ceu vivas imagines, producere, nobisq; proponere potuit, nec pictas imagines prohibere voluit. (2) Certum est, qvod gentiles olim non tantum *statuas Solis, Lunæ, vel aliarum stellarum* aut etiam *picturas animalium* adorarint, sed etiam ipsum *solem naturalem, lunam,* & alias *stellas*, ut & *animalia viva* sæpius adorarunt: Si qvis igitur more *Volckelii* colligere vellet, facile DEum, conditorem harum creaturarum, accusare posset. Sed hic nec DEus, nec *natura*, nec *ars*, vel ejus sive *pictura*, sive *sculptura*, accusari jure potest, ubi vana hominum opinio & superstitio, vel corrupta eorum phantasia, reprehensionem omnem meretur. Servetur usus, tollatur abusus. (3) Hinc DEus passim apud *Mosen* hoc præceptum de *sculptilibus* iteravit, illustravit & explicavit, ut omnibus de sensu genuino ejus constare posset, unum l. alterum saltem locum adducemus *Lev. XXVI 1. Non facietis vobis idolum & sculptile, nec statuam erigatis, nec insignem lapidem ponatis in terra vestra, UT ADORETIS apud eum: Ego enim sum Dominus DEus vester,* Confer. *Deut. IV. 15. 16. 17. 18. 19.*

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo XVI.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS.
DE

Disp. XVII.
R. ABIAS
JORDAN,
Heringâ
Thüringius.

MAGISTRATU POLITICO, VEL REBUS CIVILIBUS.

QVÆSTIO PRIMA.

An Magistratui Christiano licitum sit bella gerere?

1.

Circa *controversiæ statum* observandum, qvod non qværatur (1) *Num Magistratui Christiano qvodvis bellum sit licitum?* notum enim est, qvod iniqva sæpius bella sint, qvæ nulli hominum, nec ipsi Magistratui licita esse possunt, adeoq; minime sic *illimitatè* bellum Magistratui Christiano tribuimus.

2. (2) Non qværitur, *annon pax bello præferenda sit?* verum enim est illud qvod dicitur communiter: *nulla salus bello, pacem te poscimus omnes*, cum pax una sit potior innumeris triumphis.

3. (3) *An bellum offensivum facile suscipiendum sit?* nam & nos largimur, qvod omnia prius tentare debeamus, qvam bellum *offensivum* ingredi velimus, cum ingressus sit facilis, sed egressus dubius atq; difficilis: & magis *defensiva* bella, qvam *offensiva* Christianis convenire, nos ipsi pronunciamus.

4. (4) *Annon Magistratus pacem sectari, & cum vicinis amicitiam colere debeat?* hoc enim nos facile largimur, & *Ostorod. instit. c. 28. p. 101.* asserit, inqviens. Fürs erste sagen Wir/daß die Obrigkeit/ sie sey Herr/ oder König/ dem Friede nachjagen sol/ und mit den Nachbarn gute Freundschafft halten sol: Qvantum enim in nobis est, cum omnibus pacem colere debemus Rom. XII.

5. (5) *Annon Magistratus de fœderibus cum vicinis & potentioribus solicitus esse debeat, ut cum subditis in pace manere queat?* Nam & hoc *Ostorod. d. l.* affirmat: darnach kan man fœdera und bündnisse machen/durch welche Land und Leute eine lange Zeit in guten Friede sitzen können/ wie es die erfahrenheit bezeiget: Et certum est, qvod hæc prudentia civilis verum sit Magistratus reqvisitum, ut omnibus modis & sibi, & subditis suis de pace prospiciat.

6. (6) *Annon alia media prius tentare debeamus, qvo bellum etiam defensivum evitare valeamus?* Nam & hoc facilè largimur Schmalzio, qvi de bello *defensivo* potissimum urget, qvod illud minime suscipiendum, sed potius aliis mediis declinandum sit, qvando contra *Franz. p.394.* scribit: *Non certum esse, an is sit regionem obtenturus, qvi eam armis defendit. Multos enim videre est, qvi hac ratione se & suos, & sua omnia perdiderunt, ita, ut si aliter se gessissent, regnare possent, qvi nunc extrema sunt mancipia. Nonne igitur præstat, varios tentare modos, qvibus regio conservetur præter bellum, qvales sunt fœderum pactio, de jure suo qvodammodo cessio, addo etiam tributorum solutio, & tandem ipsius etiam regionis, si aliter nullo modo fieri possit, spontanea deditio, qva omnia fieri possunt absq; jactura salutis, vitæ, fortunarum:* &c: Hæc si prorsus aliter fieri neqveant, & nulla restent vel consilia, vel auxilia defensionis, sic in *casu necessitatis* procedunt, qvamdiu vero consilia, vel alia media diversum svadent, simpliciter hæc omnia concedi non possunt, cum Evangelium non aboleat politiam. Nec una conditionum illarum ratio: nam *confœderationes* ad nostri defensionem inire, *de jure* qvoq; nostro, qvantum publica salus admittit, *cedere* possumus, sed hosti statim *tributa solvere*, vel *se totum dedere*, non adeò facilè, nisi necessitas extrema tandem id exigat, concedendum. Sic enim *Turcarum Imperator*, vel alius *Tyrannus* facile totum mundum sibi subjicere posset.

7. (7) *An ad bellum tributa conferenda sint?* nam & hoc *Ostorod. d. l. p. 182. 183.* fatetur, scribens: Man muß hie aber zusehen/ das man nicht etwas vermeine wieder GOtt zu seins welches doch nicht wieder GOtt ist/ und sich also selber ohn Ursach

Ursach in mühe und Verfolgung begebe/ wie die thun (zum Exempel) welche nicht wollen Tribut/ Aufflage und Schatzung zum Krieg geben/ welches doch GOtt nicht verboten hat: Nur durch die Ration bewogen/damit sie nicht möchten angesehen werden/ alß wen sie eben durch das geben desselben Tributs/ auff den Krieg bewilligten. Welche ratio denn darumb nicht gelten sol/ das da unß gebothen ist/ der Obrigkeit Tribut zugeben/simpliciter solches geboten wird/und nichts gesaget/ worauß man colligiren, oder abnehmen könt/ zu welchen Sachen/ und widerum zu welchen nicht/ man Tribut solt geben. Dann wan man darum nicht solt Tribut geben/damit man nicht angesehen würde/ alß wann man auff die Dinge/ zu welchen die Obrigkeit den Tribut anwendet/ bewilligte/ so würden wir gar selten dem Gebot des Apostels nachkommen müssen: Sintemal die Könige und Fürsten gemeiniglich die Tributa an solche Dinge wenden/ mit welchen die Christliche religion wenig/ oder gar nichts zuschaffen hat. Verum non est de nihilo ratio producta, si tributa specialiter ad bellum gerendum postulentur, qvod plerumq; fieri consvevit: Sic omnino, qvi tributa tanqvam media belli, conferunt, bellum ipsum gerere, vel promovere perhibentur.

8. (8) Non qværitur: *An sine pœnitentia, vel etiam peccatis crescentibus, bellum nobis prodesse qveat, etiam contra DEum, qvando videlicet DEus regnum aliqvod punire decrevit: vel annon frustraneum sit belligerare, si talis nimirum populi status inveniatur?* Nam *Ostorodus p. 193.* scribit: Wo die Sünde überhand nimpt/ und keine Busse erfolget/ ist es vergebens zu Kriegen und zu Fechten: Den wieder GOtt/ welcher aller Königreiche ein HErr ist/ hilfft nichts/nur Demut und besserung des Lebens. Neq; nos in eo contradicimus, sed idem cum scriptura semper urgemus, qvod DEus non tantum in bello, sed etiam in aliis plagis

vera pœnitentia, humili patientia, & emendatione vitæ per veram fidem nobis sit conciliandus, ut ejusmodi plagas avertere velit: sed hæc qvæstio magis de τῷ prodesse, qvam esse belli tractationem instituit, & non tam de licito, qvam commodo, vel utili solicita.

9. (9) Non etiam qværitur: *An liceat ejusmodi discere & exercere opificia manuaria, quorum industria præparantur gladii, vel alia generum armorum, qvibus ad bella gerenda, vel homines interficiendos utimur?* Nam ipse *Schmalzius contr. Franz. p. 396.* hoc itidem concedit: *Non per se qvidem est peccatum, tractare artificia, quorum opera arma parantur, etiamsi bella gerere non liceat. Potest enim fieri, ut talia quis paret, qvæ ad bella gerenda pertinent, & tamen nunqvam ad bella gerenda adhibeantur. Præstat autem id facere, quod vel peccatum per se non est, vel peccati causa potest non esse, quã vel fame perire, vel suos deserere. Hanc tamen cautionem addendã putamus, si qvis aliter sese nullâ ratione alere possit. Alias enim nimis turpe est, hominem Christianum ea laborare, qvæ ad internecionem hominum comparata sunt. Discere vero tale opificium multo indignius est homine Christiano. Semper enim id eligendum est in omni vita, qvod est rectissimum, & ab omni specie mali qvam alienissimum.* In his *Smalzius* disertis verbis concedit, *armorum fabricationem & præparationem* non esse *per se peccatum*: qvi vult *media, finem* ipsum in totum repudiare non potest: & licet *hypothesin* addat, *si aliter sustentare se neqveat*: tamen notum est, qvod non sint facienda mala, ut inde eveniant bona, neq; propter solam sustentationem talia facere debemus, qvæ vel mala sunt, vel mali speciem præ se ferunt: & si demonstretur, Bella esse licita, talis hypothesis per se corruit.

10. Sed (10) qværitur: *Annon Magistratui Christiano sit licitum bellum gerere, si citra jacturam religionis & regionis illud facere, nec aliis mediis hostem à suis ditionibus repellere, vel injuriam illatam, à se, suisq; subditis aliter removere qveat?* Nos *affirmativam* tuemur sententiam, qvod omnino cœteris paribus, bellum Magistratui Christiano gerere licitum sit. *Sociniani negativam* defendere satagunt, qvod omne bellum, à qvocunq; suscipiatur,

qvi-

qvibuscunq; causis, & qvocunq; modo, sive fine geratur, ut & contra qvos instituatur, prorsus illicitum, & in Novo Testamento penitus prohibitum sit. Sic enim *Smalz. contr. Franz.* p. 393. *In qvarta sectione* (Franzius) *directe nos petit, & bella gerere licere, affirmat, qvod nos negamus, & indignum Christiana pietate esse contendimus. Ostorod.* d.l. p. 178. Wir geben denen beyfal/ so so den Krieg improbiren / das ist/ nicht für gut halten: ob wir wol wissen/ wie viele diß für den Kopff stossen wird/ die wol umb dieser unser einigen Meinung willen/die gantze Confession selber leichtlich verwerffen solten. Denn es wird sie düncken / das diese unsere Meinung das unterste oben kehre/ und aller Dinge eine Confusion, oder Vermischung anrichte/ was sollen wir aber thun? Wir können nicht wieder unsere Conscientiam entweder etwas Reden/ oder Verschweigen/ sintemahl es umb den gehorsam der Gebot Christi/ und consequenter, oder folgig/umb die ewige Seligkeit zu thun ist. Ex qvibus satis apparet, qvod secundum *Ostorodum*, omne bellum obedientiæ mandatorum Christi contraveniat, & æternæ saluti noceat. Unde *Socinus advers. Paleol.* p. 146. diserte scribit, qvod bellum neq; res bona, nec indifferens, sed per se mala sit: *Hic* inqvit, *non de re aliqva indifferente agitur, sed de re* (videlicet bello) *qvæ per se mala est, & præceptis Christi contraria*: qva de Causa *Volkel lib. 4. de Relig. Christi c. 16 p. 55.* scribit, *videtur, Christianum Magistratum præcepto*, Non occides, *ita comprehendi, ut à bellis alienus sit*. Pluribus testimoniis, qvæ passim obvia sunt, non videtur esse necessarium.

11. Probare conantur sententiam suam ex variis argumentis, nos qvædam ex ipso *Socino contr. Palaolog. p. 138. seqq.* colligemus, atq; juxta scripturam & rei veritatem refellemus. Probat igitur Christiano Magistratui licitum non esse bellum gerere (I) *Qvia nulla est Christi respublica, ubi odium aliqvod locum habet erga qvosvis homines, qvavis de causa. Ea siqvidem universa in amore & charitate erga omnes homines potissimum fundata est.* Rx. (1)

inter *rempublicam Christi & mundi*: certum est, qvod in *republica Christi*, qva talis est, nec *odium* sit, nec *bellum*: sed non *politia*, qva talis, est *regnum Christi*, cum potius in *politia regnum Christi* sit, qvã ut *regnum Christi* sit *ipsa politia*. Hinc (2) notandum, qvod *politia Christiana* non uno modo subordinetur, nam ut *Christiana*, subordinatur *Christo*, vereq; *Christiana* dicitur, sed ut *politia* subordinatur *mundano Domino*, vocaturq; *Politia*, vel *mundana politia*. (3) *dist.* inter *jus* & *factum*: de *jure* qvidem nullum *odium*, nullum *bellum*, inter Christianos esse deberet, *de facto* verò multum *odii*, multũ *belli* sæpi, inter eos reperitur. (4) Hinc *dist.* inter *homines Christianos* ratione *spiritus*, & ratione *carnis* consideratos: ratione *spiritus* nullum *odium* erga homines, etiam persecutores, admittunt, sed omnia patienter ferunt: verùm propter carnem sæpius affectibus indulgent, & alteri malum intentant, unde necessarium omnino dicitur, ut justa defensio concedatur.

12. (II) *Qvia licet respublica Christi suos etiam habeat hostes, cum qvibus continenter bella gerit, tamen hi non sunt homines*: non est enim, *inqvit Paulus Eph. VI. 12.* nobis colluctatio adversus sangvinem & carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum hujus seculi, adversus spiritualia neqvitiæ in cœlestibus. *Hi sunt hostes nostri, cum qvibus alia ratione, aliisq; armis, qvam cum hominibus fieri soleat, nobis pugnandum est, idcirco statim subjungit Apostolus*: Propterea accipite universam armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & omnibus peractis stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in qvo poteritis omnia tela mali ignea extingvere. Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, qvod est verbum DEI. *Perspicuum igitur est ex Paulo, Christianæ reipublicæ hostes non homines, sed Dæmones, seu malos spiritus esse, nec illi cum hominibus, sed cum dæmonibus belligerandum esse, non armis carnalibus, sed spiritualibus.* ℞. (1) *Unius positio non est alterius remotio*: nobis & cum *dæmonibus*, & cum *mundanis hominibus*, & cum *pravis*, vel *carnalibus affectibus* pugnandum est: nam qvoad *carnem* res certa, qvod *prudentia carnis inimicitia sit adversus DEum Rom. IIX. 7.* & *caro perpetuo concupiscit adver-*

adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem, hac enim sibi invicem adversantur Gal. V.17. De *mundo* pariter id negari non poteſt, qvia *Jacob. IV.4. amicitia hujus mundi inimicitia eſt DEI, & vice verſa: & qvicunq; voluerit amicus eſſe ſeculi, inimicus DEI conſtituitur.* (2) *Diſt.* inter *bellum myſticum*, vel *internum*, qvod geritur cum *Diabolis*, & *politicum*, vel *externum*, qvod geritur cum *hominibus*: de *hoc* loqvitur *quaſtio*, de illo *Socini ratio*, ſic ſcopæ ſunt diſſolutæ. (3) iterum confunditur *Eccleſia* cum *politia*; nos loqvimur in præſenti qvæſtione de *politia hoſtibus*, ſed *Paulus* loqvitur de *Eccleſia hoſtibus*.

13. (III) *Qvia qvod contra in Iſraelitica & Moſaica republica fuit, in qva cum hominibus, tanqvam cum veris hoſtibus carnalibus armis bellandum erat, aut certe bellari jure poterat, ut ex hiſtoria ſacra aperte conſtat, illud non habet locum in N. T.* Coferantur *antecedentia* & *conſeqventia*. *Socin. lib Svaſor. p. 25.* & paſſim alii, ex qvibus patebit, qvod juxta Socinianos alia ſit ratio *Veteris*, alia *N.T.* cum DEus in *illo* bellum mandaverit, vel conceſſerit, *hic* prohibuerit, in *illo* hoſtium occiſionem approbarit, *hic* improbarit, *ibi* terrenum regnũ promiſerit, & hoſtium propulſationem conceſſerit, *hic* minime, ſed Chriſtianos cœlum reſpicere juſſerit &c:

℞. (1) *Abraham* etiam ante *Moſen* legitimum bellum geſſit, ut patet ex *Gen. XIV.* unde manifeſtum, qvod etiam ante *Moſen*, vel *Moſaicæ reipublicæ conſtitutionem*, belligerare licitum fuerit. (2) Bellum gerere tum in V. tum in N. T. licitum fuit, qvia nuſpiam prohibitum, & non tantum in ſacris literis paſſim, ſed etiam in jure naturæ fundatum. (3) Falſum, qvod in N. T. juſtum bellum ſit prohibitum. Confer. *Luc. III. 14. XIV. 31. Rom. XIII. 4. &c:* unde Chriſtus *Centurionem* non rejecit *Matt. IIX. 9.* & ejus imperium militare v. 18. non improbavit, imò fidem ejus maxime commendavit v. 10. *Cornelius* etiam *Centurio* ſuum inter Chriſtianos nomen dedit, neq; tamen militiam deſeruit *Act. X. 1. ſeqq.* (4) Ut in V. T. regni terreni promiſſionem, & ejus occupationem, acceperunt *Iſraelita* divinitus, ſic etiam in N. T. datur proprietatum poſſeſſio, vel defenſio, qva de cauſa hoſtes etiã inde propulſare licet.

14. (IV) *Qvia Bellorum conceſſionem incommoda multa ſeqvuntur*, ut pluribus evincere conatur *Socin. d. l. p. 143. 144. 145.*

cum-

cumprimis illud urget: S*i justa sit causa bello lacessendi, & magistratus id facere negligat, posse populum, vel omnem, vel maximam ejus partem, resumpta quodammodo autoritate sua (populus enim, ut supponit p. 141. magistratui suam autoritatem antea circa constitutionem concessit) bellum illud gerere* &c: *idem etiam populum facere posse, si magistratus nolit & contradicat, ut nimirũ hostes à republica belligeratione repellat: talibus autem belli gerendi concessionibus christiano populo, factum esse, ut contra ipsum magistratum,* Christi *nomine gaudens populus arma capere non dubitaverit, Doctoribus non modo assentientibus, & approbantibus, verum etiam suadentibus atq; impellentibus, & libris editis, id & posse, & debere fieri publicè contestantibus & contendentibq. Testis est hodie eorũ,* pergit, *orbis ipse terrarum, qui hæc fieri aut vidit, aut certissima fama accepit, sed testes potissimum sunt duæ nobilissimæ provinciæ, Gallia & Germania inferior, quæ civili sanguine jam diu madent, atq; redundant, eo quod persuasum sit, ex certis quibusdam causis populo, seu populi parti adversus Dominũ & Principem suum bellũ gerere licere. Itaq; hac ætate nostra ab iis, qui* Christianos *se esse præ ceteris iactant, per speciẽ* Christianæ *religionis asserendæ, id fieri vidimus, quod barbari atq; efferati homines facere exhorrescunt, ut scilicet contra proprios reges arma ferant. Et tamen (si DEO placet) eos, qui ob prædictam causam sive in ipsa acie, sive alibi ceciderunt, & obtruncati sunt, in martyrum* Christi *numerum referri, publicè audivimus. O seculum! Hi nimirum sunt vestrarum belli gerendi concessionum fructus. Egregii vos scilicet magistratuum defensores estis, qui populos contra magistratum, id est, reges suos, armatis, dum magistratu jubente, bella juste geri posse docetis. Rege enim tyranno facto (quod, quid sit, quilibet suo modo interpretatur) non regem amplius, sed populum ipsum, sive aliquos ex regni proceribus magistratum esse, vulgus hominum vobis ipsis indicantibus, vel certe annuentibus contendit: quibus auctoribus ex vestra disciplina tyrrannum illum, ut ipsi putant, ejusq; vim armis repellere, cumq; eo apertum bellum gerere non dubitant. Unde quot ingentia mala necessario proficiscantur, plus satis jam experientia novimus, quæ misere deplorari magnis, quam aperte verbis explicari possunt.*

R. [1] non *exemplis*, sed *legibus* judicandum: multa sæpius fiunt, quæ

qvæ minime fieri deberent, si justum belli gerendi modum omnes attenderent. (2) Ex *Lutheranis Theologis* minime docere poterit *Socino*, qvod subditis belli gerendi potestas conveniat; contrarium passim *B. Lutherus*, & alii *Theologi* cum eodem docuerunt. Qvod inter *Papistas* & *Calvinianos* tales Doctores reperiuntur, nostræ orthodoxiæ, de *justo bello*, nullum parit præjudicium (3) *Dist.* inter *mala facere*, & *mala pati:* non *illud*, sed *hoc* Christianorum est, adeoq; populo potius svademus, ut omni modo ferant injurias tyrannorũ, non autem ad seditionem, rebellionem, vel similia se recipiant. (4) *Dist.* inter *subditos meros*, & *non meros*; qvi subditi meri non sunt, illis nec simpliciter in omnibus, multo minus in iis, qvæ sunt contra DEum & honestatem, obedientia erga tyrannos magistratus imponenda. (5) Falsum est, qvod talia incõmoda proveniant ex orthodoxa de bellis gerendis doctrina, cum potius ex pravis hominum affectibus originem ducant &c.

15. [V] *Qvia si Lutherani eos, qvos tantopere reprehendunt, & tanqvam magistratuum eversores palam traducunt, imitarentur, nec magistratus auctoritas ulla ex parte violata fuisset, & nos tanta damna lucrati essemus, & pro innumeris sicariis, raptoribus, stupratoribus, sacrilegis, parricidis, aliqvot saltem veros Christi martyres haberemus.* R. (1) sicut *non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona*, ita nec statuenda cum Socinianis falsa, ut inde qvædam bona eveniant. (2) De *Lutheranis* falsum est, qvod juxta doctrinam suam magistratui resistant, vel eidem bellum inferant, cum potius loco cedere, malaq; ferre jubeantur. (3) ab *hominum vitiis* non licet ad *doctrinæ errores* argumentari, cum notum sit, qvod in Ecclesia vera sæpius homines pessimi reperiantur, sicut ipsa scriptura monstrat, & nullus in humano genere status est, qvem Satanas hactenus non variis vitiis contaminatum iverit, non tamen propterea status ipse reprehensionem meretur.

16. [VI] *Qvia bellum non est aliqva res indifferens* (*etenim res indifferentes, jubente magistratu, tanqvam si ipse DEus jussisset, fieri debent*) *sed res per se mala, & præceptis Christi contraria*, R. [1] falsum est, qvod bellum sit res *per se mala*: *dist.* inter *malum pœnæ* & *culpæ*, inter *malum*, qvà sumitur pro *noxa*, & qva sumitur *pro culpa*: bellum eqvidem *malum*, qvia *nocet*, sed non est *malum*, qvod *DEI legem abolet*, & per se peccatum ipsum infert. (2) Falsum est,

 qvod

qvod bellum sit *præceptis Christi contrarium:* nullum enim dictum citari potest, in qvo Christus simpliciter bellum prohibuerit: contrarium *th.13.n.3.* notavimus. (3) *bellum* qvidem *indifferens* nonnunqvam dici potest, cum *in libertate* magistratus positum sit; *indifferens* etiam sua natura manet, cum & *bonum*, l. *justum*, & *malum*, vel *injustum* esse possit, interim & nonnunqvam *necessarium* est, & aliqvando *bonum*, aliqvando *malum* dicitur.

17. (VII) *Qvia si DEI mandati nomine singularem & apertam aliqvam DEI monitionem intelligimus, qva DEus Bellum præcipiat, nihil hoc ad qvæstionem facit: nemo enim est, qui non minus sub Evangelio, qvam sub lege, qvicqvid DEus, ut fiat singulariter & expresse monuerit, faciendum omnino esse neget. Sed certe, si Christianus populus tum demum bella gerere debet, cum à DEO singulariter ea de re monetur, sperare juvat, nullum unqvam bellum à populo Christiano gestum iri.* Rx. [1] aliud est, *mandatum*, aliud *concessum* esse: non qværitur, an bellum sit *necessarium*, & à DEO *mandatum*, qvasi Christiani necessario bellum gerere debeant, qvod nunqvam ab orthodoxis assertum est, sed an sit *licitum*, adeoq; divinitus *concessum*, & non prohibitum. (2) *Dist.* inter *illa, qvæ per se sunt, & qvæ per accidens contingunt:* occasiones bellorum non per se sunt, sed ex iis, qvæ per accidens contingunt, fieri dicuntur, & hac ratione Magistratus DEI mandatum habet, qvod gladium frustra gerere non debeat, sed qvod eodem in ministerium DEI uti debeat *Rom. XIII.4.* [3] *Dist.* inter *mandatum explicitum* & *implicitum:* bellum à DEO neutiqvam explicite præcipitur Christianis, implicite tamen, ex officio magistratus, DEI qvoddam præceptum aliqvando inferri deprehenditur.

18. (IIX) *Qvia aliter se res habuit sub lege, aliter tempore N.T. Nam, juxta Socinum, sub lege non idcirco cum hostibus bellare licuit, qvia sic magistratus juberet, qvasi alioqvin id neutiqvam liceret, qvippe qvod DEus in lege sua homicidia fieri vetuisset, qvæ multa committi in bello necesse est. Neq; enim potest magistratus id fieri jubere, qvod DEus vetuerit. Qvemadmodum nullam habet auctoritatem magistratus jubendi, ut adulteria fiant, cum ea expresse in DEI lege interdicta fuerint: Sed ideo sub lege bellare licebat, & bellando hostes interficere, qvia præceptum illud non occidendi ad hostes non porrigi, multis modis DEus ipse declaverat, qvi inter cætera hostium.*

ſtium occiſionem ſervatæ legis præmium populo ſuo ſtatuerat, idq́, res ipſa ſecum omnino ferebat, ut poſtqvam eis DEus terrenam hæreditatem ac poſſeſſionem aſſignaverat, qvam etiam bellando adepti fuiſſent, e terrenis qvoq́, armis eam defenderent &c: Non igitur ex magiſtratg autoritate ſed ex Dei conceſſu, voluntate, jus belli gerendi ſub lege pendebat. ℞. [1] Multa dicuntur, ſed nihil eorum firmiter probatur. [2] *opponuntur* ea, qvæ minime ſunt *oppoſita*, ſed *ſubordinata:* nam magiſtratus autoritas divinæ voluntati, legi, vel conceſſioni non opponitur, ſed ſubjicitur, cum à divina voluntate pendeat, legem divina pro norma reſpiciat, & divinâ conceſſione gaudeat. [3] Falſum eſt, qvod Magiſtratus jubere debeat, vel etiam ſalva conſcientia jubere qveat, aut qvod juxta noſtram ſententiam aliqvid jubeat, qvod legi divinæ contraveniat. cum enim magiſtratus norma ſit lex divina, certe neutiqvam huic normæ contravenire poteſt, aut debet, niſi velit enormiter peccare. [4] Falſum eſt, qvod bellum ſit in lege divina prohibitum, aut ſimile cum adulterio ſit peccatum: nam adulterium, ut lege ſua prohibitum, DEus nunqvam conceſſit: bellum autem, juxta Socinum, conceſſit; ergo bellum non eſt tale peccatum, ut adulterium, nec lege divina prohibitum. [5] *Diſt.* inter *homicidium juſtum* & *injuſtum, publicum*, & *privatum, judicialis actus*, & *culpabilis affectus*, ex *juſtitia*, & ex *ira, vel injuſtitia* profectum: *hoc*, non *illud* lege divina prohibitum. (6) Legem moralem non magis Iſraelitæ, qvam Chriſtiani ſervare potuerunt *Act. XV. 10.* qvia jugum tale, qvod neq; nobis, nec patribus illis portabile fuit, unde nec in V. T. hoſtium occiſionem populus Iſraeliticus, tanqvam præmium ſervatæ legis exercere potuit. [7] Falſum etiam, qvod in genere præceptum qvintum etiam ad hoſtes non extendatur vel in V. vel in N.T. cum per proximum, juxta tabulam Decalogi ſecundam, omnis homo ſubintelligatur &c:

19. (IX) *Qvia DEI conceſſus, ac voluntas ratione belli, qvalis fuit in Veteri Teſtamento ſub lege, ſub Evangelio plane ceſſavit, prout tum Chriſti verba Matt. V. 44. aperte docent, tum res ipſa ſatis per ſe monet. Cum enim hominibus, qvi ſub Evangelio futuri ſunt, hoc eſt, Chriſtianis, nullam terrenam poſſeſſionem DEus aſſignaverit, ſed eos, terra prorſus poſthabita, cœlum inqvirere juſſerit, qvid cauſa eſt, cur contra ſuum ipſius expreſſum, & antiqviſſimum humani ſangvinis non fundendi mandatum Gen. IX. 6. Chriſtianis hominibus bella gerere, & ho-*

& homines occidere permittat? R. (1) Ex superioribus jam constat, qvod belli concessio divina qvoq; locum habeat in N.T. sicut dicta, exempla, & alia argumenta demonstrant. (2) Falsum est, qvod Christi verba *Matt.V.44.seqq.* bello contrarientur, cum potius de vita hominis cujuslibet privata, qvam de publica Magistratus politici per bellum vindicta, Christus verba faciat: falsum etiam, qvod hic ad legē N. & V.T. respiciat, cum potius legem veterem pharisaicis corruptelis opponat, & pristinam Mosis legem integritati suæ restituat. (3) licet Christianis non eodem modo terrenam possessionem DEus assignaverit, sicut olim Israelitis, tamen possessionum proprietatem æqve probavit, ut olim, proinde se suasq; possessiones Christiani defendere tenentur (4) *Dist.* inter *Christianum formaliter* consideratum, *qvatenus est in Christo*, sic nullis opus habet externis possessionibus, adeoq; nec illorum defensione opus habet, & inter eum consideratum *materialiter*, *qvatenus est & vivit in mundo*, qva ratione bona possidet externa, suaq; bona cum suis defendere tenetur.

QVÆSTIO SECUNDA.

An liceat Magistratus opem ad vindicandas injurias implorare?

1. Circa *qvæstionem* ipsam aliqva rursus præmittere libet, ut eò rectius de *nostra* non tantū, sed etiam de *Socinianorum* sententia constare qveat. Hinc non qværitur (a) an *ex privata vindicta, ejusq; cupiditate, causam injuriæ nobis illatam debeamus ad Magistratum deferre?* nam privata vindicta, vel inordinata cupiditas ejus, prorsus est prohibita, nullo proinde modo Christianis convenire potest.

2. (b) Nec qværitur, *an à nobis petenda sit ultio per Magistratum, vel suscipiendæ sint lites forenses, aut ex avaritia, aut ex invidia, vel odio, seu studio nocendi proximo, vel libidine qvadam rixandi, vel ut nostris affectibus inordinatis satisfiat, vel ex impatientia, qvod DEO tolerandis injuriis nolimus obedire, nec expectare auxilium ipsius, aut ex qvocunq; alio pravo affectu, pugnante cum dilectione, vel DEI, vel proximi, vel an qvasvis levissimas litigandi occasiones cupide qværere, vel aliunde objectas statim arripere debeamus? Vel an agere liceat mendaciis, fraudibq, insidiis, vel insidiosè vitia nostræ causæ involvere, fraudulenter veritatem causæ adversarii intervertere, vel falsis,*

falsis, ambiguis, aut incertis niti, vel an regnare debeat acerbitas animi; qvasi cum hoste agamus; an uti liceat convitiis, maledictis, an omnia, qva ad infamiam & detrimentum adversarii qvoqvo modo detorqveri possunt, conqvirenda, plenisq; buccis effundenda: an summo jure omnia sint agenda, nec pati debeat lasus aqvis conditionibus sibi satisfieri: an principalis intentio actoris debeat esse infamia, vel damnũ proximi, vel ut animo ardenti cupiditate vindicta satisfiat, vel ut qvoqvo modo, specie aliqva juris, nostras facultates, dignitates, vel alia augeamus? &c: Sic enim & aliis modis adversarii nonnunqvam sententiam orthodoxorum traducere laborant, sed nos talia minime probamus, multo minus urgemus, unde talia sunt *facti*, non juris, sunt *hominum*, non *causarum*.

3. (3) Nec qværitur, *an tantum ob pœnam proximi, vel ut hosti saltem agre fiat, & mens nostra, vindicta cupida, punitum eum videat, magistratus opem implorare conveniat?* Hoc itidem *Socinus* nobis affingit *in libr. Svasor. cap. 3. p. 23.* ubi nostram sententiam seqventibus proponit, *qvod apud nos permittatur, ut qvis injurias suas per magistratum ulciscatur, id est, eum puniri curet, qui injuriam sibi intulit, licet ex ea punitione nihil prorsus commodi ad se privatim rediturum esse, probe intelligat, nisi qvatenus injuriam suam hac ratione vindicatam sit visurus, seq; non inultum esse sensurus.* Nam posito, qvod hæc nonnunqvam *de facto* contingant, tamen *de jure* non probantur, cum certum sit, qvod nec ex *vindicta*, nec ex *ultionis* cupiditate, nec ex *ἐπιχαιρεκακίας* studio, nec ex nostro qvodam *privato commodo*, sed potius ex *justitia studio, itemq; boni publici causa*, nostras injurias ad Magistratum deferre conveniat.

4. (d) Nec illud in qvæstione: *Num prater bonum publicum in causis certis etiam privatam aliqvam compensationem urgere liceat?* Nam hanc ipse *Socinus in libr. Svasor. cap. 3* p 14. concedere videtur scribens: *suum judicio persequi, & damni sibi injuste illati compensationem per magistratum qvarere, neqvaqvam Christus prohibet, qvamvis nonnulli id sint arbitrati: sed tantum ultionem & vindictam qvalemcunq; vetat, vultq; potius nos duplum damni pati, qvam cuiqvam malo homini ita resistere, ut sive per nos ipsos, sive per magistratum, injurias nostras ulciscamur.*

5. (e) Nec disqviritur, *Utrum jus nostrum coram magistratu persequi possimus*, vel ut habet *Catech. Racov. p. 198.* Ob es recht

 sey/

sey/ das seine rechtlich durch die Obrigkeit zu suchen/ und wegen des erlittenen Unrechs zu Klagen? Respondet enim: Ja es ist frey/ wann es nur ohne Rache geschicht: Denn nur dieselbe verbeut uns der Herr Jesus. Et Smalz. *contra Franz*. p. 247. scribit *Non est vindicta, dum qvis efficit per magistratum, ut ii, qvi nobis mala fecerunt, vicissim malis afficiantur.*

6. (f) Sed qværitur: *Annon ad vindicandas injurias, vel ad vindictam publicam, Magistratus opem implorare liceat?* Hoc enim negant ipsi *Sociniani*, qvi censent, discrimen esse V. & N. T. ibi fuisse vindictam qvandam licitam, hic nullam. Sic enim *Smalz*. d. l. *Nos affirmamus, in V. T. non omnem vindictam prohibitam fuisse, sed tantum privatam: In Novo verò omnem esse prohibitam, tam publicam, qvam privatam.* Socin. contra Palæol. p. 90. *Non potuit Christus evidentius, aut significantiq omnem prorsus vindictam, sive ultionem interdicere, qvam jubendo, ut malam cadenti, alteram prabeamus. Hoc enim omni ultionis generi plane contrarium esse, nemo est, qvia videat.*

7. Nostram sententiam confirmat *Venerandus Dn. D. Calovius in* Socinism. *proflig. loc. de Magistr.* Polit. *Controv*. 4. (1) *à vindicta publica approbatione* (2) *ab approbatione judiciorum* (3) *à Christi approbatione* Joh. XIIX. 23. (4) *ab Apostoli judicio*, *I. Cor. VI. 8 seqq.* (5) *ab exemplo Pauli Act. XXIII. 3.* (6) *à Magistratus munere* (7) *à vindicta publica necessitate* (8) *è Smalzii confessione contra Franz. p. 242. Sed & hoc non omnino concedendum est, licere Christianis disceptare de rebus magnis apud Magistratum. Nam omnia prius tentanda sunt, etiã in maximis injuriis, qvam ad lites & forum eatur, ne homines sapius contendendo discant aliis injurias inferre.* Et paulo ante: *Non est qvæstio: An liceat Christiano homini judiciis experiri sub Magistratibus politicis? Hoc enim certo respectu nos etiam concedimus.* Qvæ rationes ex sacris literis plenissimè diductæ, & planissime d. l. demonstratuæ, qvod ad vindicandis injuriasMagistratus opem implorare liceat.

8. *Sociniani* passimetiam suam heterodoxam sententiam vel adserere, vel defendere conantur: nos considerabim, nunc ea, qvæ *Smalzius cont. Franz. p. 239.* afferre videtur argumenta I. *Ex Matt. V. 40. Ego dico vobis, ne resistite malo. Falsum enim est, qvod ait Franzius, in verbis Christi,* Ne resistamus malo, *tantum privatam resistentiam*


pro-

prohiberi: hoc ex eo apparet, qvod verba illa Christi opponuntur ei, qvod licebat sub lege, nempe oculum pro oculo, dentem pro dente, curare excludi. Hoc vero nemini licebat sub lege propria autoritate, sed tantum per magistratum. R. (1) Ipse *Socinus adv. Palæol. p. 157.* fatetur, *Matt. V. Christum dicta sua non tam legis dictis, qvam iis, qvæ tanqvam legis præcepta vulgo jactabantur, his in locis opposuisse,* adeoq; *falsa legis interpretamenta rejicere voluisse*: falsum igitur est, qvod simpliciter h.l. ad tempꝰ sub lege, vel ad ipsam legem Mosis respexerit. [2] Certum est ex contextu, qvod Christus in *antecedentibus* non tam de *publicis*, qvam *privatis* disseruerit, unde similiter etiam hæc verba non de publica magistratus autoritate, sed de privata vindictæ cupiditate loqvuntur. [3] Verum qvidem est: qvod olim juxta legem *Mosis* non privatis personis *talionem* exercere licuerit, sed tantum per autoritatem Magistratus talis retaliatio fieri debuerit, interim tamen per antiqvorū traditionem, & pravam scribarum atq; Pharisæorum defensionem, tempore Christi Judæi censuerunt simpliciter hæc verba legis intelligenda, & privatis etiam licitum esse, pœnam ejusmodi talionis exercere, ac illatas injurias per similes ejusmodi pœnas ulcisci.

9. II. *Qvia sic apparet, qvod nec per magistratum nobis nunc liceat ita resistere malo, ut olim lex permittebat.* R. (1) Qvod per magistratum malum illatum tolli, seu vindicari possit, præter alia docet *Rom. XIII. 3.* qvia *principes non sunt timori boni operis, sed mali v. 4. Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. DEI enim minister est, vindex in iram ei, qvi male agit.* (2) *Dist.* inter *vindictam ipsam*, & *vindictæ modum*: talis vindicta, qvæ simpliciter per talionem fiebat, & ad legem forensem Israelitarum pertinebat, hodie non est in usu, cum Evangelium non aboleat politias, & earum leges, non tamen inde colligendum, qvod ipsa vindicta per Magistratum politicum plane fieri neqveat, aut fieri non debeat.

10. III. *Qvia sane mirum videri debet, qvod Franzius affirmat, licere nunc oculum pro oculo excludere, cum vix ullæ leges politicæ id unqvam approbarint. Nihil enim in eo inest rationis sanæ, si is, qvi me offendit, ita puniatur, ut nihil inde ad me redeat commodi: & alia omnino ratione is, qvi alicui oculum excluderet, puniretur hodie, secundum*

cundum ipsas leges politicas, quam oculi exc'usione. Indulsemt autem hoc DEus populo Israelitico, ut ingenio illius pueriti & vindicta cupido aliqua ratione gratificaretur. Rx. (1) Falsum est, quod *Emnzius* affirmarit, licere hodie oculum pro oculo excludere, sicut in V. T. cum Franzius loqvatur in his verbis non de nostris, sed de V. T. temporibus: sic enim th. 106. habent ejus verba: *Quod verò Christus jubet, Ne resistamus malo, in eo tantum privatam resistentiam, privatamq; relasionem oculi & dentis prohibere, adeoq; idem præcipere voluit, quod in V. T. Levit. 19. his verbis mandatur: Non ulcisceris te, scilicet privatim, siqvidem per publicam potestatem oculus pro oculo eruebatur:* unde partim *Franzius* ad V. T. partim ad tempora Christi, qvoad ipsos Judæos, eorumq; vindictā publicam respiciebat. (2) Qvod aliæ leges Veterum populorum non omnem *talionem* excluserint, ex politicis notum est, hic illud prolixe perseqvi nolumus. (3) Prorsus impium & irreligiosum est, qvod *Smalzio* de *lege divina* pronunciat, *nihil eidem inesse rationis sanæ, esse legem puerilem, & ad vindicta cupiditatem accomodatam* &c: eandem impietatem p. 269. profanus homo repetit: *Perfectiores, inqvit, plerasq; leges fuisse humanas in qvibusdam, qvam divinas, qvæ in lege Mosis continentur, qvantumvis fortasse absurdum alicui videri possit, certissimum tamen est. Nam raro lex humana aut olim permisit, aut & nunc permittunt scilicet homines prudentes, modum istum ulciscendi injurias NIMIS esse HOMINE SENSATO & CORDATO INDIGNUM.* Dignū homine *Sociniano* de legibus divinis, veris sapientiæ divinæ staturis judiciū à (4) λλογον etiā est, qvod sana ratione sit alienum, si qvis, qvi me offendit, ita puniatur, ut nihil inde ad me redeat commodi: non enim privato, sed potissimum publico, qvoad irrogationem pœnarum, satisfieri debet: non injuriæ nostræ privatæ, sed divinæ, publicæq; justitiæ potissimum satisfaciendum. (5) Falsum est, qvod lex aliqva compensationis vel rationi, vel naturæ contraveniat: contrarium enim leges naturæ qvasi nobiscum natæ monstrare videntur, qvales sunt: *Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Qvod tibi vis fieri, alteri etiam feceris; suum cuiq; tribuendum: Per qvod qvis peccat, per idem punitur & idem,* Et qvæ sunt aliæ constitutiones, non obscuræ talionem aliqvam respicientes, licet ex ipsa natura, rectaq; ratione suam originem ducant.



QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo XVII.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE
NOVISSIMIS.

Disp. XIIX. R. M. JOHANNES Schultze / Jütreb. Sax.

QVÆSTIO PRIMA.

Utrum in morte Corpus hominis prorsus in nihilum redigatur?

1.

VAriæ *Socinianorum* opiniones erroneæ de *morte* nostra passim in scriptis ipsorum reperiuntur, ut inter alia videre licet & *Socini libr. de statu prim. hominis*, ubi varios errores proponit & propugnat, utpote (1) qvod *mors* sit *proprium hominis*, vel *naturæ hominis propria & consentanea* p.10. *Mors declaratur tanqvam res, qvæ ipsius hominis naturæ & materiæ, ex qva constabat, propria esset eiq; valdè consentanea.* (2) qvod humanæ naturæ, etiam in statu creationis non sit contraria: *Non infligitur*, inqvit ibidem de morte, *tanqvam aliqvid pristinæ naturæ vel contrarium, vel etiam dissimile.* Hinc (3) negat, qvod mors per peccatum mundum intraverit p.16. *Per peccatum, inqvit Paulus, mors in mundum intravit, id est, moriendi necessitas, sive mors æterna, non autem mortalis conditio, sive ipsa mors naturalis.* (4) Negat, qvod mors sit *pœna peccati* p.10. *Vides* (Gen.III.17.) *mortis non tanqvam pœnæ mentionem fieri, sed tanqvam termini ad qvem usq; pœna duratura sit.* (5) Affirmat, primum hominem creatum fuisse mortalem p.16. [6] Non infligi homini mortem à Deo p.10. & multa alia, qvæ nunc percensere nolumus: inter alia verò *Sociniani* statuunt etiam, qvod *in morte corpus hominis prorsus in nihilum redigatur*, de qvo nobis inpræsentiarum agendum.

2. Hic circa qvæstionem ipsam monemus, non qværi (1) *Num homines hodie moriantur?* nemo siqvidem, nisi mente captus, id negabit, & illum cum ex parte *nostra*, cum ex parte *Socinianorum* in confesso positum est: nam *statutum est homini, semel mori Heb.IX.* 27. (2)

27. (2) *Num corpus hominis ab anima separetur?* nam & illud facile conceditur, cum mors hominis nihil aliud sit, qvam animæ rationalis à corpore separatio. (3) *Num corpus hominis possit, cumprimis per divinam potestatem in nihilum redigi?* sicut enim per divinam potentiam ex nihilo productum est, sic etiam per eandem potentiam divinam in nihilum redigi potest, cum illud revera de cunctis creaturis dicatur, qvæ dependent à DEO, non tantum *in fieri*, sed etiam *in esse*, ita qvidem ut per DEI, ceu causæ primæ, conservationem sint, absq; qva ne qvidem ad momentum existere possent. (4) *Num vel homo, vel etiam corpus ejus post mortem nihil dici qveat, aut dicatur?* Notum enim est ex sacris literis, qvod non semel homo *nihil* dicatur, vel *nihilo* conferatur *Psal. XXXIX. 12.* (5) *Annon mors hominis rectè nihilum dicatur?* nam aliud est, *de ipsa morte per se* verba facere, aliud est de *mortis subjecto*, vel *homine*, seu *corpore hominis post mortem* agere: non *homo*, sed *mors* est *nihilum*, idq; non *merum*, sed *verum*, non *negativum*, sed *privativum*. (6) *Annon post mortem hominis corpus corruptioni sit obnoxium?* nam aliud est *corrumpi*, aliud *in nihilum redigi*. (7) *Annon homo post resurrectionem corpus aliqvod sit habiturus?* nam aliqvod corpus *Sociniani* concedunt homini, sed non *vetus*, & qvod in hoc seculo gessit, sed *novum*, qvod per novam productionem accepit. Hinc (8) directe qværitur, *num hominis corpus, qvod modo circumfert, prorsus in nihilum redigatur?*

3. Nos *negativam* sententiam nostram facimus cum orthodoxis, ex scriptura sacra doctrinam suam stabilientibus. Venerando Dn. D. *Calovius* in Socin. proflig. sect. 10. contr. 1. artic. 1. multis hanc negativam confirmat, scribens: Qvanqvam verò corpora hæc, qvæ circumferimus, post mortem *corruptionem* visura, nullum dubium sit, ea tamen *planè in nihilum esse redigenda* prorsus à fide alienum esse, censemus (1) *qvia* scriptura testatur, corpora nostra *in pulverem reverti, unde desumta sunt Gen. III. 19. Eccles. XII. 7.* at aliud longè est, *in pulverem reverti*, aliud *in nihilum redigi*, cum ea, qvæ in pulverem revertuntur, non planè *annihilentur*, sed solum *corrumpantur*, nisi *Sociniani pulverem nihil* esse velint, & ex eo *Non-Ens* faciant, qvod αὐλόφατικὸν longe absurdissimum! (2) qvia corpora nostra *corrumpantur*, scriptura teste, post obitum: dicuntur enim

corru-

corruptionem videre, ut è *Psal.XVI.10. Act.II.22.31. XIII.3.36. I.Cor.XV.42.* colligere est. At *corruptio* rei, non est *annihilatio*: cum *corruptio* fiat manente aliqva materia eadem, *annihilatio* verò nihil superesse relinqvat, ut discrimine hoc vel tironibus è *Physicis* notissimum est. (3) *qvia mors* describitur per *somnum & obdormitionem Deut.XXXI.16. II.Sam.VII.12. I.Reg.II.10. Esa.XXVI.20. LVI.14. Dan.XII.2. Matt.IX.24. Joh.XI.4. Act.XIII.36. I.Cor.XI.30. XV.20. I.Thess.IV.13.* ut ergo in somno corpus qviescit in cubili suo, qvod ipsum vicissim excitatur in expergefactione, ita corpora mortuorum non annihilantur, sed in cubilibus suis qviescunt, donec voce Christi excitentur *Esa.XXVI.20.21. Dan.XII.2. Joh.V.28.29.* (4) *qvia* corpora nostra *seminari* dicuntur in morte *Joh.XII.24. I.Cor.XV.43.* ut ergo semen corrumpitur qvidem in terra, non autem planè annihilatur, sed iterum suo tempore progerminat, sic etiam corpora nostra destruenda qvidem sunt, sed non annihilanda, ut vicissim lætius progerminent, unde ossa nostra in resurrectione, *graminis* instar revirescent *Esa XXVI.14.* (5) *qvia mors* est talis *ἀνάλυσις Phil.I.23. II.Tim.IV.6.* per qvam totum qvidem suppositum dissolvatur, sed neutra partium *in nihilum* redigatur, qvia ut *anima*, vel *Spiritus* ad *DEum*, ita *pulvis* in *terram* revertetur, *Eccles. XII.7.* Qvo de *Dionys. de Eccles. Hierar. c.XI. Mors non est ἀνυπαρξία τῆς οὐσίας, sed τῶν ἡνωμένων διάκρισις, εἰς τὰ ἡμῖν ἀφανὴς ἄγουσα.* Mors est *ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματος*, *depositio tabernaculi I.Pet.I.14. καταλύσις*, *dissolutio terrestris domus tabernaculi II.Cor.V.1.* At cum *domus destruitur*, non fit id *partium*, aut *materiæ annihilatione*, sed *ædificii dissolutione*. (6) *qvia* opinio *Sociniana* pugnat cum *descriptione mortis*, non minus *Philosophis*, qvam *Theologis* decantata, qvod *mors nihil aliud sit*, *qvam separatio animæ à corpore*, uti *Plato* eam definivit, qvod sit τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος λύσις, vel διάλυσις, καὶ χωρισμὸς in *Phædone* & *Gorgia*: & *Tertull.* lib. anim. c.XXVII. *Mors non aliud determinatur, qvam disjunctio corporis animæq;*: & *c. LI. opus mortis in medio discretio corporis animæq;. Ambros.* lib. de bon. mort. c.III. *Mors absolutio est animæ & corporis*, *& qvædam hominis separatio.* Nunqvam vero ab ullo sive *Philosopho*, sive *Theologo*, qvod constet, ita mors descripta, uti à *Socinianis*, ut scil. *corporis annihilatio*, vel *non-existentia* morte inferatur.

tur. (7) *qvia* DEus dicitur *piorum ossa omnia custodire, ne ullum eorum pereat Psal. XXXIV. 21.* unde ossa *qvasi herba germinatura* pronunciantur *Esa. LXVI. 13.* Confer. *Ezech. XXXVII. 4. 5. Sirac. XLVI. 15.* Qvæ verò à DEO custodiuntur, ut vicissim repullulent ac germinent, ea sane haudqvaqvam in nihilum rediguntur. (8) *Qvia* in scripturis *resuscitatio* describitur, non per *novi hominis creationem è nihilo,* sed per *corporis hujus è terræ pulvere excitationem Dan. XII. 2. Iob. V. 28.* per *corporis* hujus *mortalis vivificationem Rom. IIX. 11.* per *corporis humilitatis hujus transfigurationem, in corpus gloriosum Phil. III. 21.* per *inductionem incorruptibilitatis & immortalitatis super hoc corpus, qvod circumferimus I. Cor. XV. 53.* & qvæ hujusmodi alia περιφερόμενα occurrunt, qvæ certè δὶς διὰ πασῶν cum illa hypothesi de *corporum annihilatione* pugnant. (9) *qvia* in nullius viventis interitu corpus *in nihilum* abit, ut è *Physicis* notum est, sed corrumpitur. Qvi ergo id de corpore humano admittendum, qvod ipsius Spiritus S. domicilium fuit. (10) qvia nullum planè fundamentum habent adversarii opinationis suæ novæ in *Philosophia* saniori pariter, & *Ecclesia* universa pene inauditæ, qvod nempe corpus in morte, aut post mortem penitus annihiletur, sicut ex seqq. apparebit.

4. Licet autem his & aliis immotis fulcris orthodoxa sententia nitatur, Sociniani tamen adversam doctrinam asserere & defendere nullatenus erubescunt. Sic enim *Smalz.* Exam. 100. Err. Err. 81. p. 33. *Sanctos vita functos non existere, firmiter credimus. Dissoluto enim corpore ab anima, & corpore in nihilum redacto, sancti non sunt amplius, sed tantum animæ ipsorum restant. Ad sanctos autem constituendos, reqviritur anima ipsorum & corpus. Animas sanctorum restare post mortem credimus: redit enim Spiritus hominis, teste sacra scriptura ad DEum, qvi eum dedit. Sed qvia animam istam, vel spiritum hominis post mortem aliqvid sentire, vel aliqva re perfrui, nec scriptura testatur, nec ratio permittit. Ut enim corpus sine anima, sic etiam anima sine corpore nullas operationes exercere potest, cum sit pars tantum hominis: qva de causa iterum corpora permittuntur fidelibus in futuro seculo, ideo dici potest, sanctos nullo modo existere, qvod ad totam sui substantiam.* Conf. Err. 88. p. 35. Sic Err. 90. p. 36. *Errorem & illud statuit Smiglecius nonagesimum,* Corpora non eadem resurrectura die judicii, sed alia lon-

ge perfectiora. *Hoc vere qvomodo non firmiter asseramus, cum Paulus ipse id ita diserte doceat, ut vix aliqvid disertius, dum de modo resurrectionis, vel in qvali corpore mortui resurrecturi sint, disputans, ait, hominem resurrecturum, ut alia omittam, incorruptibilem, & corpus spirituale. vel spiritum vivificantem. Incorruptibile enim & spirituale, vel spiritum esse, toto genere à corpore nostro, qvod nunc habemus, differunt. Idem Apostolus ait. Carnem & sangvinem (ex qvibus corpora nostra sunt conflata) non posse hæreditare regnum DEI. Idem ait: Absorptum iri corpus hoc ab immortalitate. Idem deniq; alibi ait: DEum ut cibos, sic & ventrem aboliturum. Abolito autem ventre, nonne necesse est, vel ipsum corpus aboleri, vel sine ventre corpus fingere, qvod longe absurdissimum est? sed nolo huic rei ulterius probandæ immorari, qvæ Christiana religione ita digna est, ut contrarium ejus prorsus sit Machometanum & Judaicum. Hi enim ut post hanc vitam voluptates corporales fingunt, sic non mirum est, eos corpora etiam, qvalia nunc habemus, imaginari futura esse. Cujus rei Christianos pudere deberet.* Item lib. de Divin. Christ. c. XIII. p. 79. *Resurrectio, vel resurgere nihil aliud est, qvam ex non existente iterum existere. Hinc generationi assimilatur resurrectio. Hinc etiam de mortuis dicitur, qvod non sint, natura scil. rei inspecta.*

5. Ex his qvædam argumenta pro *Socinianorum* sententia facilè colliguntur (I) *Qvia sancti vita functi sunt*: Ergò *non existunt:* sicut è contra dicuntur existere, qvi vita fruuntur. ℞. (1) aliud est loqvi de *vita reliqvorum viventium*, aliud est loqvi de *vita hominum*: vita *reliqvorum viventium* morte finitur, & ad *non-existentiam* deducitur, sed cum *vita hominum* res aliter se habet, cum homines ad immortalitatem creati sint *S p. II. 23.* vel ad imaginem DEI, cujus vita certe non finitur, cum anima rationali, qvæ vere dicitur immortalis. (2) *Sancti vita functi* sunt *externa*, non *æterna*, *terrestra*, non *cœlesti*, *mundana*, non *ultramundana*, *physica*, non *hyperphysica*.

6. (II) *Qvia dissoluto corpore ab anima, corpus in nihilum redigitur.* ℞. (1) à *dissolutione* ad *annihilationem* non licet argumentari, cum dissolutio plerisq; corporibus naturalibus, cumprimis omnibus nostris conveniat, aut convenire possit, qvæ tamen natura durante non annihilantur, sed dissolutione facta commu-

inter ad aliorum corporum formationem ordinantur. (2) *Dist.* inter *sententiam vulgatam* & *accuratum*: juxta *vulgi sententiam* homo qvidem ratione corporis in nihilum redigitur, sed *accurate loqvendo*, minime ferendum id est, cum *annihilatio* sit non *natura*, sed *divina potentia*. (3) *dist.* inter *nihilum absolutum* & *comparatum:* corpus in nihilum redigitur *comparatè*, h.e. non manet tale copus, sed propterea non statim in nihilum absolutè redigitur.

7. (III) *Qvia tantum animæ sanctorum post mortem restant, & ipsi non sunt amplius*, certe ergo corpus ipsorum annihilatum. ℞. (1) qvod tantum *animæ* sanctorum restent, *exclusive* nuspiam in Sacris literis dicitur, frustra proinde nobis à *Socinianis* objicitur. (2) Et *animæ sanctorum* restant, & *corpora sanctorum*, qvia DEus custodit omnia sanctorum ossa Psal. XXXIV. 3. adeoq; nec ratione *corporis* sunt *omninò nihil*, non sunt ratione hujus *mundi*, sed verè sunt & manent ratione *futuri mundi*, non sunt in *conspectu nostri*, sed vere sunt & manent *respectu DEI*, non sunt ratione *sui*, sed vere sunt in *custodia DEI*, non sunt *secundum naturam*, sed sunt *supra naturam* &c:

8. (IV) *Qvia animas sanctorum post mortem restare credimus, redit enim spiritus hominis, teste sacra scriptura, ad DEum, qvi eum dedit: sed de corpore nihil testatur scriptura, qvod superstit, Ergo nec illud credendam* ℞. (1) *Et animas sanctorum ad DEum* & *corpora sanctorum in pulverem redire*, scriptura testatur *Eccles.* XII. 7. *Gen. III. 19.* utrumq; proinde credimus: jam autem aliud est *in pulverem redire*, aliud *in nihilum abire*, qvę maximè sunt diversa. (2) jam ante notatum, qvod DEus omnia sanctorum ossa custodiat *Psal. XXXIV. 8.* & qvod illi suis in sepulchris, tanqvam in *cubilibus suis*, ut passim scriptura testatur, vel etiam *in pulvere terræ* suo modo dormiant *Dan.* XII. 2. adeoq; tali modo revera supersint, non in *sua substantia*, sed in *DEI potentia*, non ratione *visibilis conversationis*, sed ratione *mysticæ conditionis*.

9. (V) *Qvia nec animam istam, vel spiritum hominis post mortem aliqvid sentire, vel aliqva re perfrui, scriptura testatur, nec ratio permittit: ut enim corpus sine anima, sic etiam anima sine corpore nullas operationes exercere potest, cum sit pars tantum hominis:*

multa

multo minus corpus superesse dicetur. ℞. (1) *Anima sensus expers* non est anima, sicut ex ipsa *physica* notum. (2) qvod anima in *sinu Abrahæ* refocillatione, vel consolatione fruatur, ipse testatur *Abrahamum Luc.* XVI. *25.* ut alia nunc omittamus. (3) *Dist.* inter *operationes physicas* & *humanas*, & inter *operationes pnevmaticas*, vel *spirituales*: anima non præstat amplius *operationes physicas*, cum tamen verè sit, & spiritus naturam non amittat, ideo tanqvam purus actus etiam sibi convenientes operationes exercere dicitur.

10. (VI) *Qvia fidelibus iterum corpora promittuntur in futuro seculo, ideo dici potest, sanctos nullo modo ratione corporis existere.* ℞. (1) *Nulla conseqventia* qvicqvid fidelibus *promittitur* in futuro seculo, illud *non est*: nam à *promissione* non licet ad *non existentiam*, vel ad *annihilationem* argumentari. (2) *Dist.* inter *corpora sanctorum in unione*, vel *extra unionem*: promittitur fidelibus corporum restitutio qvoad *unionem*, non autem inde licet inferre, qvod planè *non sint*: (2) Corpora non sunt ante resurrectionem in fidelibus, sunt tamen in suis partibus, qvarum respectu qvoad DEum non omnino *nihil* esse dicuntur

11. (VII) *Qvia corpora non eadem resurrectura sunt in die judicii, sed alia longe perfectiora, cum Paulus ipse ita diserte doceat, ut vix aliud disertius, dum de modo resurrectionis, vel in qvali corpore mortui resurrecturi sint, disputans, ait, hominem resurrecturum (ut alia omittam) incorruptibilem & corpus spirituale, vel spiritum vivificantem. Incorruptibile enim & spirituale, vel spiritum esse, toto genere à corpore nostro, qvod nunc habemus, differunt.* Ergo priora corpora fuerunt annihilata: qvia secus unius hominis duo corpora *forent*. ℞. (1) Qvòd *eadem corpora* resurrectura sint, non tantum *Jobus c.* XIX. *25.* Sed & scriptura passim clarissime docet & alibi fuit à nobis demonstratum. Et *Paulus* l. cit. *I. Cor.* XV. *53.* luculenter idem affirmat, dum pro nomen δεικτικὸν & *individuale* τῦτο, *Hoc*, bis usurpat: τὸ φθαρτὸν τῦτο, NB. *Hoc corruptibile induet incorruptibilitatem*: καὶ τὸ θνητὸν τῦτο, & *Hoc ipsum, qvod mortale nunc corpus est, induet immortale.* Sic vers. 42. de *subjecto uno* & *eodem* loqvitur Apostolus: *Seminatur*, nim. hoc idem corpus *in corruptibilitate, & resurget in incorruptibilitate, semina-*

minatur corpus animale & resurget corpus spirituale &c: Ex qvibus apertum, qvod Apostolus non loqvatur de *corporis essentia*, sed qvoad *excellentiam differentia*. (2) Hinc *dist.* inter *corpora qvoad essentiam*, & qvoad *perfectionem alia*: *alia* longe perfectiora resurgent, sed à *perfectionis distinctione* non licet ad *essentia negationem*, vel *diversitatem* argumentari. (3) Ipse *Smalzius* testatur, qvod *Paulus* de *resurrectionis modo*, vel *de qvalitate corporum diversa* loqvatur, sed à *diversa qvalitate* non licet ad *diversã qvidditatem* inferre: *diversã qvalitatẽ corporum* credimus, & secundũ *Paulum* asserim⁹, sed *diversam qvidditatẽ Socinianis* concedere nec possum⁹, nec debemus. (4) Hinc *verba secundum substratam materiam intelligenda* sunt & *τὸ incorruptibile*, vel etiã *spirituale* non *qvidditatem*, sed *qvalitatem* respiciunt, adeoq; *singularem eminentiam* inferunt.

12. (IIX) *Qvia idem Apostolus ait I. Cor. XV 50. Carnem & sangvinem (ex qvibus corpora nostra sunt conflata) non posse hæreditare regnum DEI.* ℞. (1) Voces *Carnis* & *sangvinis* in scriptura non tantum *physice* sumuntur, qvatenus naturam nostram ingrediuntur, & de jure partes hominis esse dicuntur, sed etiam *metonymice*, qvatenus *mystice* supponuntur, ab originali malo corrumpuntur, & nunc post lapsum in homine *de facto* reperiuntur, & sic causæ carnalium *affectuum* & *actuum*, hoc est, peccatorum esse deprehenduntur, *qvia qvicqvid de carne natum est, caro est Joh. III. 6.* dum *caro concupiscit semper adversus Spiritum Gal. V. 17.* & *prudentia carnis inimicitia est adversus DEum Rom. IIX. 7.* Confer. *Joh. I. 11.* & passim alia loca. Hoc sensu *caro* & *sangvis* DEI regnum hæreditare non possunt. Hinc (2) *Dist.* inter *essentialem carnis statum*, & inter *corruptum ejus affectum*: de *hoc*, non de *illo Paulus* loqvitur, unde statim addit, *neq; corruptio possidebit incorruptelam.*

13. (IX) *Qvia Paulus idem ait, absorptum in corpus hoc ab immortalitate.* ℞. (1) posito, qvod hic *Paulus* dicat, verba tamen secundum substratam materiam, & juxta contextum intelligenda veniunt: cum igitur in omnibus reliqvis agat *Paulus* de *qvalitate corporum glorificatorum*, malè verba hæc de *qvidditate* contra textum intelligerentur. (2) *Pauli* verba sic habent *v. 53. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*-

litatem, cum autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qvi scriptus est: Absorpta mors est in victoria; hoc igitur *corruptibile* induet *corruptionem*, non per *transubstantiationem*, neq; per *annihilationem* ipsius corporis, sed per veram *glorificationem*, vel *exaltationem. Glorificatio* verò non est *annihilatio:* talis autem *glorificatio* revera corruptibili corpori continget.

14. (X) *Qvia Paulus alibi, nimirum I. Cor. VI.13. ait: DEum ut cibos, sic & ventrem abolit urum: abolito autem ventre, nonne necesse est vel ipsum corpus aboleri, vel sine ventre corpus fingere, qvod longe absurdissimum.* ℞. (1) cum *Venerando Dn. D. Calovio, venter* destruendus dicitur non per *annihilationem*, sed per *corruptionem.* (2) Apostolus loqvitur de *ventre & escis* respectu *præsentis* potius, qvam *futuri seculi. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis. DEus autem & hunc, & has destruet.* Non igitur vel *escis*, vel *ventri* serviendum, vel serviendum esse docet. (3) non ibi sermo de *ventre* ratione *substantiæ*, sed ratione *usus* & *indigentiæ*, qva is destinatus est cibis, iisdemqve opus habet in hac mortali vita. Sed hoc nihil facit ad adstruendam corporis humani per mortem annihilationem.

15. (XI) *Qvia contrarium hujus sententiæ prorsus est judaicum & Machometanum. Hi enim, ut post hanc vitam voluptates corporales fingunt, sic non mirum est, eos corpora etiam, qvalia nunc habemus, imaginari futura esse, cujus rei Christianos pudere debet.* ℞. (1) aliud est loqvi de *corporibus, qvalia nunc habemus*, aliud de *iis, qvæ nunc habemus:* dum illud *Judæi* cum *Machometanis* statuunt, nobis minime consentiunt, qvi corporum saltem *identitatem*, non qvoad *similem qvalitatem* urgemus. (2) *Corporum identitas* non est *humanæ imaginationis*, sed *divinæ revelationis & traditionis*, ut ex præcedentibus liqvet. (3) Nos cum *Paulo* somnium *Judaico-Turcicum*, & phantasiam *Socinianam* de sententia nostra, qvoad corporales voluptates, refutamus *I. Cor. XV. 40. seqq.*

16. (XII) *Qvia resurgere nihil aliud est, qvam ex non existente iterum existere.* ℞. (1) *resurgere* nihil aliud est, qvam *iterum resurgere:* hoc autem *relativum* qvid est, jam omnis *relatio* non est *abso-*

lute Non-Entis, sed *alicujus entis est relatio*, cum necessario suum respiciat subjectum. (2) *Resurgere*, vel *resurrectio* qvandam *actionem* importat, adeoq; *certum subjectum*, vel *agens* postulat, *non entis* autem nulla vel operatio, vel resurrectio. (3) Scriptura τὸ *resurgere* per *evigilare, expergiscere, è sepulchris prodire &c:* exponit, qvæ certe simpliciter non possunt esse *non existentis*. (4) *Dist.* inter *non existentiam*, vel etiam *existentiam absolutam* & *comparatam*: *comparate* mortui non existunt, & existere rursus incipiunt, sed absolute non existentia cum *Socinianis* ipsis non est affingenda.

17. (XIII) Urgent illa *scripturæ dicta*, in qvibus de *mortuis* dicitur, *qvod non sint Psal. XXXIX.14. Ier. XXXI.15. c. XLIX.10. Thren. V.7. Matt. II.18.* ℞. (1) in nonnullis istis locis potius de *vivis*, qvam *mortuis* hominibus sermo, sicut ex contextu prolixè demonstrari posset: *Sociniani* verò non tam absurdi sunt, ut *hominem vivum annihilatum*, vel *nihilum* esse, statuere velint: nam *hominis vita*, vel *ipse homo*, *comparatè* loqvendo, juxta phraseologiam Spiritus Sancti, modo dicitur *nihilum*, modo *somnus*, modo *umbra*, modo *fabula*, modo *fumus* &c: qvemadmodum notissima sunt testimonia sacrarum literarum. (2) ea dicta non loqvuntur de *corpore solo*, sed potius *de homine toto*, adeoq; sunt intelligenda ratione *totius compositi* qvod esse desinit per mortem, non verò ratione *partium seorsim consideratarum*, vel etiam ratione tantum *alterutrius partis*, videlicet *corporis humani*, de qvo nobis hic sermo. (3) juxta *Dn. D. Calovium* d. l. porrò sunt accipienda talia loca, *secundum qvid*, qvod scilicet non sint amplius in *regione hac viventium, in his terris*, qvod non sint *inter homines*, *in Ecclesia militante*, ubi DEum cum aliis celebrare, pœnitentiam agere, vel suis solatio esse possint, prout locorum inspectio ducit, non verò *absolutè*, qvod scilicet *nullatenus existant*, aut qvod corpora eorum *in nihilum* redigantur: qvandoqvidem etiam de Enocho dicitur *Gen. V. 24. Et non ipse, qvia tulit eum DEus*, cujus tamen corpus in nihilum redactum non dicent adversarii. Uno verbo, *non esse* dicuntur *ex sententia vulgi*, non *ex sententia Spiritus Sancti*, ratione *nostri*, non ratione *sui*, ratione *externa commorationis*, non ratione *divinæ conservationis*, ratione *visibilis conversationis*, non ratione *totalis destructionis*, ratione *mundanæ vitæ*, non ratione *divinæ custodiæ &c.*

18. (XIV)

18. (XIV) Urgent etiam, qvod *resurrectio* juxta scripturam assimiletur *generationi*. ℞. (1) *resurrectio* non tam *generatio*, qvam *regeneratio* dicitur *Matt. XIX. 28.* cum multis respectibus *regeneratio* dici qveat, qvos in præsenti nolumus adducere: sed dicitur *regeneratio*, non qvod sit *corporis novi productio*, vel *antea prorsus annihilati nova restitutio*, vel *omnimoda corporis è nihilo creatio*, contrariū etenim *Iobus* disertis verbis *c. XIX. 25.* testatur, sed *totius naturæ nostræ supernaturalis restauratio*, per qvam peccatum, & mors penitus aboleutur, & vera vita in Electis inchoatur. (2) Notum est, qvod nec *regeneratio*, nec *generatio* simpliciter *ex nihilo* fiat: nam *regeneratio subjectum* antea *genitum* præsupponit, cum *non Entis* nulla sit regeneratio. Confer. *Ioh. III. 5. 6. generatio physica* qvoq; non simpliciter *ex nihilo*, vel *in nihilo* fieri dicitur, cum *ex nihilo*, secundum regulam physicam, *nihil fiat, ex nihilo nihil generetur*, ex hac igitur ratione sententia *Socinianorum* potius refutatur, qvam confirmatur. (3) aliud est, *corruptio, generationi* opposita, cum *generatio* & *corruptio* sibi mutuo contradistingvantur & opponantur, & corporibus naturalibus convenire dicantur, aliud *annihilatio*, qvæ opponitur *creationi*, vel *è nihilo productioni*, nullumq; locum in universa natura, vel physica, communiter invenire dicitur.

19. (XV) Urgent etiam, qvod *resurrectio creatio* dicatur. ℞. (1) nostra *regeneratio*, vel *renovatio* dicitur etiā, juxta scripturā, *creatio*, ut patet ex *Psal. LI. 12. Cor mundum in me crea DEus*, & *Ephes. II. 8. creati sumus in Christo JEsu ad bona opera*, hæc tamen *regeneratio*, vel *renovatio* neutiqvam dicitur *Non-Entis*, sed *veri* tantum *Entis*: ergo neutiqvam talis inde colligenda venit *annihilatio*. (2) *Resurrectio* mortuorum dicitur *creatio in tantum*, non *in totum*, *materialiter*, non *formaliter*, ratione *causæ*, non ratione *propriæ naturæ* &c.

QVÆSTIO SECUNDA.

Utrum corpora nostra, quæ hic gerimus, eadem qvantum ad substantiam resurrectura sint, nec ne?

1. Circa *qvæstionis statum* unum vel alterum præmittere libet, ut eo rectius ipsum qvæsitum intelligatur, & mens adversariorum percipiatur. Non igitur in qvæstione (1) *Annon Sociniani*

de Resurrectione mortuorum, & eam se credere profiteantur? nam talia testimonia passim obvia sunt, & totum Symbolum Apostolicum, qvoad verba, *Sociniani* recipiunt, adeoqve resurrectionem carnis non omnimodè rejiciunt. Hinc *Ostorodus* disertis verbis fatetur, & contra suos adversarios protestatur, se credere corporum resurrectionem, & tamen horum corporum resurrectionem credere nec vult, nec potest, prout ipse scribit *instit. cap. XLI. p. 395.* Ob wir wol nicht glauben die Aufferstehung des Fleisches / so man die verstehet / wie die Wort lauten / so glauben wir doch festiglich die Aufferstehung unser Leiber / und derhalben auch die Aufferstehung der Todten.

2. (2) *Annon aliqvam diversitatem corpora resurgentia sint habitura?* Nos enim omnino statuimus multiplicem corporum futurorum & præsentium differentiam, prout alibi notavimus, & passim observare licet: nec ignorant hanc nostram sententiam *Sociniani*, prout scribit *Volkel. l. 3. de V. R. c. 35. Operæ precium erit expendere, utrum eadem futura sit corporum nostrorum à resurrectione substantia, qvæ nunc est, an diversa? Pleriq; in ea sunt sententia, ut humanorum corporum substantia permanente, qvalitates esse tantum mutandas existiment.*

3. (3) *Annon Sociniani statuant, qvod resurrecturi vera corpora sint habituri?* Nam idem *Volkel. d. l. p. 136. Similiter ex eo, qvod Paulus eodem loco utitur similitudine corporum cælestium & terrestrium, qvæ materia & substantia longe à se invicem distant, colligitur, corpora hæc nostra à futuris, materia & substantia longe distare. Hoc multo rectius concluderetur, qvam illud* (nimirum de identitate corporum) *cum ita discrepent corpora hæc nostra à futuris, ut terrestria à cœlestibus.*

4. (4) Sed qværitur, *An corpora nostra, qvæ nunc circumferimus, qvoad substantiam eadem resurrectura sint?* Hoc est, qvod nos credimus & profitemur, & qvod *Sociniani* credere nolunt. *Corpora hæc*, scribit *Smalz.* Exam. 100. Err. p. 36. *qvæ nunc circumferimus, resurrectura non credimus.*

5. Nostram sententiam multis Venerandus *Dn. D. Calov. in Socinism. proflig. l. d. artic. 2. controv. 1.* confirmatam dedit (1) *E Jobæa professione c. XIX. 26.* (a) *de statione in pulverem.* (b) *de Circumdatione pellis*

pelle nostra. (c) *de* DEI *in hac carne visione.* (2) *Ex Ezechielis visione c.* XXXVII. *1. seqq.* (3) *Ex Esaiæ prædictione c.* XXVI. *19. 20.* (4) *E Davidica assertione Psal.* XXXIV. *21.* (5) *E Danielis oraculo c.* XII. *2.* (6) *à Christi attestatione Johan. V. 28. 29.* (7) *E dicto Apostolico Rom.* IIX. *11.* (8) *E loco classico I. Cor. IV. 42.* (9) *E loco Paulino II. Cor. V. 10.* (10) *E corporum nostrorum transfiguratione Phil.* III. *21.* (11) *Ex Visione Johannea Apoc. XX. 13.* (12) *Ex Apostolica professione, videl. in Symbolo, ubi Christianorum Ecclesia Resurrectionem carnis confitetur.* (13) *E mortuorum resurrectione.* (14) *E justitiæ retributione.* (15) *A Christi resurrectione.* (16) *à novissimi diei denominatione, qvia vocatur tempus* ἀποκαταστάσεως πάντων *Act. III. 21.* (17) *à redemtione Christi.* (18) *à nostra sanctificatione, qvia corpora nostra sunt membra Christi I. Cor. VI 15. Templa Spiritus Sancti I. Cor. III. 16.* (19) *à nostra conservatione I. Thess. V. 23.* (20) *ab Ecclesiæ unanimi consensu.* (21) *à sententiæ adversariorũ futilitate ac mutua contradictione,* qvæ omnia argumenta prolixius ibidem exposita sunt.

6. Ipse *Dn. D. Calovius* etiam d. l. ad nonnulla respondet argumenta *Socinianorum*, qvando nobis objiciunt (I) *Ex I. Cor. VI. 13.* dictum de *ventre abolendo.* ℞. (1) ad h. l. jam superius est responsum, hic saltem monemus, qvod venter in loco *Paulino* non ad naturam, sed ad usum, & potius ad abusum, qvam ad verum usum referatur, sicut ex intentione dicentis, verbis & aliis circumstantiis textus, apparet; hinc ut notat *Dn. D. Calovius* nonnulli distingvunt inter *corpus* & *ventrem*, & *per ventrem* cum *Chrysostomo gulam* intelligunt, qvæ ad *edacitatem* invitat, qvæ explicatio *phraseologiæ Paulinæ* convenit, qvando dicitur *Phil. III. 19.* qvorum DEus venter est. Imò *Paulus* ipse distingvere videtur inter *corpus* & *ventrem*, sicut verba diserte monstrant, & *ventris destructionem*, *corporis conservationem* introducit, inqviens: *Esca ventri, & venter escis: DEus autem & hunc, & has destruet: Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori: DEus vero & Dominum suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam.* Et notanter addit: *Nescitis, qvoniam corpora vestra membra sunt Christi.* Plura vid. d. l.

7. (II) *Ex I. Cor. XV. 51. Caro & sangvis non hæreditabunt regnum DEI.* ℞. (1) ad hunc etiam locum superius nonnulla responsa dedimus: qvod verò homines, & qvidem in corporibus, iisq; veris & propriis, resurrecturi sint, multis documentis *Apostolus* l. d. de-

monstravit. Et ad hoc argumentum prolixe varia respondit *Dn. D. Calovius* d. l. nunc saltem illud urgemus, qvod statim *vers. seq. Paulus* subjungat: *non omnes qvidem obdormiemus, omnes tamen immutabimur.* Qvod utiq; de *corpore*, non autem de *anima* intelligendum est, cum *anima* nec *dormiat*, nec *mutationem* recipiat, siqvidem *spiritus* est, & vere *immutabilis.*

8. Nos adducimus præterea *Smalzium* contr. *Franz. p. 407. Ubi verò primum scriptum est*, inqvit, *corpora nostra ex pulveribus excitata & resuscitata prodituræ? Eqvidem me tale qvid legisse non memini: Franzius vero locum nullum adscripsit. Incertum igitur, omnino censendum est. Deinde si scriptum id alicubi esset, vel simile qvid, sobrius aliqvis sensus adhibendus esset, cum certum sit, nos habitationem nostram, qvæ ex cælo (est) expectare, teste Apostolo, II. Cor. V. 2. qvemadmodum etiam Christus Dominus, novissimus Adam, vel secundus homo de cælo (est) vel nunc corpus suum habet, non tantum qvoad qvalitates, sed & qvoad ipsam naturam.*

9. His in verbis negat *Smalzius corporum* eorundem *resuscitationem* (I) *qvia nuspiam scriptum extat, corpora nostra ex pulveribus excitata & resuscitata proditura: nam ipse tale qvid non legit, nec Franzius locum ullum adscripsit: ac proinde censendum incertum.* ℞. (1) *censetur* aliqvid *incertum* vel *æqvo*, vel *iniqvo censore*, vel *de jure*, vel *de facto*, vel *ex se*, vel *ex hominum opinione*: *Smalzius* omnino *censor iniqvus*, dum contra scripturam, & fidei Catholicæ constantem analogiam, ac ipsam fidem Ecclesiæ catholicam corporum resuscitationem vel facit coram aliis, vel apud se statuit incertam. (2) Si *loca scripturæ* desiderat, allegata superius evolvat, & *ex Job. XIX. 25. 26. Dan. XII. 2. Ezech. XXXIII. 1. Joh. V. 28. I. Cor. XV.* & multis aliis certitudinem hujus sententiæ, nisi sciens ac volens errare voluerit, cognoscere poterit. Et certe dum è terræ pulvere mortui dicuntur evigilaturi, è sepulchris prodituri &c: non qvoad animam, sed qvoad corpora, secundum qvæ mortui sunt in terræ pulvere, vel in sepulchris, hæc intelligenda veniunt. (3) Qvod *Smalzius* ista vel non legit, vel se legisse meminit, vel intelligere non novit, illud veritati divinæ nullum parit præjudicium. (4) Ut de omnibus & singulis thesibus, cumprimis in disputationibus, & qvidem Elencticis, ubi propositum hoc autoribus sedet, ut adversario-

fariorum ſententiam exponant, rejiciant, & ipſorum argumenta diſſolvant, ſcripturæ dicta citentur, illud omnino neceſſarium non eſt, cum *diſt.* ſit inter *tractationem Didacticam* & *Elenchticam*, dicta ſcripturæ citare, ex iis doctrinam aliqvam demonſtrare, *Didacticæ tractationis*, non *Elenchticæ*, potiſſimum officium eſt. (5) Qvod autem *Franzius* h. l. potius *Elenctica* tractarit, qvam *Didactica*, patet ex ipſis verbis. Sic enim *th.75.* Cæterum hoc in loco iterum attingemus illam qvoq; *Photinianorum* hodiernorum diſputationem, qvam cernere licet apud *Oſtor. in inſt. Germ. c.41.* Contendunt enim Chriſtum ab eo tempore, qvo DEus ipſum fecit, ut loqvuntur, Dominum & Regem, corpus habere cœpiſſe ſpirituale & cœleſte, & per conſeqvens, non amplius carnem & ſangvinem, ſicut habuerat ante exaltationem, & talia corpora etiam habituros eſſe electos in altera vita. Probationis gratia cumulat aliqvot dicta ſacra *Joh.3. 6. 1.Cor. 15. 50. Phil.3. 23. & c. 40. fol. 376.* carpit verſionem noſtram Germanicam, qvod verklären per verwandeln græcam voculam tranſtulerit. Verum non eſt operæ precium immorari in hac diſputatione conficienda, ſiqvidem qvid μετασχηματίζειν ad *Phil. 3. 21.* item qvomodo caro & ſangvis regnum DEI poſſidere non poſſint *1.Cor.15.50.* illud ipſum in eodem capite ad Corinthios fuſiſſimè declaratur. Caro n. & ſangvis, h. e. humana natura illa eſt transfiguranda, vel reformanda, vel clarificanda, qvæ nunc eſt corruptioni obnoxia, ignominioſa, infirma, tantummodo animalis, & eſt ita clarificanda, ſicut ibidem habet gloſſa Paulina, ut fiat incorrupta, glorioſa, potens, ſpiritualis. Ulterius igitur non patimur carnis & ſangvinis clarificationem à Photinianis extendi, qvia non poſſunt verbo aliqvo DEI manifeſto ulteriorem aliqvam tranſmutationem confirmare. Interim libenter fatemur, tantam futuram carnis noſtræ glorificationem, qvantam in hac vita ſomniare non poſſumus, idq; propter immenſam potentiam Domini DEI noſtri.

10. (II) *Qvia ſi ſcriptum id alicubi eſſet, vel ſimile qvid, ſobrius ſenſus aliqvis adhibendus eſſet.* ℞ (1) in rebus fidei *certitudo*, non ejusmodi *hæſitatio* locum invenire debet. *Theologia ſceptica*, vel *pyrrhonica*, qvalis eſt *Socinianorum*, & cum ipſis *Smalzii*, proximus ad *atheiſmum* gradus eſt. (2) per *ſobrium ſenſum*, citra dubium, *Socinianorum*

ſenſum

ſenſum intelligit, qvi non *ſobrius*, ſed *ebrius* eſt, & nihil *ſobriæ Theologiæ* retinet. (3) *praxis Socinianorum*, non eſt ignota, qvod in ſummis fidei myſteriis, qvoad maxime perſpicua loca, *commenta figurarum* potius aſſumenda, qvam *ſimplicem verborum ſenſum* retinendum ſtatuant, ſicut ipſe *Smalzius* de *myſterio incarnationis* hanc fert cenſuram *hom. IIX. in c. I. Iohan. pag. 89. Credimus, etiamſi non ſemel atq; iterum, ſed ſatis crebro & apertiſſime ſcriptum extaret, DEum eſſe hominem factum, multo ſatius eſſe, qvia hæc res ſit abſurda, & ſanæ rationi plane contraria, & in DEum blaſphema, MODUM aliqvem DICENDI COMMINISCI, qvo iſta de DEO dici poſſint, qvam iſta SIMPLICITER, ut verba ſonant, intelligere. Socinus de myſterio ſatisfactionis* æqve Socinianam fert cenſuram *part. 3. de Servat. Chriſto c. 6. Ego qvidem, etiamſi non ſemel, ſed SOEPE id in monumentis ſacris ſcriptum extaret, Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe, non idcirco tamen jam prorſus ita ſe habere crederem, ut vos opinamini. Ea, qvæ fieri non poſſe aperte conſtat, divinis etiam oraculis, ea facta eſſe, in ſpecie atteſtantibus neqvaqvam admittenda eſſe, & idcirco ſacra verba, in ALIUM SENSUM, qvam ipſa ſonant, per INUSITATOS etiam TROPOS qvandoq; explicanda eſſe.* Similia paſſim apud *Socinianos* reperiuntur; & ſic nihil in Theologia tam certum, nihil in ſcriptura tam perſpicuum, qvod per inuſitatos & uſitatos Socinianorum tropos detorqveri non poſſit. Egregia certe fides & egregia Theologia, ſi *commenta humana figurarum* magis fiant, qvam *oracula divina ſcripturarum.*

11. (III) *Qvia certum eſt, nos habitationem noſtram, qvæ ex cœlo eſt, expectare II. Cor. V. 2.* ℞. (1) Apoſtolus hic diſertis verbis opponit *terreſtrem* & *cœleſtem corporis conditionem*, de *illa* dicit, qvod ſit *terreſtris domus hujus tabernaculi*, de *hac* vero pronunciat, qvod ſit *ædificatio ex DEO, domus non manufacta, ſed æterna in cœlis, habitatio*, qvæ *eſt de cœlo*: aliud autem eſt loqvi de *conditione*, aliud de *conſtitutione corporũ*. (2) *part.* ἐξ, qvando dicitur *habitatio* ἐξ ȣρανȣ͂, non accipitur *materialiter*, ſed *originaliter*, ut patet ex *v. 1.* ubi dicitur *ædificatio* ἐκ θεȣ͂.

12. (V) *Qvia Chriſtus Dominus, noviſſimus Adam, vel ſecundus homo, de cœlo eſt, vel nunc corpus ſuum habet, non tantum qvoad qvalitates, ſed & qvoad ipſam naturã.* ℞. (1) Chriſtus *verum corpus* habuit, ſpiritus non fuit poſt reſurrectionẽ *Luc. XXIV. 39.* (2) Dicitur Chriſtus nõ *corpus de Cælo*, ſed *Dominus de cœlo*, qvæ maxime ſunt diſtincta. (3) Si Chriſtus *corpus SUUM* habet *qvoad ſubſtantiam*, ſeqvitur, qvod non habeat *aliud corpus qvoad ſubſtantiam.*

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex ARTICULO XIIX.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE

LIBERO ARBITRIO.

DISP. XIIX. R. M. SAMUEL LADIVER, Solnâ-Hungarus.

QVÆSTIO PRIMA.

Utrum liberum arbitrium ante lapsum fuerit pars imaginis divinæ?

1.

CUm in *statu controversiæ* recte constituendo, vel cognoscendo, prima disputantium cura resideat, & principium omnis Elenchicæ tractationis hæreat, ideò non incommodum hic erit, unum vel alterum in hac etiam qvæstione circa *formationem statu* præmittere. Non igitur qværitur (1) *An liberum arbitrium sit ipsa imago DEI?* licet enim ad imaginem DEI liberum arbitrium referatur, tamen cum eadem non exæqvatur, cum imaginis divinæ naturam liberum arbitrium non exhauriat, & per se simpliciter bonis & malis competat, qvod certè de imagine divina affirmari nec debet, nec potest, adeoq; nòs ipsi neutiqvam asserimus, qvod *liberum arbitrium* ipsa sit *imago DEI*.

2. (2) Nec qværitur de *imagine divina sensu Sociniano*, qvia, juxta sententiam eorum, vel *in ratione*, vel in *dominio* consistit *imago DEI*, secundum qvam homo fuit ab initio conditus, prout inqvit *Smaltz. contr. Schopper. p. 9.* qvod *imago DEI consistat vel in ratione, vel in imperio, vel in utroq; simul. Socin.* in prælect. c. III. p. 9. *DEI imaginem, ad qvam conditus est homo, ne in ipsa qvidem mente ac ratione consistere, scribit, sed in dominio rerum omnium, præsertim inferiorum:* nam dominium est pars imaginis, non ipsa imago DEI.

3. (3) Nec qværitur de eo, *num liberum arbitrium principalissima sit pars imaginis divinæ?* nam certum est, qvod liberum arbitrium in creatura rationali præsupponat *voluntatem*, à qva nimi-

tum omnis libertas *formaliter* pendet, cum absq; voluntate *libertas* nulla detur: qvod item voluntas præsupponat *intellectum*, qvem ipsum liberum arbitrium etiam *radicaliter* respicit: qva ratione tum *intellectus sapientia*, tum *voluntatis excellentia* potiorem, qvam *liberum arbitrium*, qvoad *imaginem divinam*, habebit respectum. Unde *B. Gerhard. disput. Isag. XXI. th. 4.* scribit: Qvod si ἁπλῶς & *absolutè*, prout est in *categoria qvalitatis, imago DEI* consideratur, definienda est per *excellentem qvandam cum DEO archetypo conformitatem, omnium facultatum & virium tum animæ, tum corporis integritatem* complectentem. *Conformitas* illa duplex fuit, una *principalis* & *primaria*, altera *minus principalis & secundaria*. *Primaria* ac *principalis conformitas* sita fuit in *anima*, & qvidem partim in *intellectu*, partim in *appetitu*. In *intellectu* erat *perfecta DEI, divinæ voluntatis ac divinorum mysteriorum notitia, conjuncta cum exacta rerum creatarum scientia*, qva in parte homo conformis fuit *divinæ sapientiæ*. *Appetitus* duplex est, *rationalis* & *sensitivus*. In *appetitu rationali*, seu *voluntate*, erat tum *naturalis ad bonum propensio*, tum *boni illius libera & expedita executio*. Ratione *illius DEI sanctitatem*, ratione *hujus* DEI LIBERTATEM homo repræsentabat. In *appetitu sensitivo* erat *conformitas cupiditatum & affectuum cum recta ratione*, qvibus *DEI* αὐτάρκεια, *castitas, puritas, & integritas* repræsentabatur &c.

4. (4) Nec qværitur de *statu corruptionis, an liberum arbitrium sit perexiguum, an prorsus nullum, & revera per peccatum originis amissum?* nam *illud* negamus, *hoc* affirmamus, in utroqve contranitentibus *Socinianis*, qvi *prius* affirmant, *posterius* negant. *Prius* patet ex *Smalz.* contr. *Franz.* p. 370. *Neq; nos id affirmamus, eam esse virium humanæ naturæ conditionem, ut possit omnia peccata malitiosa &c. cavere: imò si vires humanæ considerentur per se, credimus, PEREXIGUUM futurum studium innocentiæ in hominibus, præsertim ad Christi Evangelium conformatæ. Sed est divinum auxilium, idq; tum externum, nempe promissa DEI, & eorum confirmationes, qvod omnibus offertur, qvibus Evangelium annunciatur; tum internum, nempe Spiritus Sancti donum, qvi omnibus datur, qvicunq; Evangelium recipiunt, & eidem obedire conantur, qvo si homo juvetur, ecqvis est, qvi affirmare audeat, non posse hominem DEO ita obedire, ut nullius peccati, præsertim gravis & enormis habi-*

habitum contrahat, quæ ista obedientia est, in qua DEus acquiescit, & quæ fidei nostræ forma est. *Posterius* verò *Socino* dicitur *Evangelicorum commentum*, ut habet in lib. suasorio p. 58. *Malis istis effectibus* (scil. peccati originis) *quos Pontificii excogitarunt, addiderunt Evangelici amissionem liberi arbitrii, qui ingens est error: non quia jactura ista peccato illi adscribatur, sed quia vel inducit, vel pro concesso ponit jacturam istam, & humanum genus universum libero arbitrio privat.* Verum res ex scripturis certa, nec hoc loco de *statu corruptionis* nobis est sermo.

5. (5) Nec quæritur, *An per liberum arbitrium in nobis imago DEI restaurari possit?* nam omnem ejusmodi restaurationem *Sociniani* negant, dum ipsam imaginis divinæ privationem, vel amissionem inficiantur, sicut scribit *Smalz.* contra *Franz.* p. 155. *Evangelium de reparatione generis humani figmentum est hominum otiosorum:* & p. 52. *Sed nisi probetur, eam* (imaginem divinam) *amissam esse, nullus ejusdem restitutioni locus esse potest.* Confer. p. 53. & 54. Neqve nos asserimus, per liberum arbitrium ullam in nobis imaginis divinæ restaurationem vel dari, vel dari posse, cum in statu corruptionis etiam corruptum sit liberum arbitrium.

6. (6) Sed qværitur, *Num ante lapsum liberum arbitrium aliqua pars imaginis divinæ fuerit?* Et hoc est, qvod affirmamus, *Socinianis* contradicentibus. Nam *Socinus* in Epistol. ad *Eliam Arcissevium* p 414. scribit: *Liberam voluntatem hominis esse DEI imaginem, ad qvam conditus fuit, nullo modo defendi potest: alia enim prorsus est libertas humanæ voluntatis à libertate divinæ voluntatis. Eatenus enim voluntas humana libera est, qvatenus potest velle & benefacere & malè. DEus autem non potest velle male qvicqvam facere, sed idcirco voluntatis summam libertatem dicitur habere, qvia qvicqvid vult, non modo liberrimo vult, id est, à nulla, præter seipsum, alia causa ad id volendum qvicqvam prorsus cogitur, sed etiam qvo minus id faciat, nulla ratione impediri potest, id qvod neutiqvam homini est datum.* Ubi notandum, *Socinum* non orthodoxo sensu liberum arbitrium totam imaginem divinam esse negare, de qvo *th. 1.* aliqvid notavimus, sed libertatem penitus à partibus, vel gradibus imaginis divinæ suis verbis & hypothesibus excludere.

7. Probare videtur autem suam sententiam (I) *qvia liberam*

voluntatem hominis esse DEI imaginem, ad qvam conditus fuit, nullo modo defendi potest: alia enim prorsus est libertas humanæ voluntatis a libertate divinæ voluntatis. ℞. (1) *Nulla conseqventia,* si libertas hominis est alia prorsus à libertate divina, seqvitur, qvod libertas hominis non sit vel ipsa imago DEI, vel pars imaginis divinæ: nam aliud est loqvi de imagine divina *archetypa*, qvæ est in DEO, & aliud de *ectypa*, qvæ concreata dicitur homini: *illa* DEus ipse, *hæc* qvidam effectus DEI: *illa* DEO essentialis, *hæc* accidentalis homini. (2) sicut *sapientia hominis* prorsus alia à *sapientia DEI*, qvod notissimum, & tamen sapientia hominis fuit pars imaginis divinæ, sic etiam, idem de *libertate* valet. (3) sunt scopæ dissolutæ, qvia divina libertas non essentiam, vel materiam nostræ libertatis, sed potius causam ejus infert, & sic potius *externum principium*, qvam *internum* aliqvod *membrum* imaginis divinæ dicitur.

8. (II) *Qvia eatenus voluntas humana libera est, qvatenus potest velle & benefacere & male.* ℞. (1) τὸ *velle bonum* & *malum*, vel sumitur in *statu simultaneo*, vel *succesfivo*: falsum est, qvod in statu integritatis homo *simul* bonum & malum voluerit, licet successu temporis voluntate sua malum etiam admiserit, vel etiam commiserit. (2) *Velle malum* vel sumitur *formaliter*, vel *eventualiter*; falsum est, qvod sub integritatis statu homo *formaliter* voluerit malum, cum *malum velle* non sit *integritatis*, sed *pravitatis*, non *perfectionis*, sed *imperfectionis*, licet *eventualiter* malum extrinsecus ad voluntatem accesserit. Hinc (3) *velle malum* vel accipitur *directè*, & juxta *principium voluntatis formale, vel internum*, vel *indirectè*, juxta *principium voluntatis causale* seu *externum*. non *priori*, sed *posteriori* respectu malum homo voluit. (4) *Dist.* inter *posse benevelle & male*, & *actu bene velle & male*: ab illo non licet ad hoc argumentari, cum *à posse ad esse non valeat conseqventia.*

9. (III) *Qvia DEus non potest velle male qvicqvam facere, sed idcirco voluntatis summam libertatem dicitur habere, qvia qvicqvid vult, non modo liberrime vult, id est, nulla præter seipsum alia causa ad id volendum qvicqvam prorsus cogitur, sed etiam, qvo minus id faciat, nulla ratione impediri potest: id qvod homini neutiqvam est datum.* ℞. (1) *Dist.* inter *imaginem DEI essentialem* & *acci-*

accidentalem; *illa* totalem, *hac* aliqvalem convenientiam infert, *illa* notat omnimodam adæqvationem, *hac* aliqvalem assimilationem. (2) non tam de *imagine divina immediata*, qvam *mediata*, hic sermo, male proinde *Socinus illa* negata, *hanc* etiam homini denegare conatur. (3) *Dist.* inter *DEI voluntatem absolutam* & *ordinatam*: in respectu ad hominem non tam *illam*, de qva *Socinus* verba facit, qvam *hanc*, attendere debemus.

QVÆSTIO SECUNDA.

An liberum arbitrium per hominis primi peccatum sit corruptum?

1. Circa *Statum controversiæ* non infructuosum erit, unum vel alterum præmittere, qvo nostra mens eum rectius percipere, pleniusqve perspicere qveat. Non igitur est in qvæstione (1) *Num homo libertate præditus à DEO creatus sit?* Licet enim *Sociniani* dubie satis de *homine primo* loqvantur, nec certi qvid de *Statu primi hominis* definire videantur, qvemadmodum ex prolixo tractatu *Socin. de statu primi hominis* liqvet, eũq; magis ἀδιάφορον, qvam vere bonum, aut malum, aut vere liberum asserant, qvemadmodum alibi notavimus, tamen hoc loco de creatione, vel concreatione libertatis nobis sermo non est.

2. (2) *Num in homine liberum arbitrium reperiatur*? Nam hominem libertate præditum esse, *tum* ipsa natura hominis, *tum* anima rationalis, *tum* experientia universalis, *tum* operatio moralis, & alia qvam plurima confirmant, unde *Sociniani* neutiqvam verã in homine libertatem audent negare. Hinc in Summario hujus articuli qvod *Smalz. ad artic. XIX. Aug. conf. Franz. p 416.* præmittit, hoc primo loco notatur, Arbitrium in homine liberum esse. Sic enim ille scribit: *Qvod ad ipsum hunc articulum attinet de libero arbitrio, is à nostris explicatus est non uno in loco. Summa est. Arbitrium in homine liberum est. Nam eo ante lapsum præditus fuit. & id per lapsum non amisit, id est, voluntas præstandi DEI voluntatem in hominibus naturaliter inest plerumq;. Vires autem valde sunt exigua, ad præstandum eam, non ob primi parentis peccatum, aut corruptionem propter illud in nos transfusam, sed ob depravationem hominum voluntariam. Porro vires hominis tantas esse credimus, si sibi ipsi vim facere velit, legi di-*

vina parere possit. Auxilium autem DEI duplex est: unum exterius, nempe promissiones & mina, additæ legi divinæ. Alterum interius, cum scilicet DEus vel hominum mentes illustrat ad rectè intelligendam suam voluntatem, vel cum promissa sua in animis obsignat sibi obedientium. Ad qvæ hactenus á nemine qvicqvam directè responsum est, nec qvicqvam responderi posse ad ea refutanda persvasissimum nobis est. At hæc vana *Smalzio* persvasio.

3. (3) *Num ante lapsum homo libertatem habuerit?* certum enim est, qvod *DEus ab initio constituerit hominem, & reliqverit illum in manu consilii sui*, vel libertate sua *Sirac.XV.14.* & ex multis aliis id apertissimum est, unde nec à *Socinianis* illud negare potest, qvemadmodum th. præc. Smalzius id afferebat, qvod arbitrio libero homo ante lapsum præditus fuerit. Conf. th. 5. licet *Socin, in Prælect. Theol. c. 5* p. 14 hæsitanter loqvatur: *Ex iis, qvæ supra disputata sunt, satis constare potest, in homine liberum arbitrium esse, SI MODO ID VERUM EST, qvod omnes concedunt, & ipsa ratio manifestè docet, in primo homine ante lapsum liberum arbitrium fuisse.*

4. (4) *Num liberum arbitrium prorsus ita sit annihilatum, ut omni modo sit destructum, nec qvicqvam libertatis in homine post lapsum remanserit?* Hoc eqvidem verum est, qvod liberum arbitrium in homine qvoad spiritualia sit prorsus mortuum & nullum *I.Cor.II. 14. II. Cor.III.* cumprimis, qvia totus homo dicitur in peccatis mortuus *Eph. II.1.* Sed propterea neutiqvam vel qvoad ipsam facultatem naturaliter penitus exstirpatum, qvia post lapsum etiam homo manet creatura DEI rationalis, voluntate non tantum, sed etiam libertate prædita; vel qvoad activitatem aliqvalem, qvâ ratione dicitur aliqvam in externis habere libertatem, licet enim propter corruptum suum statum corruptam etiam habeat libertatem, qvo respectu *captivatum, vulneratum, semimortuum, ligatum* &c: arbitrium appellatur, tamen propterea liberum arbitrium non est prorsus annihilatum in *naturalibus, moralibus, civilibus, œconomicis*, vel aliis *externis objectis*, sicut ipsa testatur *Augustana Confessio* h.l. *De libero Arbitrio docent, qvod humana voluntas habeat aliqvam libertatem ad efficieindam civilem ju-*

stitiam

& diligendas res rationi subjectas. Unde qvæstio nostra loqvitur non de *plenaria destructione* seu *annihilatione*, sed de *vera corruptione.*

5. Qværitur igitur (5) *Num liberum hominis arbitrium per hominis primi peccatum sit corruptum?* Nos *affirmativam* tuemur sententiam, *Socinianis negativam* defendentibus. Sic nim. *Catech. Racov.* c.10.p.250. *Lapsus Adæ cum unus actus fuerit, vim eam, qvæ depravare ipsam naturam Adami posset, habere non potuit & p.249. Certum est, primum hominem ita à DEO conditum fuisse, ut libero arbitrio præditus esset; nec verò ulla causa subest, cur DEus post ejus lapsum illum eo privaret.*

6. *Socinus* in *prælect. Theol.* cap.V. p.14. pro heterodoxa illa sententia militat: *Ex iis*, scribit, *qvæ supra disputata sunt, satis constare potest, in homine liberum arbitrium* (videlicet integrum, non corruptum) *esse, si modo id verum est, qvod omnes concedunt, & ratio ipsa manifeste docet, in primo homine ante lapsum liberum arbitrium fuisse* (I) *Qvia nulla causa est, cur propter lapsum eo privari debuerit.* ℞. (1) Negatio non est probatio. (2) per *lapsum* homo non tantum *passivè* libero arbitrio privatus est, sed etiam *activè* semetipsum per apostasian abominabilem hoc ipso privavit, dum in mortem spiritualem incidit, & meram confusionem ac imperfectionem in naturam suam introduxit, perfectionem & integritatem perdidit. (3) sicut in politicis *apostasia, rebellio, rerum publicarum transgressio*, & similia sufficiunt instar causarum, ut homines bonis & privilegiis priventur, ita pariter in Ecclesia, vel etiam paradiso gravissima peccata causæ satis ad pœnam omnem, & bonorum paradisi privationem dederunt.

7. (II) *Qvia nec rei ipsius natura id postulat, ut homo propter lapsum arbitrio libero privetur.* ℞. (1) iterum mera est negatio, negare verò non sufficit. (2) sive respiciamus *naturam arbitrii liberi concreati*, sive *naturam hominis*, talem privationem utraqve postulat. Nam liberum arbitrium concreatum erat bonum, privilegium vel feudum ex creatione concessum, & ad peculiarem obligationem relatum, ut nimirum homo, tanqvam fidelis vasallus in obedientia perpetua maneret, neqve DEI legem manifestam viola-

violaret: nam qvocunq; die contra DEI creatoris interdictum de vetito fructu manducaturus erat, morte mori debebat *Gen. II. 17.* jam *liberum arbitrium* erat *pars imaginis divinæ,* qvæ tanqvam *oppositum mortis* cum *ipsa morte* per naturam consistere non poterit, cum duo contraria simul & semel in uno subjecto non reperiantur, adeoq; mortis per lapsum invasio nihil aliud fuit, qvam imaginis divinæ, vel ipsius arbitrii liberi destructio vel exclusio: reqvirebat illam etiam judicialem privationem *natura*, seu *veritas DEI*, qvia DEus ipsa veritas, adeoq; statim post lapsum homo candidatus mortis & libertate privatus manebat, nec aliud ipsa *hominis natura* postulat, vel demonstrat: homo namqve per lapsum corruptus est, & peccatum originis ipsum totum occupavit, adeoq; liberum arbitrium destruxit. Nam corruptus homo *corruptam naturam*, *corruptas facultates*, & conseqventer *corruptum*, vel *non perfectum*, *nec integrum liberum arbitrium* possidet, cum nulla *proprietas*, vel *affectio* nobilior esse posit suo subjecto.

8. (III) *Qvia nec DEI justitia patitur id, ut homo propter lapsum arbitrio libero privetur.* ℞. (1) Simile & hoc argumentum, nihil probat, tantummodo negat, & qvidem pro autoritate, Socinianorum autem autoritas apud orthodoxos nulla dicitur. (2) *justitia DEI* non tantum id patitur, sed etiam idem exigere dicitur. Nam ex *justitia DEI* qvi peccat, punitur, bonis privatur, pœnis castigatur. Jam *Adam* peccavit & *Eva*, qvia *Sociniani* lapsum hic manifestis verbis supponunt: ergo manifestum est, qvod *justitia DEI* postulaverit, ut bonis creationis privarentur, malis pœnam peccatores castigarentur. Bonum autem creationis fuit liberum arbitrium, qvod itidem Sociniani concedunt: hoc igitur ex *justitia DEI* protoplasti privati sunt.

9. (IV) *Qvia neq; de pœna ista inter ea, qvæ pœnæ loco DEus lapsui illi constituit, ulla prorsus fit mentio, ut Genes. cap. III. legenti perspicuum esse potest.* ℞. (1) *Negatio* rursus non est *demonstratio.* (2) Totidem verbis ista non leguntur, Homo propter lapsum arbitrio libero privatus est, vel privari debuit, nec illud erat necessum, cum alia κτ̀ τ̀ ῥητὸν, alia κτ̀ τὴν διάνοιαν in sacris literis inveniantur, alia qvoad ipsa verba, sed alia tantum qvoad ipsam rem tradun-

duntur. (3) Tot *Gen. III.* amissi liberi arbitrii documenta reperiuntur, ut cæcus planè sit, qvi talia prorsus observare nolit. Nam liberum arbitrium concreatum directe non malum, sed bonum respicit; sed lapsus non applicationem libertatis ad bonum, verũ inclinationem ad malum includit, & defectionem à bono post se trahit, qvod *periculosa cum serpente collocutio*, *cupida vetiti fructus contemplatio*, *illicita fructus illius ad manducandum contrectatio*, *& prohibita manducatio*, *cum aliis* demonstrant. Porrò liberum arbitrium amissum in bono confirmant, *omnium affectuum & membrorum turpissima confusio*, *nuditatis probrosæ notatio*, *foliorum ficus usurpatio*, *metus servilis ergà DEum animadversio*, *turpis coram DEO fuga vel occultatio*, *peccati neqvam excusatio*, *& reliqvarum pœnarum denunciatio*.

10. (V) *Qvia concedimus, in plerisq; hominibus non qvidem propter peccatum primi parentis, sed propterea, qvia homines paulatim degenerarunt, & seipsos corruperunt, innatam qvodammodo esse magnam ad peccandum proclivitatem, & pravitatem qvandam, idcirco dicimus, in plerisq; hominibus naturaliter exiguas esse vires ad ea præstanda, qvæ* DEI *lex jubet: ea autem præstandi voluntatem in omnibus natura esse posse, atq; adeo in plerisq; esse, nisi peccandi assvetudine factum sit, ut qvis ipso peccato atq; iniqvitate delectetur.* ℟. (1) non in plerisqve, sed in omnibus hominibus regnat *corruptio*, non tantum aliarum *facultatum*, sed etiam ipsius *libertatis arbitrii*, qvia ne qvidem unus bonus est, dum omnes ad malum declinaverunt *Psal. XIV. 2. 3.* (2) *Consvetudo mala* suam ex *mala natura* trahit originem, qvia *qvalis effectus*, *talis etiam causa*: & natura bona, qva talis est & manet, malam consvetudinem non admittit. (3) Si datur *innata qvædam*, & *magna* qvidem *in hominibus ad peccandum proclivitas*, qvod *Socinus* asserit, seqvitur, qvod etiam innatum detur liberum arbitrium corruptum: At verum *prius* ex *Socini* verbis: Ergo *posterius* etiam concedendum, & sic habemus, qvod volumus. (4) aliud est, *præstare ea*, *qvæ* DEI *lex jubet*, & aliud est, *præstare totam legem*, qvam distinctionem ostendit ipse *Paulus ad Rom. II. 15.* dum inter *facere* τὰ τȣ̃ νόμȣ, & τὸν νόμον *præstare*, distingvendum esse, manifestis indiciis ostendit. (5) à *posse* ad *esse* non valet conseqventia: *potest in natura* talis facultas esse, non tamen statim *est in natura*.

 (6) Diff.

(6) *Dist.* inter *esse in natura*, & *esse à natura*, vel *per naturam*: esse qvidem potest præstandi facultas *in natura*, sed non *à natura*, vel *per naturam*, aut *naturalem facultatem*: sed per DEI gratiam, vel benignitatem, cum sit *beneficii supernaturalis*, non *doni naturalis*, hodie post lapsum illa legalis obedientia. (7) *Dist.* inter *præstandi voluntatem* & *facultatem*: *præstandi voluntatem* in natura saltem *esse posse*, Socinus affirmat: jam autem à *velle* ad *posse*, vel etiam *facere*, nulla conseqventia datur.

QVÆSTIO TERTIA.

Num ad sui conversionem homo se merè passivè habeat?

1. Circa pleniorem sensum hujus qvæstionis notandum, qvod non agatur hic de *homine*, vel qvoad *statum integritatis*, vel qvoad *statum reparationis*, vel qvoad *statum glorificationis*; siqvidem in *illo* habuit homo liberum arbitrium concreatum, in *isto* per DEI gratiam inchoatum possidet, in *hoc* consummatum habebit: sed agitur de homine qvoad *statum corruptionis*, cum is conversione vera propter peccatum opus habeat.

2. Qvod attinet terminum *conversionis*, non hic sermo de *conversione œconomica ministrorum*, cum in illa minister Ecclesiæ se non passivè, sed activè habeat, siqvidem illi sunt *ministri Christi*, vel *œconomi mysteriorum divinorum I. Cor. IV. 1.* & συνεργοὶ Θεοῦ, per qvos homines credunt, vel fidem veram efficaciter suscipiunt c. III. nec agitur de *conversione secunda*, vel etiam *continuata*, qvæ dicitur *Christianorum*, cum certum sit, qvod Christiani, seu fideles, *qvotidiana*, vel etiam *momentanea* pœnitentia opus habeant, siqvidem contra legem DEI peccatis vel commissionis, vel omissionis indesinenter delinqvunt, ut ita vita Christianorum sit perpetua vel continua pœnitentia: sed ad hanc pœnitentiam homines fideles ex gratia Spiritus Sancti se non mere passive habent, verum juxta virtutem communicatam operantur: sed de *conversione prima* non renatorum, qvatenus homo corruptus primum à regno Satanæ ad regnum DEI, vel à corruptione ad conversionem transfertur.

3. (3)

3. (3) *Merè passivè* se habere non accciptur *sensu physico*, qvasi homo prorsus sit non agens, ita ut nullas ipsi physicas actiones tribuere liceat, dum convertitur: nam ut homo conversus, est homo naturalibus agendi viribus præditus, sic etiam ante conversionem verum est agens naturale, suasq; naturales habet operationes, easqve neutiqvam in conversione vel deponit, vel amittit, sed ut verus homo manet, sic etiam verè humanas vel naturales operationes possidet: nec *sensu enthusiastico*, qvasi *stipitis*, vel *trunci*, vel *lapidis* instar nihil prorsus videre, nihil audire, nihil sentire, nihil cogitare, sed absolutam operationem internam, in ecstasi qvasi constitutus, expectare debeat. *Non ignoramus*, inqvit, *Form. Concord. solid. declar. p. 668. & Enthusiastas & Epicuræos, pia hac de impotentia & malitia naturalis liberi arbitrii doctrina* (*qva conversio & regeneratio soli DEO, neqvaqvam autem nostris viribus tribuitur*) *impiè, turpiter & maligne abuti. Et multi impii illorum sermonibus offensi atq; depravati, dissoluti & feri fiunt, atq; omnia pietatis exercitia, orationem, sacram lectionem, pias meditationes remisse tractant, aut prorsus negligunt: ac dicunt, qvandoqvidem propriis suis naturalibus viribus ad DEum sese convertere neqveant, perrecturos se in illa sua adversus DEum contumacia: aut expectaturos donec à DEO violenter, & contra suam ipsorum voluntatem convertantur. Et cum in hisce spiritualibus rebus nullam agendi facultatem habeant, sed totū illud conversionis negotium solius Spiritus S. operatio sit, negant, se porro verbum DEI vel audituros, vel lecturos, aut sacramento usuros: sed expectare velle, donec ipsis DEus immediate cælitus dona sua infundat, ut reverà in seipsis sentire, & experientia ipsa certiores fieri possint, se à DEO conversos esse.* Confer p. 672. seqq. ubi inter alia notatu digna verba leguntur: *Cum homo prophanus instrumenta, seu media Spiritus S. contemnit, neq; verbum DEI audire vult, non fit illi injuria, si à Spiritu S. non illuminetur, sed in tenebris infidelitatis suæ relinqvatur & pereat. De hac re sic scriptum extat: Qvoties volui congregare filios tuos, qvemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Et hac ratione rectè etiam dici potest, hominem non esse lapidem, aut truncum. Lapis enim, aut truncus non reluctatur ei, à qvo movetur; sed neq; intelligit, aut sentit, qvid secum agatur, sicut homo DEO sua voluntate reluctatur, donec ad Dominum conversus fuerit. Et tamen*

verum est, qvod homo, etiam ante conversionem sit creatura rationalis, qvæ intellectum & voluntatem habeat. Nec *sensu pædagogico*, cum certum sit, qvod homo suam non tantum in rebus mere naturalibus, sed etiam ad externum cultum divinum pertinentibus, libertatem in statu corruptionis retineat, qvod ex *Art. XIIX. Conf. August.* manifestum, ubi præter alia dictum *Augustini* citatur, & clarius de *religiosis actibus externis* in *Apolog. Confess. p. 218.* id explicatur: *Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, qvas ratio per se comprehendit. Potest aliqvo modo efficere justitiam civilem, seu justitiam operum,* potest loqvi de DEO, exhibere DEO certum cultum externo opere, *obedire magistratibus, parentibus, in opere externo eligendo, potest continere manus a cæde, ab adulterio, a furto.* Tales enim actus pædagogici passim in sacris hominibus gentilibus etiam tribuuntur: Sed qværitur de *sensu mystico, theologico, vel causaliter effectivo,* num homo, qvoad sui conversionem, in ipsa videl. *formali conversione,* se passive habeat? Et hoc est, qvod *affirmamus, Socinianis negativam* defendentibus.

4. Hac vice potissimum Schlichting in c. 6. Galat. p. 310. notabimus, qvi loco dicto seqventia profert & urget (I) *Qvia inepte ex hoc verbo Creationis colligunt qvidam, DEum, sicut in prima creatione solus fuit opifex hominis, minime συνεργῦ, sic etiam in hac nova creatione solum, non modo non concurrente, sed etiam tunc, cum DEus ipsum reformat, qvantum in se est, repugnante homine, illum refingere. Aliud enim est, hominem, qvi prorsus non fuerit, condere, aliud eum existentem, viventem, intelligentem & arbitrio præditum reformare: & qvidem reformare, non qvoad essentiam, sed qvoad voluntatis inclinationem & mores, id est, efficere, ut velit certam aliqvam doctrinam & religionem, ac vivendi rationem seqvi, eamq; porro reipsa seqvatur. Ad illud homo concurrere nullo modo potest, hoc sine hominis opera, & ad id concursu fieri nec debet, nec potest. Non debet, qvia alioqvin nullus esset virtuti locus, & omnis ratio religionis ac pietatis everteretur. Non potest, qvia necesse est, ut homo & velit, & faciat: at qvomodo homo aliqvid sine seipso potest & velle & facere.* R. (1) *Dist.* inter *similitudinem* & *identitatem*; qvando tale qvid colligunt, ex eo non *identitatem creationis* & *reformationis*, sed veram *similitudinem*, vel etiam *operandi*

randi solitudinem & *paritatem* inferunt & ostendunt. (2) *Dist.* inter *efficientem causam* & *materiam:* hic sermo nobis de *causa efficiente*, non *materiali*, nimirum, qværitur, non an homo tunc, qvando reformatur, *adsit*, sed an aliqvid in *reformatione posit*, non de *existentia*, sed de *efficientia*, soliciti sumus: nam aliud omnino est, *hominem non existentem primum fingere*, aliud verò *jam existentem refingere*. (3) *Dist.* inter *formalem causationis actum*, & inter *solitarium causationis statum:* non qværitur h. l. num aliud sit, *hominem non existentem ex nihilo formare*, sed aliud *eum existentem, viventem, intelligentia & arbitrio præditum, reformare?* qvo tendit *Schlichtingius*, cum secundum orthodoxos etiam verissime dicatur, aliam esse actionem ipsam *creationem*, aliam *novam recreationem*, cum illa sit *opus potentiæ*, hæc *gratiæ*, illa præsupponat *non hominem*, vel *nihilum*, hæc *corruptum hominem*, vel *hominem verum*, illa fiat *extra Christum*, ejusqve *meritum*, hæc *per Christum*, & *propter ejus meritum*, illa sit *omnibus creaturis communis*, hæc *soli homini propria &c:* sed qvæstio nobis cum *Socinianis* de *solitario causæ statu, num DEus ita causetur nostram reformationem, ut ipse solus causaliter concurrat, homo verò nihil prorsus in eadem operetur, sed merè passive se habeat?* (4) Confundit *Schlichtingius reformationem hominis totalem* cum *partiali:* nam *totaliter* accipitur, qvatenus *primæ formationi* simpliciter opponitur, & sic tam *regenerationem*, qvam *renovationem* complectitur: sed qvando *partialiter* accipitur, vel sumitur *à priori* ratione *principii*, sic *reformatio* dicitur ejus, qvi reformat, & *primum* vel *actum*, vel *jus*, vel *statum reformationis* confert, qva ratione potius dicitur esse *regenerationis*, qvam *renovationis*; vel sumitur *à posteriori* ratione *subjecti*, vel etiam *effecti*, qvatenus *reformatio* certo subjecto competere dicitur, vel in illud introducitur, illudq; vere reformatum deprehenditur; qvo pacto dicitur potius *renovationis*, qvam *regenerationis*. Hæc omnia neutiqvam inter se confundenda sunt. (5) Qvod *reformatio* sic explicatur, *eam non qvoad essentiam, sed qvoad voluntatis inclinationem & mores fieri*, & nihil aliud esse, qvam *efficere, ut velit certam aliqvam doctrinam & religionem ac vivendi rationem seqvi, eamq; porro reipsa seqvatur*, illud non pauca fovet incommoda, multaq; Socinianorum includit portenta, qvæ tamen hic anno-

notare nolumus. (6) Et si *hypotheses Socinianas*, itemqve *verba Schlichtingii* h.l. respicimus, potius de *morali*, qvam *spirituali* vel *reformatione*, vel *conversione* sermonem esse deprehendimus, cum tamen nobis de spirituali sermo sit: illa sine concursu hominis nec potest, nec debet fieri; sed ad hanc nihil ipse conferre potest; licet autem deberet, tamen præstare propter innatam corruptionem illud non valet.

5. (II) *Qvia ideo Scriptura sacra nos ipsos non semel hortatur ad id, ut novi homines & novæ creaturæ fiamus: at si ad istud nulla hominum opera interveniret, qvomodo hortari homines, ut id faciant, divinus spiritus posset?* ℞. (1) à *præcepto* non licet ad *posse* colligere, cumprimis qvoad statum corruptionis, in qvo multa nobis præcipiuntur, qvæ tamen nostræ potestatis nunc minime sunt, licet antea ratione status integritatis humanæ potestatis fuerint, aut simpliciter esse possint, aut ratione divini juris & legalis obligationis esse debeant. (2) nec ab *exhortatione* ad *obsecutionem*, vel *præstationem* argumentari fas est: cum multis sæpius exhortationibus excitentur ad bona perficienda, qvæ tamen nec perficiunt, nec perficere volunt. (3) Scriptura nos exhortatur, ut *novi homines*, vel *creaturæ novæ fiamus*, non *ex nobis*, sed *ex* DEO, non per *opus naturæ*, sed *gratiæ*, qvemadmodum mysterium hoc luculenter explicatur *Eph. II. 3. seqq. Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri: DEus autem, qvi dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qva dilexit nos, & cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo & conresuscitavit, & consedere fecit nos in cælestibus in Christo JEsu. Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI donum est, non ex operibus, ut ne qvis glorietur: Ipsius enim sumus* FACTURA, CREATI *in Christo JEsu ad opera bona; qvæ præparavit DEus, ut in illis ambulemus.*

6. (III) *Ex Eph. IV. 22. seqq.* ubi scribit Apostolus; *Vos deponite secundum pristinam conversationem veterem hominem, qvi corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qvi secundum DEum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, propter qvod deponentes mendacium, loqvimini veritatem unusqvisq; cum proximo suo, qvoniam sumus invicem membra, irascimini & nolite peccare &c.* ℞. (1) Apostolus loqvitur de *vocatis* &c.

tis & *jam renatis*, ficut patet *ex v. 1. feqq.* non autem de *non renatis*, vel *hominibus in ftatu correptionis adhuc confideratis*: locus igitur hic *ἀπροσδιονύσως* allegatur. (2) loqvitur de *hominibus*, qvia jam funt *membra myftica, juxta reformationem*, non qvi debent *fieri membra per reformationem*, ut patet ex ℣. 25. (3) Diftingvit ipfe *Paulus* inter *priftinam* & *præfentem converfationem*: vitia, qvæ recenfet, priftinæ converfationis ante reformationem fuerunt, præfentis converfationis poft reformationem effe non debent. (4) *Renovatio* tribuitur hominibus non *active*, qvafi diceret, *renovate*, fed *paffive*, qvia dicit, *renovamini*, fic igitur noftra confirmatur fententia, qvod homo ratione converfionis fe non *active*, fed *paffive* habeat.

7. (IV) Ex *Col. III. 8. 9. Nunc & deponite vos omnia: iram, indignationem, malitiam, turpem fermonem de ore veftro: nolite mentiri invicem, exfpoliantes vos veterem hominem cum actibus fuis, & induentes novum, eum, qvi renovatur in agnitionem DEI, fecundum imaginem ejus, qvi creavit eum.* ℞. (1) *locus hic* priori *parallelus* eft: eædem igitur refponfiones locum inveniunt. (2) difertis verbis iterum *Paulus* teftatur, qvod *renovatio noftra* refpectu *noftri* non fit *activa*, fed *paffiva*, qvia *novus homo RENOVATUR in agnitionem fecundum imaginem DEI.*

8. (V) *Qvia qvi contrarium ex verbo creandi, aut aliis fimilibus colligunt, figuratam ac metaphoricam vocum fignificationem cum propria hac in parte confundunt, nec intelligunt, fimilia hæc effe non eadem, hoc eft, non ejusdem generis fynonymi, fed aliqvo usq; tantum analogi. nec meminerunt, omnem fimilitudinem (fimilitudo autem contracta eft metaphora) claudicare, ut in fcholis loqvi folemus.* ℞. (1) *Figuratam locutionem Schlichtingius* h. l. magis *prætendit*, qvam *oftendit*; *prætenfio* vero non eft *oftenfio*. (2) *Similitudo* hic conceditur *in tantum*, non *in totum*, cum omnis fimilitudo vel *unum*, vel *plura tertia* refpicere foleat, *fimile* namq; *fuo modo fimile* nuncupatur, adeoq; maxime inter *fimilitudinem* & *identitatem* diftingvendum. Reliqva jam ex fuperioribus certa funt & expedita.

9. (VI) *Smalzius* etiam contr. *Franz.* p. 419. hæc *Franzii* verba re-

ba reprehendit, *hominem non renatum nihil posse in spiritualibus, nempe in interno assensu in verbum divinum, in conversione ad DEum, agnitione Christi & fide in illum*, & qvidem ea ratione; *qvia hoc eatenus tantum verum est, qvatenus homo non renatus de istis rebus non cogitare potest, nedum ea facere, qvamdiu a DEO non illustratur patefactione voluntate illius: qvamprimum autem divina accedit revelatio, tam ita homo, qvi antea erat non renatus, potest ista omnia facere, ut alia opera, qvæ ante istam revelationem faciebat, externa.*

10. Verum respondet (1) ipse *Franzius* in *Vindic.* contr. *Smalz.* ad h.l. qvod idem ipse notarit th. 22. *Etsi*, scribit, *τὸ Velle, tanqvam rationalis animæ qvædam facultas, restat in non renato, tamen τὸ Velle vera bona pertinentia ad æternam conseqvendam salutem, penitus interiit. Uno verbo: In hoc postremo Velle arbitrium hominis plane non est ullo modo liberum, sed secundum omnes partes servum, qvia homo ex suis viribus naturalibus non potest vel in mente concipere viam ducentem ad cælorum gaudia, vel in voluntate sese disponere ad demerendam illam, utpote qvam non intelligit, imò plane non concipit.* Sic th. 107. idem inculcat: *Qvemadmodum ante actum Conversionis, ita qvoq; in ipso actu regenerationis voluntas hominis pure pute passive sese habet, nec ut causa συνεργός, vel adjuvans Spiritui Sancto ex naturalibus suis viribus qvicqvam cooperatur, sed habet sese, ut subjectum convertendum, qvod non per se & ex se, sed per Spiritum Sanctum ex tenebris in lucem, è morte in vitam, ex inferno ad cælum traducitur.* (2) Si homo nihil cogitare potest, multo minus aliqvid in sui conversione cooperari poterit, adeoqve *mere passive* se habebit. (3) *Dist.* inter *tempus ante & post illuminationem*: homo qvamprimum illuminatur, accipit Spiritum conversionis vel regenerationis, adeoqve sic in statu vel actu regenerationis, non prorsus ut homo non renatus consideratur, cumprimis, qvia Spiritus Sancti gratia nescit tarda molimina. (4) Confundit igitur hominem *non renatum*, cum *renato*. *B. Franzius* loqvitur de homine prorsus *non renato*, *Smalzius* de *renato*, qva ratione sunt scopæ merè dissolutæ. Plura tum *Disput. de Lib. Arb.* super *August. Conf.* tum in *vindiciis contra Smalzium* d.l. *B. Franzius* annotavit.

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo XIX.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE

Disp. XX. R. MICH. AUGUSTINI, Sol-Hungarus.

CAUSA PECCATI.

QVÆSTIO PRIMA.
An, qvædam peccata DEO volente fieri, rectè dicatur?

I.

Circa qvæstionem ipsam in frontispicio qvædam delibare nec incommodum nobis, nec infructuosum lectoribus aliis erit, cumprimis qvia non postremam in doctrina de *Causa peccati* sedem qvæstio præsens occupat, & aliàs multum lucis affert tractationi, nec parum utilitatis lectoribus confert.

2. Non igitur qværitur (I) *An Sociniani directe Lutheranis in hoc articulo de Causa peccati contradicant, ita ut δὶς διὰ πασῶν dissideant?* Nam contrarium *Smalz.* contr. *Franz.* p.426. disertis verbis fatetur, qvod in *disputatione IX. de Causa peccati veritatis patrocinium Franzius susceperit.*

3. (II) *An Sociniani simpliciter in hac causa Calvinianorum errores suos faciant?* Nam fatentur etiam, hos errare, sicut *Smalzius* de *Franzio* l. d. pronunciat, qvod *adversus qvorundam* ERRORES, *non minus* PERNICIOSOS, *qvam* ABSURDOS, *veritatis patrocinium susceperit.* Jam autem *B. Franzius* potissimum contra *Calvinianorum* errores de *causa peccati* disputaverat.

4. (III) *Annon videri velint Sociniani, qvod nobiscum in hac religionis causa sentiant?* Nam idem etiam *Smalzius* d. l. profitetur, qvod ipsi nobis plane assentiantur: *In hac disputatione nona*, scribit, *qvia veritatis patrocinium suscepit Franzius, adversus qvorundam errores non minus perniciosos, qvam absurdos,* NOS EI PLANE ASSENTIMUR.

5. (IV) *Annon voluntas* DEI *suo modo peccata qvædam respiciat?* nam cum sine DEI voluntate nobis nil qvicqvam contingere

voluntatem hominis esse DEI imaginem, ad qvam conditus fuit, nullo modo defendi potest: alia enim prorsus est libertas humanæ voluntatis a libertate divinæ voluntatis. ℟. (1) *Nulla consequentia,* si libertas hominis est alia prorsus à libertate divina, seqvitur, qvod libertas hominis non sit vel ipsa imago DEI, vel pars imaginis divinæ: nam aliud est loqvi de imagine divina *archetypa,* qvæ est in DEO, & aliud de *ectypa,* qvæ concreata dicitur homini: *illa* DEus ipse, *hæc* qvidam effectus DEI: *illa* DEO essentialis, *hæc* accidentalis homini. (2) sicut *sapientia hominis* prorsus alia à *sapientia DEI,* qvod notissimum, & tamen sapientia hominis fuit pars imaginis divinæ, sic etiam, idem de *libertate* valet. (3) sunt scopæ dissolutæ, qvia divina libertas non essentiam, vel materiam nostræ libertatis, sed potius causam ejus infert, & sic potius *externum principium,* qvam *internum* aliqvod *membrum* imaginis divinæ dicitur.

8. (II) *Qvia eatenus voluntas humana libera est, qvatenus potest velle & benefacere & male.* ℟. (1) τὸ *velle bonum* & *malum,* vel sumitur in *statu simultaneo,* vel *successivo:* falsum est, qvod in statu integritatis homo *simul* bonum & malum voluerit, licet successu temporis voluntate sua malum etiam admiserit, vel etiam commiserit. (2) *Velle malum* vel sumitur *formaliter,* vel *eventualiter;* falsum est, qvod sub integritatis statu homo *formaliter* voluerit malum, cum *malum velle* non sit *integritatis,* sed *pravitatis,* non *perfectionis,* sed *imperfectionis,* licet *eventualiter* malum extrinsecus ad voluntatem accesserit. Hinc (3) *velle malum* vel accipitur *directè,* & juxta *principium voluntatis formale, vel internum,* vel *indirecte,* juxta *principium voluntatis causale* seu *externum.* non *priori,* sed *posteriori* respectu malum homo voluit. (4) *Dist.* inter *posse benevelle & male,* & *actu bene velle & male:* ab illo non licet ad hoc argumentari, cum *à posse ad esse non valeat consequentia.*

9. (III) *Qvia DEus non potest velle male qvicqvam facere, sed idcirco voluntatis summam libertatem dicitur habere, qvia qvicqvid vult, non modo liberrime vult, id est, nulla præter* seipsum *alia causa ad id volendum qvicqvam prorsus cogitur, sed etiam, qvo minus id faciat, nulla ratione impediri potest: id qvod homini neutiqvam est datum.* ℟. (1) *Dist.* inter *imaginem DEI essentialem* & *acci-*

accidentalem; *illa* totalem, *hac* aliqvalem convenientiam infert, *illa* notat omnimodam adæqvationem, *hac* aliqvalem assimilationem. (2) non tam de *imagine divina immediata*, qvam *mediata*, hic sermo, male proinde *Socinus illa* negata, *hanc* etiam homini denegare conatur. (3) *Dist.* inter *DEI voluntatem absolutam* & *ordinatam*: in respectu ad hominem non tam *illam*, de qva *Socinus* verba facit, qvam *hanc*, attendere debemus.

QVÆSTIO SECUNDA.

An liberum arbitrium per hominis primi peccatum sit corruptum?

1. Circa *Statum controversiæ* non infructuosum erit, unum vel alterum præmittere, qvo nostra mens eum rectius percipere, pleniusqve perspicere qveat. Non igitur est in qvæstione (1) *Num homo libertate præditus à DEO creatus sit?* Licet enim *Sociniani* dubie satis de *homine primo* loqvantur, nec certi qvid de *Statu primi hominis* definire videantur, qvemadmodum ex prolixo tractatu *Socin. de statu primi hominis* liqvet, eūq; magis *ἀδιάφορον*, qvam vere bonum, aut malum, aut vere liberum asserant, qvemadmodum alibi notavimus, tamen hoc loco de creatione, vel concreatione libertatis nobis sermo non est.

2. (2) *Num in homine liberum arbitrium reperiatur?* Nam hominem libertate præditum esse, *tum* ipsa natura hominis, *tum* anima rationalis, *tum* experientia universalis, *tum* operatio moralis, & alia qvam plurima confirmant, unde *Sociniani* neutiqvam verā in homine libertatem audent negare. Hinc in Summario hujus articuli qvod *Smalz. ad artic. XIX. Aug. conf. Franz. p 416.* præmittit, hoc primo loco notatur, Arbitrium in homine liberum esse. Sic enim ille scribit: *Qvod ad ipsum hunc articulum attinet de libero arbitrio, is à nostris explicatus est non uno in loco: Summa est. Arbitrium in homine liberum est. Nam eo ante lapsum præditus fuit, & id per lapsum non amisit, id est, voluntas præstandi DEI voluntatem in hominibus naturaliter inest plerumq;. Vires autem valde sunt exiguæ, ad præstandum eam, non ob primi parentis peccatum, aut corruptionem propter illud in nos transfusam, sed ob depravationem hominum voluntariam. Porro vires hominis tantas esse credimus, si sibi ipsi vim facere velit, legi di-*

vina parere possit. Auxilium autem DEI duplex est: unum exterius, nempe promissiones & mina, additæ legi divinæ. Alterum interius, cum scilicet DEus vel hominum mentes illustrat ad rectè intelligendam suam voluntatem, vel cum promissa sua in animis obsignat sibi obedientium. Ad qvæ hactenus á nemine qvicqvam directè responsum est, nec qvicqvam responderi posse ad ea refutanda persvasissimum nobis est. At hæc vana *Smalzio* persvasio.

3. (3) *Num ante lapsum homo libertatem habuerit?* certum enim est, qvod *DEus ab initio constituerit hominem, & reliqverit illum in manu consilii sui*, vel libertate sua *Sirac.XV.14.* & ex multis aliis id apertissimum est, unde nec à *Socinianis* illud negare potest, qvemadmodum th. præc. Smalzius id asserebat, qvod arbitrio libero homo ante lapsum præditus fuerit. Conf. th. 5. licet *Socin. in Prælect. Theol. c. 5* p. 14 hæsitanter loqvatur: *Ex iis, qvæ supra disputata sunt, satis constare potest, in homine liberum arbitrium esse, SI MODO ID VERUM EST, qvod omnes concedunt, & ipsa ratio manifestè docet, in primo homine ante lapsum liberum arbitrium fuisse.*

4. (4) *Num liberum arbitrium prorsus ita sit annihilatum, ut omni modo sit destructum, nec qvicqvam libertatis in homine post lapsum remanserit?* Hoc eqvidem verum est, qvod liberum arbitrium in homine qvoad spiritualia sit prorsus mortuum & nullum *I.Cor.II. 14. II. Cor.III.* cumprimis, qvia totus homo dicitur in peccatis mortuus *Eph. II.1.* Sed propterea neutiqvam vel qvoad ipsam facultatem naturaliter penitus exstirpatum, qvia post lapsum etiam homo manet creatura DEI rationalis, voluntate non tantum, sed etiam libertate prædita; vel qvoad activitatem aliqvalem, qvâ ratione dicitur aliqvam in externis habere libertatem, licet enim propter corruptum suum statum corruptam etiam habeat libertatem, qvo respectu *captivatum, vulneratum, semimortuum, ligatum* &c: arbitrium appellatur, tamen propterea liberum arbitrium non est prorsus annihilatum in *naturalibus, moralibus, civilibus, œconomicis*, vel aliis *externis objectis*, sicut ipsa testatur *Augustana Confessio* h.l. *De libero Arbitrio docent, qvod humana voluntas habeat aliqvam libertatem ad efficieindam civilem justitiam*

& diligendas res rationi subjectas. Unde qvæstio nostra loqvitur non de *plenaria destructione* seu *annihilatione*, sed de *vera corruptione.*

5. Qværitur igitur (5) *Num liberum hominis arbitrium per hominis primi peccatum sit corruptum?* Nos *affirmativam* tuemur sententiam, *Socinianis negativam* defendentibus. Sic nim. *Catech. Racov.* c.10.p.250. *Lapsus Adæ cum unus actus fuerit, vim eam, qvæ depravare ipsam naturam Adami posset, habere non potuit & p.249. Certum est, primum hominem ita à DEO conditum fuisse, ut libero arbitrio præditus esset; nec verò ulla causa subest, cur DEus post ejus lapsum illum eo privaret.*

6. *Socinus* in *prælect. Theol.* cap.V. p.14. pro heterodoxa illa sententia militat: *Ex iis*, scribit, *qvæ supra disputata sunt, satis constare potest, in homine liberum arbitrium* (videlicet integrum, non corruptum) *esse, si modo id verum est, qvod omnes concedunt, & ratio ipsa manifeste docet, in primo homine ante lapsum liberum arbitrium fuisse* (I) *Qvia nulla causa est, cur propter lapsum eo privari debuerit.* ℞. (1) Negatio non est probatio. (2) per *lapsum* homo non tantum *passivè* libero arbitrio privatus est, sed etiam *activè* semetipsum per apostasian abominabilem hoc ipso privavit, dum in mortem spiritualem incidit, & meram confusionem ac imperfectionem in naturam suam introduxit, perfectionem & integritatem perdidit. (3) sicut in politicis *apostasia, rebellio, rerum publicarum transgressio*, & similia sufficiunt instar causarum, ut homines bonis & privilegiis priventur, ita pariter in Ecclesia, vel etiam paradiso gravissima peccata causæ satis ad pœnam omnem, & bonorum paradisi privationem dederunt.

7. (II) *Qvia nec rei ipsius natura id postulat, ut homo propter lapsum arbitrio libero privetur.* ℞. (1) iterum mera est negatio, negare verò non sufficit. (2) sive respiciamus *naturam arbitrii liberi concreati*, sive *naturam hominis*, talem privationem utraqve postulat. Nam liberum arbitrium concreatum erat bonum, privilegium vel feudum ex creatione concessum, & ad peculiarem obligationem relatum, ut nimirum homo, tanqvam fidelis vasallus in obedientia perpetua maneret, neqve DEI legem manifestam viola-

violaret: nam qvocunq; die contra DEI creatoris interdictum de vetito fructu manducaturus erat, morte mori debebat *Gen. II. 17.* jam *liberum arbitrium* erat *pars imaginis divinæ*, qvæ tanqvam *oppositum mortis* cum *ipsa morte* per naturam consistere non poterit, cum duo contraria simul & semel in uno subjecto non reperiantur, adeoq; mortis per lapsum invasio nihil aliud fuit, qvam imaginis divinæ, vel ipsius arbitrii liberi destructio vel exclusio: reqvirebat illam etiam judicialem privationem *natura*, seu *veritas DEI*, qvia DEus ipsa veritas, adeoq; statim post lapsum homo candidatus mortis & libertate privatus manebat, nec aliud ipsa *hominis natura* postulat, vel demonstrat: homo namqve per lapsum corruptus est, & peccatum originis ipsum totum occupavit, adeoq; liberum arbitrium destruxit. Nam corruptus homo *corruptam naturam*, *corruptas facultates*, & conseqventer *corruptum*, vel *non perfectum*, *nec integrum liberum arbitrium* possidet, cum nulla *proprietas*, vel *affectio* nobilior esse posit suo subjecto.

8. (III) *Qvia nec DEI justitia patitur id, ut homo propter lapsum arbitrio libero privetur.* ℞. (1) Simile & hoc argumentum, nihil probat, tantummodo negat, & qvidem pro autoritate, Socinianorum autem autoritas apud orthodoxos nulla dicitur. (2) *justitia DEI* non tantum id patitur, sed etiam idem exigere dicitur. Nam ex *justitia DEI* qvi peccat, punitur, bonis privatur, pœnis castigatur. Jam *Adam* peccavit & *Eva*, qvia *Sociniani* lapsum hic manifestis verbis supponunt: ergo manifestum est, qvod *justitia DEI* postulaverit, ut bonis creationis privarentur, malis pœnam peccatores castigarentur. Bonum autem creationis fuit liberum arbitrium, qvod itidem Sociniani concedunt: hoc igitur ex *justitia DEI* protoplasti privati sunt.

9. (IV) *Qvia neq; de pœna ista inter ea, qvæ pœnæ loco DEus lapsui illi constituit, ulla prorsus fit mentio, ut Genes. cap. III. legenti perspicuum esse potest.* ℞. (1) *Negatio* rursus non est *demonstratio*. (2) Totidem verbis ista non leguntur, Homo propter lapsum arbitrio libero privatus est, vel privari debuit, nec illud erat necessum, cum alia κατὰ τὸ ῥητὸν, alia κατὰ τὴν διάνοιαν in sacris literis inveniantur, alia qvoad ipsa verba, sed alia tantum qvoad ipsam rem tradun-

duntur. (3) Tot *Gen. III.* amissi liberi arbitrii documenta reperiuntur, ut cæcus planè sit, qvi talia prorsus observare nolit. Nam liberum arbitrium concreatum directe non malum, sed bonum respicit; sed lapsus non applicationem libertatis ad bonum, verū inclinationem ad malum includit, & defectionem à bono post se trahit, qvod *periculosa cum serpente collocutio*, *cupida vetiti fructus contemplatio*, *illicita fructus illius ad manducandum contrectatio*, & *prohibita manducatio*, *cum aliis* demonstrant. Porrò liberum arbitrium amissum in bono confirmant, *omnium affectuum & membrorum turpissima confusio*, *nuditatis probrosæ notatio*, *foliorum ficus usurpatio*, *metus servilis ergà DEum animadversio*, *turpis coram DEO fuga vel occultatio*, *peccati neqvam excusatio*, & *reliqvarum pœnarum denunciatio*.

10. (V) *Qvia concedimus*, *in plerisq; hominibus non qvidem propter peccatum primi parentis, sed propterea, qvia homines paulatim degenerarunt, & seipsos corruperunt, innatam qvodammodo esse magnam ad peccandum proclivitatem, & pravitatem qvandam, idcirco dicimus, in plerisq; hominibus naturaliter exiguas esse vires ad ea præstanda, qvæ DEI lex jubet: ea autem præstandi voluntatem in omnibus natura esse posse, atq; adeo in plerisq; esse, nisi peccandi assvetudine factum sit, ut qvis ipso peccato atq; iniqvitate delectetur.* ℞. (1) non in plerisqve, sed in omnibus hominibus regnat *corruptio*, non tantum aliarum *facultatum*, sed etiam ipsius *libertatis arbitrii*, qvia ne qvidem unus bonus est, dum omnes ad malum declinavérunt *Psal. XIV. 2. 3.* (2) *Consvetudo mala* suam ex *mala natura* trahit originem, qvia *qvalis effectus*, *talis etiam causa*: & natura bona, qva talis est & manet, malam consvetudinem non admittit. (3) Si datur *innata qvædam*, & *magna* qvidem *in hominibus ad peccandum proclivitas*, qvod *Socinus* asserit, seqvitur, qvod etiam innatum detur liberum arbitrium corruptum: At verum *prius* ex *Socini* verbis: Ergo *posterius* etiam concedendum, & sic habemus, qvod volumus. (4) aliud est, *præstare ea, qvæ DEI lex jubet*, & aliud est, *præstare totam legem*, qvam distinctionem ostendit ipse *Paulus ad Rom. II. 15.* dum inter *facere* τὰ τȣ̃ νόμȣ, & τὸν νόμον *præstare*, distingvendum esse, manifestis indiciis ostendit. (5) à *posse* ad *esse* non valet conseqventia: *potest in natura* talis facultas esse, non tamen statim *est in natura*.

(6) *Dist.* inter *esse in natura*, & *esse à natura*, vel *per naturam*: esse qvidem potest præstandi facultas *in natura*, sed non *à natura*, vel *per naturam*, aut *naturalem facultatem*: sed per DEI gratiam, vel benignitatem, cum sit *beneficii supernaturalis*, non *doni naturalis*, hodie post lapsum illa legalis obedientia. (7) *Dist.* inter *præstandi voluntatem* & *facultatem*: *præstandi voluntatem* in natura saltem *esse posse*, Socinus affirmat: jam autem à *velle* ad *posse*, vel etiam *facere*, nulla conseqventia datur.

QVÆSTIO TERTIA.

Num ad sui conversionem homo se merè passivè habeat?

1. Circa pleniorem sensum hujus qvæstionis notandum, qvod non agatur hic de *homine*, vel qvoad *statum integritatis*, vel qvoad *statum reparationis*, vel qvoad *statum glorificationis*; siqvidem in *illo* habuit homo liberum arbitrium concreatum, in *isto* per DEI gratiam inchoatum possidet, in *hoc* consummatum habebit: sed agitur de homine qvoad *statum corruptionis*, cum is conversione vera propter peccatum opus habeat.

2. Qvod attinet terminum *conversionis*, non hic sermo de *conversione œconomica ministrorum*, cum in illa minister Ecclesiæ se non passivè, sed activè habeat, siqvidem illi sunt *ministri Christi*, vel *œconomi mysteriorum divinorum* I. Cor. IV. 1. & συνεργοὶ Θεοῦ, per qvos homines credunt, vel fidem veram efficaciter suscipiunt c. III. nec agitur de *conversione secunda*, vel etiam *continuata*, qvæ dicitur *Christianorum*, cum certum sit, qvod Christiani, seu fideles, *qvotidiana*, vel etiam *momentanea* pœnitentia opus habeant, siqvidem contra legem DEI peccatis vel commissionis, vel omissionis indesinenter delinqvunt, ut ita vita Christianorum sit perpetua vel continua pœnitentia: sed ad hanc pœnitentiam homines fideles ex gratia Spiritus Sancti se non mere passive habent, verum juxta virtutem communicatam operantur: sed de *conversione prima* non renatorum, qvatenus homo corruptus primum à regno Satanæ ad regnum DEI, vel à corruptione ad conversionem transfertur.

3. (3)

5. (3) *Merè passivè* se habere non accipitur *sensu physico*, qvasi homo prorsus sit non agens, ita ut nullas ipsi physicas actiones tribuere liceat, dum convertitur: nam ut homo conversus, est homo naturalibus agendi viribus præditus, sic etiam ante conversionem verum est agens naturale, suasq; naturales habet operationes, easqve neutiqvam in conversione vel deponit, vel amittit, sed ut verus homo manet, sic etiam verè humanas vel naturales operationes possidet: nec *sensu enthusiastico*, qvasi *stipitis*, vel *trunci*, vel *lapidis* instar nihil prorsus videre, nihil audire, nihil sentire, nihil cogitare, sed absolutam operationem internam, in ecstasi qvasi constitutus, expectare debeat. *Non ignoramus*, inqvit, *Form. Concord. solid. declar. p. 668. & Enthusiastas & Epicuraeos, pia hac de impotentia & malitia naturalis liberi arbitrii doctrina (qva conversio & regeneratio soli DEO, neqvaqvam autem nostris viribus tribuitur) impiè, turpiter & maligne abuti. Et multi impii illorum sermonibus offensi atq; depravati, dissoluti & feri fiunt, atq; omnia pietatis exercitia, orationem, sacram lectionem, pias meditationes remisse tractant, aut prorsus negligunt: ac dicunt, qvandoqvidem propriis suis naturalibus viribus ad DEum sese convertere neqveant, perrecturos se in illa sua adversus DEum contumacia: aut expectaturos donec à DEO violenter, & contra suam ipsorum voluntatem convertantur. Et cum in hisce spiritualibus rebus nullam agendi facultatem habeant, sed totū illud conversionis negotium solius Spiritus S. operatio sit, negant, se porro verbum DEI vel audituros, vel lecturos, aut sacramento usuros: sed expectare velle, donec ipsis DEus immediatè cœlitus dona sua infundat, ut reverà in seipsis sentire, & experientia ipsa certiores fieri possint, se à DEO conversos esse.* Confer p. 672. seqq. ubi inter alia notatu digna verba leguntur: *Cum homo prophanus instrumenta, seu media Spiritus S. contemnit, neq; verbum DEI audire vult, non fit illi injuria, si à Spiritu S. non illuminetur, sed in tenebris infidelitatis suæ relinqvatur & pereat. De hac re sic scriptum extat: Qvoties volui congregare filios tuos, qvemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Et hac ratione rectè etiam dici potest, hominem non esse lapidem, aut truncum. Lapis enim, aut truncus non reluctatur ei, à qvo movetur; sed neq; intelligit, aut sentit, qvid secum agatur, sicut homo DEO sua voluntate reluctatur, donec ad Dominum conversus fuerit. Et tamen*

verum est, qvod homo, etiam ante conversionem sit creatura rationalis, qvæ intellectum & voluntatem habeat. Nec *sensu pædagogico*, cum certum sit, qvod homo suam non tantum in rebus mere naturalibus, sed etiam ad externum cultum divinum pertinentibus, libertatem in statu corruptionis retineat, qvod ex *Art. XIIX. Conf. August.* manifestum, ubi præter alia dictum *Augustini* citatur, & clarius de *religiosis actibus externis* in *Apolog. Confess. p.218.* id explicatur: *Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, qvas ratio per se comprehendit. Potest aliqvo modo efficere justitiam civilem, seu justitiam operum*, potest loqvi de DEO, exhibere DEO certum cultum externo opere, *obedire magistratibus, parentibus, in opere externo eligendo, potest continere manus a cæde, ab adulterio, a furto.* Tales enim actus pædagogici passim in sacris hominibus gentilibus etiam tribuuntur: Sed qværitur de *sensu mystico, theologico, vel causaliter effectivo*, num homo, qvoad sui conversionem, in ipsa videl. *formali conversione*, se passive habeat? Et hoc est, qvod *affirmamus, Socinianis negativam* defendentibus.

4. Hac vice potissimum Schlichting. in c.6. Galat. p. 310. notabimus, qvi loco dicto seqventia profert & urget (I) *Qvia inepte ex hoc verbo Creationis colligunt qvidam, DEum, sicut in prima creatione solus fuit opifex hominis, minime συνεργῦ, sic etiam in hac nova creatione solum, non modo non concurrente, sed etiam tunc, cum DEus ipsum reformat, qvantum in se est, repugnante homine, illum refingere. Aliud enim est, hominem, qvi prorsus non fuerit, condere, aliud eum existentem, viventem, intelligentem & arbitrio præditum reformare: & qvidem reformare, non qvoad essentiam, sed qvoad voluntatis inclinationem & mores, id est, efficere, ut velit certam aliqvam doctrinam & religionem, ac vivendi rationem seqvi, eamq; porro reipsa seqvatur. Ad illud homo concurrere nullo modo potest, hoc sine hominis opera, & ad id concursu fieri nec debet, nec potest. Non debet, qvia alioqvin nullus esset virtuti locus, & omnis ratio religionis ac pietatis everteretur. Non potest, qvia necesse est, ut homo & velit, & faciat: at qvomodo homo aliqvid sine seipso potest & velle & facere.* R. (1) *Dist.* inter *similitudinem* & *identitatem*; qvando tale qvid colligunt, ex eo non *identitatem creationis* & *reformationis*, sed veram *similitudinem*, vel etiam *operandi*

gandi solitudinem & *paritatem* inferunt & ostendunt. (2) *Dist.* inter *efficientem causam* & *materiam:* hic sermo nobis de *causa efficiente*, non *materiali*, nimirum, qværitur, non an homo tunc, qvando reformatur, *adsit*, sed an aliqvid in *reformatione possit*, non de *existentia*, sed de *efficientia*, soliciti sumus: nam aliud omnino est, *hominem non existentem primum fingere*, aliud verò *jam existentem refingere*. (3) *Dist.* inter *formalem causationis actum*, & inter *solitarium causationis statum:* non qværitur h. l. num aliud sit, *hominem non existentem ex nihilo formare*, sed aliud *eum existentem, viventem, intelligentia & arbitrio præditum, reformare?* qvo tendit *Schlichtingius*, cum secundum orthodoxos etiam verissime dicatur, aliam esse actionem ipsam *creationem*, aliam *novam recreationem*, cum illa sit *opus potentiæ*, hæc *gratiæ*, illa præsupponat *non hominem*, vel *nihilum*, hæc *corruptum hominem*, vel *hominem verum*, illa fiat *extra Christum*, ejusqve *meritum*, hæc *per Christum*, & *propter ejus meritum*, illa sit *omnibus creaturis communis*, hæc *soli homini propria &c:* sed qvæstio nobis cum *Socinianis* de *solitario causæ statu, num DEus ita causetur nostram reformationem, ut ipse solus causaliter concurrat, homo verò nihil prorsus in eadem operetur, sed merè passive se habeat?* (4) Confundit *Schlichtingius reformationem hominis totalem* cum *partiali:* nam *totaliter* accipitur, qvatenus *primæ formationi* simpliciter opponitur, & sic tam *regenerationem*, qvam *renovationem* complectitur: sed qvando *partialiter* accipitur, vel sumitur *à priori* ratione *principii*, sic *reformatio* dicitur ejus, qvi reformat, & *primum* vel *actum*, vel *jus*, vel *statum reformationis* confert, qva ratione potius dicitur esse *regenerationis*, qvam *renovationis*; vel sumitur *à posteriori* ratione *subjecti*, vel etiam *effecti*, qvatenus *reformatio* certo subjecto competere dicitur, vel in illud introducitur, illudq; vere reformatum deprehenditur; qvo pacto dicitur potius *renovationis*, qvam *regenerationis*. Hæc omnia neutiqvam inter se confundenda sunt. (5) Qvod *reformatio* sic explicatur, *eam non qvoad essentiam, sed qvoad voluntatis inclinationem & mores fieri*, & nihil aliud esse, qvam *efficere, ut velit certam aliqvam doctrinam & religionem ac vivendi rationem seqvi, eamq; porro reipsa seqvatur*, illud non pauca fovet incommoda, multaq; Socinianorum includit portenta, qvæ tamen hic an-

notare nolumus. (6) Et si *hypotheses Socinianas*, itemqve *verba Schlichtingii* h.l. respicimus, potius de *morali*, qvam *spirituali* vel *reformatione*, vel *conversione* sermonem esse deprehendimus, cum tamen nobis de spirituali sermo sit: illa sine concursu hominis nec potest, nec debet fieri; sed ad hanc nihil ipse conferre potest; licet autem deberet, tamen præstare propter innatam corruptionem illud non valet.

5. (II) *Qvia ideo Scriptura sacra nos ipsos non semel hortatur ad id, ut novi homines & novæ creaturæ fiamus: at si ad istud nulla hominum opera interveniret, qvomodo hortari homines, ut id faciant, divinus spiritus posset?* ℞. (1) à *præcepto* non licet ad *posse* colligere, cumprimis qvoad statum corruptionis, in qvo multa nobis præcipiuntur, qvæ tamen nostræ potestatis nunc minime sunt, licet antea ratione status integritatis humanæ potestatis fuerint, aut simpliciter esse possint, aut ratione divini juris & legalis obligationis esse debeant. (2) nec ab *exhortatione* ad *obsecutionem*, vel *præstationem* argumentari fas est: cum multis sæpius exhortationibus excitentur ad bona perficienda, qvæ tamen nec perficiunt, nec perficere volunt. (3) Scriptura nos exhortatur, ut *novi homines*, vel *creaturæ novæ fiamus*, non *ex nobis*, sed ex DEO, non per *opus naturæ*, sed *gratiæ*, qvemadmodum mysterium hoc luculenter explicatur Eph. II. 3. seqq. *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri: DEus autem, qvi dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qva dilexit nos, & cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo & conresuscitavit, & consedere fecit nos in cœlestibus in Christo JEsu. Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI donum est, non ex operibus, ut ne qvis glorietur: Ipsius enim sumus* FACTURA, CREATI *in Christo JEsu ad opera bona, qvæ præparavit DEus, ut in illis ambulemus.*

6. (III) Ex Eph. IV. 22. seqq. ubi scribit Apostolus; *Vos deponite secundum pristinam conversationem veterem hominem, qvi corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qvi secundum DEum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, propter qvod deponentes mendacium, loqvimini veritatem unusqvisq; cum proximo suo, qvoniam sumus invicem membra, irascimini & nolite peccare &c.* ℞. (1) Apostolus loqvitur de *vocatis* &

tis & *jam renatis*, ſicut patet *ex v. 1. ſeqq.* non autem de *non renatis*, vel *hominibus in ſtatu corruptionis adhuc conſideratis*: locus igitur hic ἀπροσδιονύσως allegatur. (2) loqvitur de *hominibus*, qvia jam ſunt *membra myſtica, juxta reformationem*, non qvi debent *fieri membra per reformationem*, ut patet ex ỳ. 25. (3) Diſtingvit ipſe *Paulus* inter *priſtinam* & *præſentem converſationem*: vitia, qvæ recenſet, priſtinæ converſationis ante reformationem fuerunt, præſentis converſationis poſt reformationem eſſe non debent. (4) *Renovatio* tribuitur hominibus non *active*, qvaſi diceret, *renovate*, ſed *paſſive*, qvia dicit, *renovamini*, ſic igitur noſtra confirmatur ſententia, qvod homo ratione converſionis ſe non *active*, ſed *paſſive* habeat.

7. (IV) *Ex Col. III. 8. 9. Nunc & deponite vos omnia: iram, indignationem, malitiam, turpem ſermonem de ore veſtro: nolite mentiri invicem, exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum, qvi renovatur in agnitionem DEI, ſecundum imaginem ejus, qvi creavit eum.* ℞. (1) *locus hic* priori *parallelus* eſt: eædem igitur reſponſiones locum inveniunt. (2) diſertis verbis iterum *Paulus* teſtatur, qvod *renovatio noſtra* reſpectu *noſtri* non ſit *activa*, ſed *paſſiva*, qvia *novus homo RENOVATUR in agnitionem ſecundum imaginem DEI.*

8. (V) *Qvia qvi contrarium ex verbo creandi, aut aliis ſimilibus colligunt, figuratam ac metaphoricam vocum ſignificationem cum propria hac in parte confundunt, nec intelligunt, ſimilia hæc eſſe non eadem, hoc eſt, non ejusdem generis ſynonymi, ſed aliqvo modo tantum analogi. nec meminerunt, omnem ſimilitudinem (ſimilitudo autem contracta eſt metaphora) claudicare, ut in ſcholis loqvi ſolemus.* ℞. (1) *Figuratam locutionem Schlichtingius* h. l. magis *prætendit*, qvam *oſtendit*; *prætenſio* vero non eſt *oſtenſio*. (2) *Similitudo* hic conceditur *in tantum*, non *in totum*, cum omnis ſimilitudo vel *unum*, vel *plura tertia* reſpicere ſoleat, *ſimile* namq; *ſuo modo ſimile* nuncupatur, adeoq; maxime inter *ſimilitudinem* & *identitatem* diſtingvendum. Reliqva jam ex ſuperioribus certa ſunt & expedita.

9. (VI) *Smalzius* etiam *contr. Franz.* p. 419. hæc *Franzii* verba re-

QVÆSTIONES ANTI-SOCINIANÆ
Ex Articulo XIX.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS
DE

Disp. XX. R. MICH. AUGUSTINI, Sol-Hungarus.

CAUSA PECCATI.

QVÆSTIO PRIMA.

An, qvædam peccata DEO volente fieri, rectè dicatur?

I.

CIrca qvæstionem ipsam in frontispicio qvædam delibare nec incommodum nobis, nec infructuosum lectoribus aliis erit, cumprimis qvia non postremam in doctrina de *Causa peccati* sedem qvæstio præsens occupat, & aliàs multum lucis affert tractationi, nec parum utilitatis lectoribus confert.

2. Non igitur qværitur (I) *An Sociniani directè Lutheranis in hoc articulo de Causa peccati contradicant, ita ut δὶς διὰ πασῶν dissideant?* Nam contrarium *Smalz.* contr. *Franz.* p.426. disertis verbis fatetur, qvod in *disputatione IX. de Causa peccati veritatis patrocinium Franzius susceperit.*

3. (II) *An Sociniani simpliciter in hac causa Calvinianorum errores suos faciant?* Nam fatentur etiam, hos errare, sicut *Smalzius* de *Franzio* l. d. pronunciat, qvod *adversus qvorundam* ERRORES, *non minus* PERNICIOSOS, *qvam* ABSURDOS, *veritatis patrocinium susceperit.* Jam autem *B.Franzius* potissimum contra *Calvinianorum* errores de *causa peccati* disputaverat.

4. (III) *Annon videri velint Sociniani, qvod nobiscum in hac religionis causa sentiant?* Nam idem etiam *Smalzius* d.l. profitetur qvod ipsi nobis plane assentiantur: *In hac disputatione nona*, scribit, *qvia veritatis patrocinium suscepit Franzius, adversus qvorundam errores non minus perniciosos, qvam absurdos,* NOS EI PLANE ASSENTIMUR.

5. (IV) *Annon voluntas DEI suo modo peccata qvædam respiciat?* nam cum sine DEI voluntate nobis nil qvicqvam contingere

qveat, voluntas etiam divina non uno modo juxta *scripturam* & *objectionum naturam*, ac *volendi*, vel etiam *operandi formam*, considerari debeat, ipsa pariter experientia satis luculenter id suadeat, ideò suomodo voluntatem DEI circa peccata versari, non difficulter largimur, qvod autem propterea volente DEO simpliciter peccata fiant, illud nullo modo concedere possumus.

6. (V) *An peccata qvædam pœnæ respectum induant, vel admittant?* Nam & vulgo dicitur, qvod *DEus peccata peccatis puniat*, & scriptura non reclamat, sed tales historias recitat, qvæ luculenter idipsum confirmare videntur, & simul experientia qvotidiana documentis apertissimis id demonstrare deprehenditur, unde generales inter leges hæc etiam recensetur: *Per qvod qvis peccat, per idem punitur & idem.*

7. (VI) *An omnia peccata DEO volente fiant?* Nam hunc errorem ipsis imputare nolumus, qvia disertis verbis Smalzius de qvibusdam saltem peccatis hoc enunciasse deprehenditur: *Pauca qvædam addere*, pergit, *operæ precium visum est*, *qvibus justam causam juvari posse credimus, qvorum hoc est præcipuum*: *Nihil scil. absurdi in eo esse, si dicatur, qvædam peccata qvandoq; DEO volente fieri.* Ex qvibus apertum est, qvod de qvibusdam, non de peccatis omnibus ipse loqvatur.

8. (VII) Hoc igitur est, qvod juxta *Smalzium* in qvæstione versatur; *Num qvædam peccata DEO volente fiant?* Ubi notandum est, qvod *Smalzius* de *voluntate DEI* directa verba faciat, qvæ respectum habet *à priori*, simulqve *causalis* dicitur, ut vel *causalitatem* veram inferat, vel causis malorum operum *formaliter* adhæreat. Nam *p. 434.* idem *Smalzius* inqvit: *Socinus ait; DEum DECREVISSE, ut extarent falsi Prophetæ, & VOLUISSE, ut homines, qvi sunt mali, & ita digni pœna, illis adhæreant. Certe nec verba pugnant secum, nec res ipsæ*, Et libr. de *Error. Nov. Arian.* p. 25. scribit: *Theologi & Patres nonne errare potuerunt? tum qvia erroribus omnes sumus obnoxii, tum qvia ut erremus, si DEI verbum negligamus, DEus permittere, imò & interdum PROCURARE solet.* Huc faciunt *Hypotheses Socinianorum* de *absoluto DEI jure*, *de absoluto ipsius dominio*, & manifestæ assertiones, qvod *DEus sit causa peccati*, de qvibus alibi fuit actum.

9. Pro-

9. Probat sententiam suam *Smalzius* (I) *Qvia peccata qvandoq; DEO volente fiunt, qvatenus sunt pœnæ peccatorum.* ℟. (1) *pœna* magis *passionis*, qvam *actionis* respectum habet, adeoqve non tam *principium*, qvam *subjectum* respicit: hic igitur in doctrina de *causa peccati*, vel de iis, qvæ *peccati causam* concernunt, qvo præsens etiã qvæstio tendit, hæc ratio nullius est valoris. (2) *Pœna* præterea dicitur *objectum juridicum*, non *Physicum*, *judiciale*, non *causale*: judicia verò respectum habent *a posteriori*, qvia judicantur *præterita*, non *futura*, *facta*, non autem ea, qvæ *nondum facta* sunt. (3) *peccata* neutiqvam fiunt vel à DEO, vel DEO volente, qvoad *immediatam* & *formalem relationem*, qvasi DEus peccata velit, ut *pœnæ* sint, sed qvoad *mediatam relationem*, & *materialem conditionem*, qvia DEus propter peccata pœnas vult, ad qvas pœnas non *formaliter*, cum *dependentia ratione divinæ voluntatis*, sed *materialiter* cum *efficientia*, vel *dependentia ratione Diaboli*, vel *pravæ hominum voluntatis*, peccata concurrunt, & sic *pœnæ formaliter* sunt, sed *materialiter peccata* sunt, vel fiunt, non à DEO, sed à Diabolo vel pessimo hominum facto. (4) Hinc DEus *non simpliciter peccata vult*, ut pœnas, multò minus ipse *peccata peccatis punit*, sed pœnas decernit, & Diaboli, vel hominum malas actiones circa pœnas non impedit, sed permittit.

10. (II) *Qvia certum est, inter alias peccatorum pœnas, hanc esse unam, eamq; gravissimam, qvando per peccata DEus peccata punit.* ℟. (1) Ex præcedentibus non obscurè patet, qvid ad hoc etiam respondendum sit. (2) *Pœnæ peccatorum* considerantur vel ratione *rei*, seu *communis effecti*, vel ratione *modi*, seu *principii operandi*: pœna *generaliter* & *totaliter* qvoad *rem*, & ad *DEum*, & ad *Diabolum*, vel *malos homines* refertur: ad *DEum* ratione *rei*, vel etiam ratione *scopi*, qvo justitiæ divinæ satisfiat, & peccator justas pœnas sentiat, & sic ratione *passionis*; sed ad *Diabolum* & *malos homines*, qvoad *executionis modum*, vel varium *confusionis*, aut *prævaricationis* respectum refertur, unde vulgò dicitur de DEO; *Actio displicuit, passio grata fuit.* (3) Falsum est, qvod accuratè loqvendo DEus per peccata puniat, cum potius per justitiam vindicatricem, per severitatem, & alia concurrentia qvædam attributa, & hinc manantia decreta, vel

inde pendentia effecta DEus punire dicatur, sed ubi DEus erigit *justitiæ templum*, ibi mox Diabolus *neqvitiæ*, vel *injustitiæ sacellum* ædificare conatur, qvemadmodum illustre satis exemplum *Achabi I.Reg. XXII.* ostendit.

II. (III) *Qvia facile concedi potest, DEum Pharaonum indurasse, & alia huic similia procurasse, qvia scil. illi, qvos DEus vel induravit, vel ad alia scelera perpetranda compulit, nempe per Diabolum, jam pridem mali erant, & digni qvovis DEI supplicio.* ℞. (1) Qvod DEus *Pharaonem* induraverit, illud scriptura dicit, & nos idem dicimus, sed *modum Calviniano-Socinianum indurationis*, qvo DEus revera constituitur *causa indurationis* prorsus rejicimus: *DEus* enim non per *vitium*, sed per *judicium* indurat, adeoq; non ποιητικῶς, sed δικαστικῶς se habet in vitiosa malorum *induratione*. (2) Ex superioribus jam constat, qvod falsum sit, *DEum peccata procurare*: DEus peccatorum non *procurator*, sed *censor* ac *ultor* est, cum peccata graviter puniat. (3) Falsum, qvod DEus *ad scelera perpetranda compellat*, cum hac ratione homo non posset non peccare, si DEus vi sua hominem ad peccandum, vel scelera perpetranda compelleret, & revera peccati causa, vel autor DEus esset, si homines ad qvædam scelera perpetranda compelleret. (4) Falsum, qvod DEus vel *per se*, vel *per alium*, ad peccata *compellat*: licet enim Diabolus *impellat* ad peccata, tamen ipse per se hoc facere dicitur, non autem DEus per Diabolum ad peccata compellere perhibetur. (5) Dist. inter *impellere ad peccata*, & *compellere ad peccandum*: homo qvidem *impellitur* ad peccata, sed propterea neutiqvam accurate loqvendo *compellitur* ad peccandum, dum non invitus, sed volens peccata committit.

12. (IV) *Qvia hoc in Judæ proditione inprimis considerandum est. Destinaverat qvidem DEus, ut aliqvis ex Christi domesticis eum traderet, idq; mutari nullo modo potuit. At non fuit ad hoc scelus destinatus Judas, anteqvam nasceretur, sed tantum homo qvidam malus; & jam pridem dignus, qvem DEus puniret. Talis qvia fuit Judas culpa sua, anteqvam esset Apostolus (erat enim fur & avarus) ideo statuendum est, eum à Christo electum esse, ut tanti sceleris, nempe proditionis, autor esset.* ℞. (1) *Judæ proditio* consideratur vel *ratione facinoris*, vel *ratione finis*: priori

priori modo nec pendet ex DEI vel *destinatione*, vel *electione*, nec ex ulla DEI *constitutione*, multo minus ex DEI qvadam *operatione*, ut hinc *causa*, vel *autor proditionis* appellari posset: *posteriori* modo DEus voluit Christi passionem, & vicariam pro peccatis humani generis satisfactionem, & admisit *Judæ proditionem*. (2) *Dist*. inter *prædictionem* & *productionem*: DEus *prædixit*, aliqvem ex domesticis Christum esse proditurum, ut patet ex *Psal.XLI.* sed propterea neutiqvam *produxit*, nec *à priori* destinavit, ut aliqvis ex Christi domesticis eum traderet. (3) *Dist*. inter *infallibilitatem* & *immutabilitatem*: DEus ob infinitam sapientiam & præscientiam *infallibiliter* Judæ prænunciavit proditionem, sed nullatenus eam *immutabiliter* destinavit. (4) Non tantum homo qvidam malus, sed etiam ipse *Judas*, ceu proditor prævisus, qvia præscientia DEI futura cernit non ut *futura*, sed ut *præsentia*, nec propter infinitatem suam circumstantias, vel intervalla temporum admittere novit. (5) Falsum est, qvod *Judas ad hoc à Christo sit electus*, ut tanti sceleris, vel ipsius proditionis autor esset, cum juxta passionis historiam Christus omnibus modis atq; mediis *Judam* ab hoc scelere proditionis abducere contenderit, secundum historiam autem Evangelistarum *Judam* in Apostolum & verbi præconem, non autem in proditorem elegit.

13. (V) *Qvia hoc idem etiam de occisoribus Christi statuendum est. Christum mori & multa pati oportuit, divino decreto, ob nostram salutem, ita ferente. Nam & Prophetæ de Christi afflictionibus vaticinati erant; & falso dicitur, Christum potuisse mori, ut Moses mortuus est, postqvam decretum DEI accesserat. Ad has afflictiones ad exitum producendas DEus istis hominibus usus fuit, qvi jam ante ob scelera sua meriti erant gravissima supplicia.* R. (1) De *occisoribus Christi* non aliud ferè dicendum, qvam qvod de *proditore Juda* responsum, cum de similibus simile fieri debeat Judicium. (2) Christum oporruit multa pati non tantum, sed etiam mori, *qvoad rem ipsam*, sed non *qvoad omnem rei modum*: nemo siqvidem dixerit omnes passionis & mortis circumstantias *simpliciter* fuisse necessarias, nec alia, qvam hæc media fuisse respectu passionis & mortis admittenda. (3) *Dist*. inter *decretum judiciale* & *causale*: DEus hæc *judicialiter*

decrevit, vel in hominibus malis, à Diabolo, pravaqve voluntate impulsis, *permittere*, nec impedimentis indebitis ea prohibere voluit, neutiqvam autem in hominibus malis talia *simpliciter* ut *causa*, vel *autor efficere* constituit. (4) *Conciones Prophetarum* sunt *passionis Christi vaticinia*, non *principia*, rei gerendæ *veritatem* inferunt, non autem *causalitatem* exprimunt, adeoqve nec DEum *causam*, vel *autorem* qvorundam peccatorum constituunt. (5) DEus usus est malis hominibus non instar *mediorum causalium*, sed *judicialium*, qvia neutiqvam causaliter per illos vitia fuit operatus, sed potius mirabiliter & supernaturaliter ad finem salutarem illorum peccata convertit.

14. (VI) *Qvia hoc DEO licere, nemo negabit, qvi considerat, qvantum sit DEI in homines sibi immorigeros jus & potestas.* R. (1) non qværitur, qvid DEO *liceat*, sed qvid DEum *deceat*, contra decorum nihil DEO licere, de sanctissimo Numine credendum: nihil indecorum DEO contra rectam rationem affingendum: jam indecorum est hominibus, esse causam peccatorum, multo minus illud de DEO dicendum. (2) *jus* DEO revera *summum* tribuitur, sed *ordinatum*, & *divinis attributis proportionatum atq; conformatum*, non autem *inordinatum*, *affectatum*, *& reliqvis attributis divinis oppositum*: jam autem esse *causam peccatorum*, & divinæ *justitiæ*, & *sanctitati*, & *integritati*, & *perfectioni* &c. maximè contrarium. DEus autem sibimetipsi contrarius esse neqvit. (3) De *potestate* judicium idem fieri debet, *potestas summa* non *injuriæ*, sed *juris* DEO tribuenda: jam autem cum injuria conjunctum foret, si DEus homines ad peccata qvædam compelleret, vel nonnullorum peccatorum autor foret, & tamen miseros homines ob peccata graviter puniret. Qvorum DEus est *ultor*, eorum non est, nec esse potest autor. (4) *Summum DEI jus* dicitur in homines immorigeros *ad puniendum*, non ad *peccata* vel *efficiendum*, vel *promovendum*.

15. (VII) *Qvia, qvod de prædictione abnegationis Petri dictum à Socino fuerat, nempe id etiam à DEO decretum fuisse, qvia scilicet dignus erat ista pœna Petrus ob suam pertinaciam, qva Christo semel atq; iterum fugam suorum prædicenti, & eam rem testimonio sacrarum literarum, qvod erat instar oraculi & decreti divini, confirmanti, resistebat, & tan-*

& tantum non mendacii arguebat, respondet Franzius th. 28. id omnino nihil ad rem facere. *Qvam verò ob causam videamus: Sic igitur ait:* Esto, qvod DEus decreverit, subtrahere gratiam à Petro: interim tamen non decrevit, qvod ipse DEus velit impellere Petrum, ut ter neget Christum, dum bis cantet gallus, sicut ei prædixit Christus. Illas enim circumstantias prædixit Christus. Aut igitur Christus præscivit has circumstantias, aut DEUS eas impulit & complevit. Sed hoc impium. Ergo verum illud prius. *At non animadvertit Franzius, concesso eo, qvod DEus decreverit subtrahere gratiam à Petro, reliqva, qva ad perficiendum istud peccatum reqvirebantur, multo facilius decerni etiam potuisse? Majus enim est decernere, ut Christi Apostolus Christum abneget, qvam ut ter, & certo tempore id faciat. Hæ enim circumstantiæ non ad naturam peccati constituendam, sed tantum ad illud exaggerandum, & pœnæ imminentis certitudinem describendam pertinent. Itaq; si nulla impietas in eo est, qvod peccatum tam atrox decernitur, sed magna tantum divina severitas, qvomodo impium censendum est, si decernantur etiam qvædam circumstantiæ, qvæ ad peccatum illud exeqvendum necessariæ qvodammodo sunt? Tantum enim necesse erat ad hoc facinus exeqvendum, voluntatem Petri ad breve temporis spacium libertate sua privatam, & qvodammodo coactam esse, qvod DEum interdum facere posse & solere, nec impium est, nec absurdum, sed tantum severum DEI judicium, & ira ista, ad qvam tardus esse in sacris literis, non uno in loco dicitur.* Rx. (1) *à prædictione* abnegationis *Petri* rursus ad *productionem* ejus non licet argumentari, cum *illud* sit *omniscia veritatis*, *hoc impiæ causalitatis*, *illud* DEO proprium, *hoc* à DEO prorsus alienum. (2) DEus decrevit *prædictionem abnegationis*, & actu qvoqve talem CHRISTUS prædixit, sed *à priori* neutiqvam decrevit *ipsam abnegationem.* (3) *Dist.* inter *decretum permissivum* & *operativum*: *permittere*, non *efficere* decrevit abnegationem Apostoli, idq; ob istam pertinacem audaciam, qva Christo contradicebat, & ob alias causas. (4) Qvod attinet *Franzii* verba, hæc omnino firmissimo stant talo: Dist. autem inter *gratiæ subtractionem absolutam*, & *relatam*: non simpliciter DEUS gratiam *Petro* subtraxit, sed qvia *Petrus* carnali confidentia turgidus

dus, Christo potius contradicere, suis viribus sine Christo, vel etiam sine DEo fidere, vel nimium tribuere, qvam verbo Christi credere maluit, ideo gratiam eidem paulisper subtrahere, sibiqve soli relinqvere constituit. (5) Falsum, qvod *formaliter à negatione* ad *positionem* argumentari liceat: DEus decernit gratiæ subtractionem, qvam nulli præter ordinaria media debet, sed decernere neqvit *active vitiosum actum*, qvi DEum minime decet. (6) non de *peccatorum circumstantia*, sed de *ipsorum substantia* nobis est sermo, num ad illam decretum aliqvod causale concurrere qveat? (7) Falsa supponitur *libertas Petri*, vel hominis *in bono*, qvæ per corruptionem naturæ prorsus nulla. (8) Falsum, qvod DEus voluntatem *libertate* in bonis *privet*, & eam ad mala *qvodammodo cogat*, qvod certe blasphemia non caret; nam si DEus libertate in bonis privat voluntatem, eamqve ad mala qvodammodo cogit, seqvitur, qvod DEus magis peccet, qvam ipse homo: At hoc absurdum & blasphemum: unde falsissimum, qvod DEus istud interdum facere possit & soleat, & qvod illud nec sit impium, nec absurdum asserere. (9) *Dist.* inter *severum DEI judicium* & *pessimum peccati vitium*: ad *illud* spectant ira simul & pœna, sed *hoc* neutiqvam cum illis confundendum.

16. (IIX) *Qvia* juxta *Socinum DEus oppressionem & servitutem Israëlitarum in Ægypto decrevit.* Respondit ad hoc *B. Franzius th.30.* uti ipse notavit *Smalzius p.431. At si hæc ita se habent, ut vult Socinus, tum causa peregrinationis Abrahæ, Isaaci, Jacobi & posterorum, nulla fuit alia, nisi ut à peregrinis affligerentur passim, cum tamen scriptura longe alias causas istarum peregrinationum monstret, nimirum qvod debuit Abraham expectare donationem terræ promissæ, in qva ex isto suo semine nasceretur, & qvod interim, donec veniat tempus completionis Chananæorum, debuit esse Propheta, sicut appellatur expresse Gen. 20. 7. seu reformator gentium generalis Th.31. Et qvia nominatim c.35.5. Abrahamo promisit DEus, sese ita velle multiplicare semen, sicut cœli stellas, ut numerari neqveat, an ille in eodem capite Geneseos contra Abrahamum statim alterum decretum putabitur intra sese concinnasse, qvod velit in Ægypto mira servitute imminuere genus Abrahæ v.13.th.32. Utiq, hæc plane contradictoria sunt, & refu-*

refutantur fortius inde, quod in ipso descensu in Ægytum Jacobo DEus noctu apparet in visione Gen. 46. & eum ita alloquitur: Ne metuas descendere in Ægyptum, quia in gentem magnam ponam te ibi. th. 33. Ecce quam magnifica, & non nisi bona promittat Israelitis DEus, & tamen is idem DEus interim juxta Socinum decrevit ibi efficere suffocationem infantium Israeliticorum in aquis, ut jure habeat tandem causas puniendi Ægyptios in mari. Quasi vero! th. 34. Ergo quæ prædicuntur de afflictione Israelitarum, in Ægypto futura, ea pertinent ad peccata Ægyptiorum à DEO prævisa, & potuisset DEus utiq; longe alia via punire Ægyptiorum Idololatriam.

17. Sed ad hæc *Smalzius* respondet: *Hæc omnia produnt insignem Franzii inconstantiam. Quomodo enim ex eo, quod DEus decrevit, ut Abrahami posteritas servitute premeretur in Ægypto, seqvitur, nullam aliam causam fuisse peregrinationis posteritatis Abrahami, quam ut affligeretur? Decrevit DEus, ut Christi populus affligatur in hoc mundo. Ergo nulla alia est causa ipsorum in mundo habitationis, quam ut affligantur. Apage istam collectionem! Deinde qvod huic simile est, ea; quæ tantum diversa sunt, adversa & contradictoria appellat Franzius. Nonne enim potuit DEus decernere, & ut expectaret Abraham donationem terræ promissæ, & esset propheta, vel Reformator gentium generalis, ut loqvitur Franzius? nonne potuit DEus decernere, ut semen Abrahæ, sicut cœli stellæ multiplicarentur, & Jacobo eandem promissionem repetere, & tamen simul decernere, ut iidem etiam affligerentur & premerentur? Obestne populi alicujus afflictio DEO ad illum extollendum? qvid his omnibus ineptius dici potest? Decrevit DEus Christi populo non terram Chanaan, sed regnum suum cœleste gloriosum, & tamen decrevit etiam, ut idem in hoc mundo gravissime affligatur. Imo si qvis opera DEI consideret paulo attentius, animadvertet, qvod quanto magis beneficentia is hominibus offert, tanto etiam plq eorum, quæ isti beneficentiæ contraria, & eam destruere posse videntur, plerumq; proponit, ut hac ratione ipsius sapientia & potentia tanto illustrior appareat. Unde constat, non necesse esse, ut peccata Ægyptiorum DEus illa futura prævideat, ad id, ut per eos affligeret populum suum; sed satis esse, qvod illi jam ante impii fuissent, & digni, qvorum opera DEus ad affligendum populum*

pulum suum uteretur. Potuisse DEum alia ratione punire Ægytios, nemo est, qvi dubitet: sed hac etiam ratione punire eos potuisse, ipsa docet experientia. Miscet autem vera falsis Franzius, dum ait, DEum decrevisse suffocationem infantium israeliticorum in Ægypto, qvia decreverit, ut posteritas Abrahami ibi affligeretur; & Socinum calumniatur, dum eum id dicentem facit. Nec enim necesse est, certas peccatorum species decerni ab eo, qvi generatim afflictionem populi sui decernit: Sed penes homines ita peccata semper sunt, qvibus DEus deinde permittit, ut qvo velint, & qvi DEO probetur modo, populum ejus affligant.

18. ℞. (1) *B. Franzius* non ita nude dicit nullam aliam fuisse causam peregrinationis præter afflictionem, sed ex *Socini* verbis illud deducit, qvemadmodum ex verbis ipsis apertum, adeoq; non ad unum, vel alterum comma, sed potius ad totum *Socini* contextum est respiciendum. Jam autem *Socinus in prælect. Theol. c.10.p.33.* sic peregrinationem Patriarcharum & posterorum introducit, ut hanc solam adducat causam, & DEum etiam autorem peccatorum constituat: *Potuit*, inqvit, *DEus (imò id certissimum esse debet) auctor esse servitutis & afflictionis populi sui, ut ea ratione Ægytios, ob idololatriam, qva inter alia scelera, præ cæteris populis, semper infames fuere, graviter puniret.* (2) Falsum est, qvod *B. Franzius* diversa pro contrariis venditet, cum disertis verbis ostendat, qvod peregrinationis illius Patriarcharum & posterorum diversæ causæ, vel etiam diversi eventus extiterint. Fingit igitur *Smalzius contrarietatem absolutam*, qvam nullam in *Franzii* verbis reperit, siqvidem is perpetuo respicit ad mentem & verba *Socini*, qvi causam hanc tanqvam unicam, vel ad minimum tanqvam præcipuam adducit. (3) *B. Franzius* manifestis verbis asserit, qvod DEus prædixerit afflictionem Israelitarum in Ægypto, sed *finem Socinianum hujus prædictionis*, vel ipsius *peregrinationis*, non concedit. (4) *Dist.* inter *finem* & *eventum*: *afflictio* non fuit *finis peregrinationis*, sed tantum ejus *eventus*, cum talis inter peregrinos commoratio plerumq; cum incommodis sit conjuncta. (5) Opera DEI mirabilia non capit ratio humana: DEus *à priori* bona vult, suisq; decernit: & obstantibus Diabolis, & aliis hostibus,

bus, & alia tentantibus, ac mala multa fidelibus inferentibus, DEus tamen opus suum perficit, & in eo suam sapientiam ac potentiam ostendit, cum contraria juxta se posita magis elucescant: interim à priori talia mala, cumprimis qvoad modũ, non decernit. *(6)* Si DEus Ægyptiorũ peccata non prævidisset, ea non prædixisset; nam verbum oris, verbũ mentis, vel eloqvium intellectus actum præsupponit. (7) *Dist.* inter *decretũ activum & permissivum, à priori & à posteriori:* prius *Socinus* intendit, posterius *Franzius* attendit, & sic neutiqvam, qvod in *Socino* reprehendit, ipsemet asserit.

19 (IX.) *Qvia*, juxta *Socinum*, *DEus defectione Israelitici populi ad idololatriam verisimiliter prædixit.* ℞. (1) *veri similitudinem* DEO, simpliciter veraci, minime rectè *Socinus* tribuit, (2) aliud est loqvi de *prædictione*, aliud de *productione*, DEus prædixit populi defectionem ad idololatriam, sed neutiqvam eandem effecit, cum passim idololatriam omnem prohibuerit.

20. (X) *Qvia DEus solet excitare falsos prophetas, ut suos tentet atq; exploret; & qvod homines illis falsis prophetis fidem adhibent, illud tali fieri DEI consilio, qvod velit homines malos, aut negligentes, qvi veritati non obediunt (qvod totum ipsorum culpa fit) isto modo puniri, ut istis mendacibus hominibus adhæreant.* ℞. (1) DEus excitat falsos prophetas non *causaliter*, sed tantum admittit, vel non impedit *judicialiter*, qvæ maxime distincta sunt. (2) Hæc permissio Pseudo prophetarum ex sapientissimo DEI consilio dirigitur ad fidelium tentationem & exploratione͂, licet Diabolus per Pseudoprophetas, vel etiam ipsi Pseudoprophetæ nihil aliud intendant, qvam fidelium seductionem & defectionem, (3) Aliud est loqvi de *DEI directione*, & aliud de *Pseudoprophetarũ operatione:* hæc, qvæ faciunt ad fidelium tentationem, explorationem & confirmationem, pendent ex DEI directione: sed *qvæstio*, vel etiam *Smalzii*, vel *Socini rationes* loqvuntur de *malorum operatione*, qvæ neutiqvam vel in totum, vel in tantum, à DEO pendet, adeoq; manet, qvod DEus nullorum peccatorum sit causa, vel autor.

QVÆSTIO SECUNDA.

An DEus peccata peccatis puniat, & sic causa qvodammodo peccatorum fiat?

1. Qvod *DEus peccata peccatis puniat*, sæpius in *orthodoxorum* & *heterodoxorum* scriptis invenitur, at sensu prorsus diverso: cum hæretici hac phraseologia vel *veram & proprie dictam*, vel *aliqvam saltem causalitatem* intelligant, *orthodoxi* verò nihil *causalitatis* sub hac phraseologia DEO tribuant, sed tantum judicium ejus describant.

2. Non igitur qværitur (1) *An hac phrasis*, qvod DEus peccata peccatis puniat, *in totum rejicienda sit*? Hoc enim minime nos asserimus, sed potius contrarium dicimus, qvod ea sano sensu Scripturæ sit conveniens, & in scriptis orthodoxorum Theologorũ non infreqvens. (2) Nec qværitur de eo, *Num DEus peccata revera puniat?* cum ex Scriptura non tantum, sed etiam experientia qvotidiana satis constet, DEum justissimũ impunita peccata non dimittere. (3) Nec est in qvæstione, *num talia, qva peccata sunt, & qvibus ob peccata homines nunqvam afficiuntur, ad DEum suo modo non referantur?* Nam ex Scripturis constat, qvod ipse DEus sibi talia tribuat. *II. Sam. XII. 13. seqq. Nathan* propheta *Davidi* resipiscenti dicit in nomine Domini: *Dominus transtulit peccatum tuum: veruntamen qvia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qvi natus est tibi, morte morietur:* & v. 11. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis hujus.* Sic etiam *David. c.* XVI. de *Simei* maledicente respondet v. 10. *Dimittite eum, ut maledicat; Dominus ei præcepit, ut malediceret David: & qvis est, qvi audeat dicere, qvare sic fecerit? & vers. 11. Ecce filius meus, qvi egressus est de visceribus meis, qværit animã meam, qvanto magis nunc hic filius Jemini maledicet mihi: dimitte eum, ut maledicat, qvia dixit ei Dominus, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac die hodierna.* Verum hæc *judicialiter*, non *causaliter* ad DEum referuntur, eiq; non tanqvam *autori*, sed tanqvam *justo judici* tri-

tribuuntur. (4) Nec de eo disqviritur, *An DEus circa tales pœnas, qvæ materialiter peccata sunt, aliqvid operetur?* Nam faciles largimur, DEum non esse prorsus otiosum in ejusmodi pœnis infligendis, sed id, qvod sapientissimi justissimiq; judicis est, prudenter & irreprehensibiliter agere. (5) Sed qværitur, *Num DEus actualiter & formaliter ad illa peccata, qvæ pœna sunt, aut fiunt, tanqvam causa, qvocunq; modo concurrat?* Et hoc ipsum est, qvod nos inficiamur.

3. *Sociniani* passim non tantum ejusmodi fovent *hypotheses*, sed etiam disertis verbis hoc inferunt, qvod *DEus peccata peccatis puniat* ita, ut simul ad peccata concurrat. Nos hac vice paucis *Crell. de DEO & Attrib. divin. c. 25. p. 233.* examinabimus. Seqventes autem videtur rationes urgere. (I) *Qvia Deus homines malos indurat. Dico malos*, pergit, *qvia nunqvam qvenqvam nisi sponte sua malum aut contumacem indurasse legitur.* ℞. (1) Si DEus homines malos indurat, seqvitur, qvod ad peccati malitiam non cooperetur. (2) Si induratio DEI contumaciam semper præsupponit, manifestum est, qvod DEus *judicialiter* tantum, non autem *causaliter* ad malum concurrat. (3) DEus eqvidem variis modis indurare dicitur, prout alibi fuit observatum, nullo verò modo dicitur ad indurationem, qva peccatum est, activè concurrere.

4. (II) *Qvia induratio pœna qvædam est, & qvidem talis, qvæ ad majorem ac graviorem ducat: DEus autem neminem punit innocentem; nedum ut impedire velit, qvo minus ille id faciat; qvod ipsi gratissimum est, qvodq; ipse præcepit, qva in re induratio consistit. Id enim tum demum facit DEus, cum homo ipsi parere obstinatè noluit tunc, cum parere posset. Itaq; cum pœnam, & qvidem gravem fuerit commeritus, dignus est, cui via eam effugiendi præcludatur. Qvia verò DEus omnibus resipiscentibus & vitam emendantibus peccata condonat, ideo, cum pœnam diutius differre cogitat, aut ea homini supplicia infligere, qvæ animi contumaciam frangere alias facile possent, & eum ad resipiscentiam adducere, eum indurat & sic viam illi, qvo minus supplicium effugiat, præcludit.* ℞. (1) *Induratio* qvidem *pœna*, sed *suo modo*, non *omni modo*, magis *negativè*, qvam *positive*, non *qva peccatum*, sed *qva judicium* & *supplicium*, unde communiter *DEus* aliter; aliter *Diabolus*, aliter *homo* dicitur in

 dura-

durare: qva *peccatum* est, Diabolis tantum & hominibus competit, sed qvatenus supplicium, ad DEum etiam refertur. (2) Verissimum est, qvod ad majorem & graviorem pœnam induratio ducat, qvodq; DEus neminem innocentem puniat, & neutiqvam impedire velit, qvo minus homo faciat, qvod ipsi gratissimam, sed inde non seqvitur, qvod ad indurationem DEus active concurrat. (3) Licet autem DEus tum demum hominem induret, cum homo ipsi parere obstinate noluit, tunc, cum parere posset, & qvando pœnam gravem fuit commeritus, tamen ad ipsum malum non cooperatur, nec per mala viam ad pœnitentiam præcludit, sed gratiam indurato subtrahit, eumq; contumaci suæ voluntati permittit.

5. (III) *Qvia induratio instar vinculorum est ac carceris cujusdam; qvo malefici ad supplicium veluti detinentur.* ℞. (1) *Comparatio* simpliciter non est *probatio*, sed tantum *illustratio*. (2) *Vincula* vel *carceres* per se vitia moralia non sunt, adeoq; nec *formaliter* peccata: si proinde vinculorum instar induratio se habet, seqvitur, qvod nec sit peccatum, adeoq; DEus peccatis, qva talibus, peccata non punit. (3) *Dist.* inter *carceris*, & *ea qvæ fiunt in carceribus*, inter *vincula, & ea, qvæ fiunt per vincula. Peccata* fiunt in carceribus, & per vincula, sed vincula l. carceres peccata non sunt.

6. (IV) *Qvia ad indurationem generaliter loqvendo, nihil aliud reqvitur, qvam ut omnia remedia homini subtrahat DEus, qvibus animi contumacia sponte contracta molliri posset, vel saltem ita illa moderetur, ne animi duritiem omnino frangant, permissu Satanæ, ut eam alat, aut etiam augeat, potestate. Nam si homines tunc pervicaciam animi vel suscipiunt, vel deponere nolunt, cum à DEO invitantur, cum auxilia illis subministrantur, qvibus flecti in melius possent, qvid cogitamus fieri, cum auxilio divino destituti, ubiq; animarum suarum hosti patent? Neq; verò necesse est, Satanæ imperare, ut hominum contumaciam alat, ut eos in scelera impellat, sua sponte in id perpetuo excubat, divinæ gloriæ, humanæ salutis, ac porro etiam pietatis perpetuus atq; infensissimus hostis. Vincula tantum, qvibus à DEO tenetur constrictus, illi laxari aliqvantum, satis est. Interim tamen indurationis vis non est plane ineluctabilis, præsertim sem-*

semper. Cum enim DEus homini mentem non eripit, nec naturalem arbitrii vim eodem eripit; Sed cum à malitia minus jam sit valde constricta, & deteriori parti veluti aastricta, exterioribus eam vinculis, quæ malitiam ac contumaciam solvi non facile patiuntur, adhuc magis constringit. Ideo vix ullæ sunt illius ad bonum vires. Qvod si tamen id, qvod procul dubio rarissime fit, diuturniore temporis spacio concesso, se aliqvantum à malitia modo, adjumenti forte aliqvid exterius nacta, expedierit, divinæ voluntati consentaneum est, ut indurationis qvoq; vis cesset. Hæc enim animi malitiam homini non ingenerat, sed sponte susceptam ac voluntariam præsupponit, sine illa vim suam amissura. Et sanè dignum est DEO contumaces ita constringere, ut non nisi per summas difficultates, & inusitato, ut ita dicam, facinore pœnam evitare qveant. ℞.(1) DEus talia media non tam subtrahit, qvam homo malus à se talia repellit, & gratiosæ *verbi*, vel *Spiritus operationi* resistit, hæc igitur active non tam ad DEum, qvam ad hominem malum referenda. (2) DEus dicitur subtrahere non *absolute*, vel *à priori*, media salutis & remedia peccatorum, sed *respective*, & *à posteriori*, qvando sæpius repulsam passus, gratiã suam non vult amplius de novo conferre. (3) Contumacia cordis humani vel est *naturalis*, seu *congenita*, l. *præternaturalis*, *moralis* & *acqvisita*: remedia divina qvidẽ semper illã, sed hanc nõ semper corrigere possunt. (4) Falsum est, qvod DEus gratiam suã, l. remedia peccatorum ita *per se moderetur*; ne malitiã, vel contumaciam, l. duritiem hominis peccatoris omnino frangant. DEus per idem verbum, per eundẽ verbi ministrum, per eundem Spiritum, in bonis & malis, èodem tempore vult operari, sed à malis non æqve, sicut à bonis operatio talis admittitur. Moderatio remediorum Sociniana, ne duritiem hominis omnino frangant, est accusatio in DEum injuriosa. (5) Talis *DEI dimissio* est *Satanæ permissio*, qvi paratus omnino semper est, & nihil aliud intendit, qvam ut hominem magis magisq; per contumaciam cordis induret. (6) Falsum est, qvod indurationis vis non sit ineluctabilis vel per *mente naturalem*, vel per *naturalem arbitrii facultatem*; sicut enim homo naturaliter mortuus non potest semetipsum naturaliter vivificare, sic etiam peccator induratꝰ, spiritualiter mortuus, non potest per mentem suam, aut arbitrii potentiam, se spiritualiter vificare &c:

7.

7. (V) Qvia *DEus peccata peccatis punire potest.* R. (1) à posse ad *esse* N. V. C. (2) *Potentia DEI*, qva talis, circa peccata producendo non versatur, cum peccata producere non sit *potentia*, sed *impotentia*. (3) qvomodo DEus peccata peccatis puniat, illud jam in superioribus expositum, qvod illud *prædicendo, permittendo, judicando, puniendo* &c: fiat.

8. (VI.) Qvia *talia DEus hominibus, etiam non plane improbis comminatur, qvæ sine scelere ab iis fieri non non possunt, qvale fuit illud, qvod Christus Petro comminatus est, eum ter sese abnegaturum: cum nimi. Domini ac Magistri verbis autoritate etiam antiqvi vaticinii communitis, nimis audacter restitisset, & constantem præ cæteris omnibus erga Dominum in periculis fidem nimis audacter promisisset, ac cæteris discipulis ejusdem temeritatis veluti signum erexisset. Duo enim imprimis hic sunt observanda; alterum est, ad eam rem non fuisse opus, voluntatem negandi Dominum animo Petri occulta qvadam ratione instillari. Satis enim fuit, eum ope divina destitutum imbecillitati suæ, cum nimia sui fiducia conjunctæ, relinqui: & Satanæ vim atq; astutiam, ipsum, ut Christus monuerat tentare volentis, non cohiberi. Nam ipsius simul temeritate, & Satanæ, ea utentis, astutia factum est, ut in præcipitium, unde delapsus est, deduceretur, & tanto tam graviter peccandi discrimini objiceretur. Imbecillitas autem effecit, ut ejusdem Satanæ instinctu atq; arte, objecta ei peccandi occasione, periculis se undiq; ostendentis metu perculsus, succumberet. Ut autem divino auxilio hac in parte destitueretur, sua illa audacia ac confidentia commeritus fuerat; præsertim qvia remedium illud usurpare neglexerat, qvo poterat severitatem hujus comminationis mitigare, & pœnam hujusmodi ac flagitium à se deprecari atq; avertere. Nam ut alterum etiam addamus, qvod hic observandum esse diximus; qvemadmodum multæ aliæ DEI comminationes, licet simpliciter prolatæ, prorsus tamen absolutæ ac irrevocabiles non sunt; ita nec hoc decretum videtur fuisse absolutum ac penitus irrevocabile. &c.* R. (1) à *comminationibus* divinis ad *operationes* divinas argumentari velle N. V. C (2) *Comminationes* DEI respiciunt *DEI judicium*, non *peccatoris flagitium*. (3) Christus abnegationem Petri prædixit, abnegationis autor minime fuit (4) sicut Petri confidentia, vel audacia non à Christo, sed à carne, vel Satana habuit ortum, sic idem de Apostasia dicendum. Plura nunc addere non licet. Hoc saltem adjicimus.

SOLI DEO SIT GLORIA!